N. XII. 2.

Ep.
84

JACOBI SADOLETI

S. R. E. CARDINALIS

EPISTOLÆ PONTIFICIÆ.



IACOBVS SADOLETVS CARDINALIS

Vt Plato facundâ decoravit dogmata linguâ,
De priscæ Sophiæ dogmata sumpta sinu:
Eloquij sic tu decorasti flumine blando,
De sacro CHRISTI dogmata sumpta sinu.

Bened. Arias Montanus

JACOBI SADOLETI
S. R. E. CARDINALIS
EPISTOLÆ
LEONIS X. CLEMENTIS VII. PAULI III.
NOMINE SCRIPTÆ.

ACCESSIT
ANTONII FLOREBELLI
DE VITA EJUSDEM SADOLETI
COMMENTARIUS
ET EPISTOLARUM LIBER.

ROMÆ, CIƆIƆCCLIX.

EXCUDEBAT GENEROSUS SALOMONIUS
SUPERIORUM FACULTATE.

Bibliotheca Domus Universitatis Bambergæ ... 1767.

Staatliche
Bibliothek
Bamberg

PETRO HIERONYMO GULIELMIO S. R. E. CARDINALI

JO: GENEROSUS SALOMONIUS F.

COmmodum JACOBI SADOLETI Cardinalis has Epiſtolas typis meis edebam, cum repente, ampliſſimo Senatu novis Patribus per CLEMENTEM XIII. Pont. Max.

aucto, Teque in primis in eum Ordinem cooptato, cœpit urbs Roma tamquam ſedibus convulſa ſuis, tota geſtire, & inuſitata quadam lætitiæ voluptate commota exſultare. Videbat enim & Tuorum plane ſingularium meritorum habitam eſſe rationem, & ſuperiorum Pontificum Clementis XII. ac Benedicti XIV. qui Te ſummis Reipublicæ muneribus præfecerant, præclara de Tua præſtanti virtute judicia ſapientiſſimi Successoris ſententia atque auctoritate eſſe confirmata, & maximum Catholicæ Eccleſiæ cum ſtabilitatis præſidium in Te, tum dignitatis ornamentum eſſe comparatum. Teſtor meam erga Te mirificam veteremque obſervantiam,

tiam,

tiam, me non aliter atque cæteros sensisse, mihique non minus, quam universis, jucundum atque exoptatum optimi ac sapientissimi Principis id factum, Tuumque istum, Tibi jamdiu debitum, & in publica commoda redundaturum honorem accidisse. Illud vero præter cæteros lætatus sum, quod paratam atque adeo in manibus haberem occasionem ac facultatem lætitiæ hujus ipsius meæ, ejusdemque observantiæ non obscuro aliquo ac brevi; sed publico ac perenni monumento testificandæ. Itaque properavi illas ipsas, quas dixi, SADOLETI Epistolas prælo expedire atque subducere, quas Tibi continuo in addictissimi gestientisque animi

mei argumentum libens merito dedicarem . Quod quidem ita me nunc facere profiteor , ut ea , quæ ad meam erga Te fidem ac clientelam declarandam reliqua mihi in omni vita esse intelligo , non modo non sim prætermissurus , sed summa cum voluntate studiosissime persequuturus . Interea Deum immortalem precor , Te ut sospitem atque incolumem ; opibus ac gloria circumfluentem , hominum caritate & prædicatione commendatum , Christianæ Reipublicæ salutarem , quamdiutissime mihi , liberisque meis esse Patronum velit .

Romæ ex meo Typographio Idibus Novembris CIƆIƆCCLIX.

AP-

APPROBATIO.

MAndante Reverendiſſimo Patre Joſepho Auguſtino Orſi perlegimus librum ita inſcriptum : *Jacobi Sadoleti S. R. E. Cardinalis Epiſtolæ &c.* nihilque in eo reperimus aut Catholicæ Fidei , aut bonis moribus abſonum : quinimo Opus ipſum multarum rerum geſtarum notitia , & latina inprimis locutione per ſeſe nitidum atque illuſtre , ab eruditiſſimo & clariſſimo viro Vincentio Alex. Conſtantio , qui epiſtolas illas nuper collegit ediditque , ſplendidius ac ornatius redditum , dignum cenſemus quod litteratorum commodo typis excudatur & evulgetur .

Romæ xiv. Kal. Octobr. MDCCLIX.

Philippus Laurentius Dioniſi.
Raymundus Alberici Presbyter.
Secularis Oratorii Romani.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiss. P. Sac. Pal. Apost. Mag.

F. M. De Rubeis Patriarcha Constantinop. Vicesgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Ord. Præd. Reverendiss. Pat. Sacr. Pal. Apost. Mag. Socius.

VIN-

VINCENTIUS ALEXANDER CONSTANTIUS

ERUDITO LECTORI S.

Paucis accipe, Lector Benevole, nostræ hujus editionis consilium atque occasionem. Nec enim quidquam de JACOBI SADOLETI *S. R. E. Cardinalis laudibus præfabimur, quum tanta sit ejus apud emunctæ naris viros nominis celebritas, tanta eruditionis opinio, ut inter cultissima illa probatissimaque eloquentiæ lumina, quibus auctoribus seculo a reparata humani generis salute decimo sexto pene pristinus latinis litteris honor est redditus, principem ferme locum obtinuerit. Quapropter cum ab omnibus eruditis hominibus ejus opera eximiis sunt semper laudibus cumulata, tum præsertim illius ætatis doctissimi eloquentissimique scriptores, tot de præ-*

ſtantiſſimo viro tamque præclara judicia ac teſtimonia poſteris reliquerunt, ut vix alius aureis illis temporibus extiterit, quem aut tanto ſtudio vivum ornaverint, aut mortuum tam honorificis verbis fuerint proſequuti. Porro inter cetera JACOBI *Cardinalis* SADOLETI *opera, quibus immortalitatis ſibi gloriam comparavit, magno præcipue habentur in pretio ejus Epiſtolæ. Et jure quidem merito. Nam præterquamquod multa ex ſeverioribus diſciplinis deprompta, multa rem civilem ac litterariam illuſtrantia, multa etiam in illis invenias, quibus ad veræ pietatis ſtudium excitentur legentium animi; ea in iiſdem eſt latini ſermonis ſuavitas atque elegantia, ut nativus quidam non adſcititius lepos in Cardinale eloquentiſſimo fuiſſe videatur.*

Quum igitur permultas tanti viri Epiſtolas, & argumentorum pondere, & dictionis elegantia præſtantes, quæ in editis vel ſeorſum

ſum

ſum (a), *vel una cum aliis ejuſdem operibus* (b) *deſiderantur*, *partim ex manuſcriptis codicibus nunc primum erutas*, *partim ex editis quidem, ſed rarioribus libris exſcriptas, ſtudioſe collegiſſem; operæ pretium me facturum eſſe exiſtimavi, ſi earum evulgandarum conſilium laboremque ſuſciperem. Quis enim, non dicam eloquens, ſed qui vix primis, ut ajunt, labiis deguſtaverit rerum ſcientiam pulcherrimarum, dum tot æternis digna tenebris ſcripta efferri in lucem videmus, quibus nulla litterarum jactura celatis, hominum illorum, quorum nomine proferuntur famæ melius conſuleretur; quis, inquam, ferre poſſet, diſertiſſimi Cardinalis* SADOLETI *Epiſtolas bene multas, quæ Veronenſium diligentiam*

(a) Lugduni apud Sebaſtianum Gryphium anno 1550. & 1554. in octavo. Item eadem forma apud Petrum Horſt 1575. ibidemque apud Petrum Colinium anno 1608.

(b) Moguntiæ typis Balthaſ. Lippii an. 1608. in octavo, & Veronæ apud Tumermanum an. 1737. tomis quatuor in quarto.

tiam effugerunt (a), *vel abditas in tenebris latere, vel dispersas pluribus in libris, quorum aliquem comparare sibi quivis haud facile posset, circumferri, neque in majorem aliquam hominum lucem celebritatemque venire?*

Quamobrem properanti mihi hanc novarum SADOLETI *Epistolarum collectionem typographo tradere, postea gravissimi sapientissimique viri consilio e re magis visum est, veteres etiam sive jam antea editas, præcipue quod rariores essent, haud omittere, sed eas ita novis adnectere, ut omnibus præstantissimi Cardinalis litteris simul collectis editisque, inte-*

(a) Laudata Veronensis SADOLETI operum editio præter XVI. Epistolarum libros sæpe jam antea, ut vidimus, impressos, novas continet Epistolas Latinas XXIV. (nam vigesima quinta quæ est ad Senatum P. Q. Genevensem, etiam in Moguntina citata editione habetur) ex quibus Veronenses librum decimum septimum sexdecim reliquis additum confecere. Omnes hæ XXIV. epistolæ, si decimam octavam excipias, editæ jam antea erant, partim inter Erasmi ac Longolii, partim inter Epistolas clarorum virorum. Italicas autem Jacobi & Pauli Sadoletorum eidem Veronensi editioni insertas, inter litteras XII. virorum illustrium iterum iterumque typis evulgatas haberi, nemo est qui ignoret.

integrum ac numeris omnibus absolutum ejusdem Epistolarum, ut ita dicam corpus, conficerem. Id ut melius assequeremur, non modo quotquot reperiri potuerunt, SADOLETI *ipsius litteras, verum etiam quamplures clarorum virorum ad eum datas colligere, atque addere ceteris placuit: quæ quoniam a Bembis, Longoliis, Cortesiis, Polis, Bonamicis, Nigris, Paleariis, aliisque disertis probatisque auctoribus conscriptæ sunt elegantissime, magnum sane ab iis nostræ huic collectioni lumen atque ornamentum allatum iri confidimus.*

Quum autem in duplicem veluti classem omnes SADOLETI *Epistolæ distribuantur: aliæ enim sunt Publicæ seu Pontificiæ, aliæ Privatæ sive Familiares; optimum existimavimus ab illis edendis initium ducere, quas* SADOLETUS *Leonis X. Clementis VII. & Pauli III. nomine exaravit, ut eæ unico hoc tomo comprehensæ, & nunc primum seor-*

seorsum editæ auctæque, tamquam ceterarum deinceps evulgandarum specimen in manus hominum pervenirent. Harum pleræque licet quinque abhinc annis, partim ex Codice manuscripto Bibliothecæ Collegii Romani, partim ex Tabulario Vaticano sint in lucem prolatæ a viro clarissimo, deque litteraria republica optime merito, Petro Lazeri Soc. Jesu (*a*), *reliquæ tamen a nobis nunc primum vel publici juris sunt factæ vel collectæ. Hisce complures aliæ addi facile potuissent* SADOLETI *nomine insignitæ, quæ in Bullariis præsertim Cassinensi* (*b*), *ac Dominicano* (*c*) *occurrunt. Verum quum eæ nullam præseferant venustatem atque elegantiam, quippe quæ non ad perfectæ latinitatis normam exactæ, iisdem ferme verbis sive formulis*

(*a*) Tomo primo *Miscellaneorum ex manuscriptis libris Biblioth. Collegii Romani Soc. Jesu*, Romæ apud Palearinos 1754. in octavo pag. 297. & seqq.

(*b*) Tom. I. pag. 113. 121. Tom. II. pag. 446.

(*c*) Tom. IV. pag. 296. 301. 317. 318. 323. 329. 332. 341. 345. 360. 381. 387. 433. 437. Tom. VII. pag. 127.

mulis expressæ sunt, quibus ejuscemodi Diplomata ac Brevia describi consueverunt; libenti a nobis animo sunt prætermissæ; quod quidem consilium nostrum & a sapientissimis viris probatum novimus, & a nemine improbatum iri confidimus. Nonnullas tamen hujus generis Epistolas addere, & ad calcem rejicere voluimus, quod & elegantius scriptæ essent, & illius temporis historiæ cum civili, tum litterariæ quidquam lucis afferre posse viderentur.

Ceterum quanta a Pontificiis hisce Epistolis utilitas ac jucunditas percipi possit, quid attinet dicere, quum rudiores etiam facile intelligant? Nam & gestarum ab illis Pontificibus, quorum nomine scriptæ sunt rerum memoriam continent, & ad eorum temporum historiam dignoscendam plurimum conferunt, & latinum illum sermonem non fucatum non corruptum, sed nativum & ingenuum sapiunt ac redolent.

At-

Atque utinam SADOLETUS *noſter, quemadmodum Petrum Bembum ejus in Epiſtolarum ſcribendarum munere apud Leonem X. Collegam præſtitiſſe videmus, has aliaſque lucubrationes ſuas colligere, collectaſque antequam diem ſuum obiret, emendare ac expolire potuiſſet: profecto nihil in hoc ſcribendi genere præſtantius, nihil abſolutius haberemus. Et ſicuti* SADOLETUS *ipſe in iiſdem Pontificiis Epiſtolis, ob Eccleſiaſtici ſermonis ſanctitatem majeſtatemque, omnium eruditorum judicio Bembum longo poſt ſe intervallo reliquit, ita propter quemdam latinæ dictionis veluti florem, quo a Collega ſuperatus fuiſſe videtur, eumdem* SADOLETUM *aut Bembo anteferre, aut ſaltem cum illo comparare poſſemus.*

Porro quas laudatus P. Lazeri Pontificiis SADOLETI *Epiſtolis abs ſe editis ſubjecit eruditas adnotationes, ad calcem volumini adponere, argument a vero Epiſtolarum, ipſis Epiſtolis præfigere maluimus.*

Quæ

Quæ autem idem editor præclarissimus in insignioribus SADOLETI *vitæ annis breviter designandis, enumerandisque ejusdem operibus, diligenter eleganterque est persequutus (a); ea fere omnia in adnotationibus reperies, quibus ipsius Cardinalis Vitam ab Ant. Florebello elegantissime scriptam (b), atque huic volumini præpositam, illustravimus; quasque ita ex* SADOLETI *Epistolis instituimus, ut temporis potissimum rationem habendam, annosque quibus insigniora saltem facta consignanda erant, designandos esse duxerimus. Nã præterquamquod ad historiam confert maxime hominis nosse gesta in magnis Reipublicæ muneribus diu multumque versati, est etiam doctis vi-*

(a) Miscellan. tom. 1. pag. 236. & seqq.

(b) Hinc cl. Philippus Bonamicus vir his in rebus acerrimi exquisitique judicii in Dialogo *de claris Epistolarum Pontificiarum Scriptoribus* pag. 117. „ Et Florebellus (inquit) cujus liber est de Vita Cardinalis „ Sadoleti accurate sane scriptus, Cornelium ille quidem Nepotem sequitur, & assequutus videretur, si „ nitidissimi auctoris lenitatem quandam orationis exprimere omnino potuisset, quam mirari licet omnibus, imitari ne paucis quidem „.

viris jucunditati, quorum ingenium admirentur, eorum eventus moresque cognoscere. Quare, ne quidquam ad perfectam rerum a summo viro gestarum cognitionem deesset, Fragmentum quoque sive Proemium operis, quod ipse SADOLETUS *meditabatur, adjecimus; propterea quod multa in eo de inita a se vitæ studiorumque ratione ab authore præclarissimo tradantur. Gravissimos etiam laudatores excitavimus, qui* SADOLETI *singularem eloquentiam, eruditionem, doctrinam posteris testatam reliquerunt, ut scilicet authoritatem, qua ipsi caremus, ex aliorum sententiis mutuaremur. Indicem quoque rerum memorabilium adjunximus, iis qui totum volumen perlegere noluerint propemodum necessarium. Denique nonnullis Antonii Florebelli superius laudati, iisque elegantissimis Epistolis nunc primum a nobis collectis, volumen hocce claudendum curavimus; præeunte de ejusdem Florebelli studiis,*

ami-

amicitiis, fortuna, rebusque gestis Cōmentario ex iisdem potissimum Epistolis a nobis breviter descripto. Quid in ceteris præstiterimus, eruditorum judicium esto. Illud certe omni ope perficere conati sumus, ut nihil eloquentiæ studiosis hominibus desiderandum in hac publicarum SADOLETI *Epistolarum editione relinqueretur; quam si illis acceptam fuisse cognoverimus, statim ad omnes Familiares tanti viri Epistolas duplo fere editis auctiores & in tria volumina distributas, eadem ratione evulgandas, studium nostrum operamque conferemus.*

SERIES

SIVE

CONSPECTUS RERUM OMNIUM

Quæ in hoc volumine continentur.

I. Antonii Florebelli de Vita JACOBI SADOLETI Cardinalis Commentarius. Notis auxit & illuſtravit Vinc. Alexander Conſtantius. pag. I.

II. Fragmentum operis JACOBI SADOLETI, quo ejus vita potiſſimum illuſtratur. p. CIX.

III. Selecta doctorum virorum de JACOBO SADOLETO, ejuſque ſcriptis Teſtimonia. pag. CXXI.

IV. Anonymi Epiſtola Nuncupatoria ad Præſulem Florentinum nunc primum edita. pag. CXLIII.

V. Index eorum ad quos datæ Epiſtolæ Pontificiæ. pag. CXLV.

VI. Series & argumenta Epiſtolarum Pontificiarum. pag. CXLIX.

VII. JACOBI SADOLETI Epiſtolæ Leonis X. Clementis VII. & Pauli III. nomine ſcriptæ. pag. I.

VIII. Novarum Epiſtolarum Appendix. p. 194

IX. Notæ in Epiſtolas Pontificias. pag. 205.

X. Index Rerum in Epiſtolis Pontificiis obviarum. pag. 233.

XI. Antonii Florebelli Vita a Vincentio Alexandro Conſtantio deſcripta. pag. 3.

XII. Antonii Florebelli Epiſtolæ nunc primum collectæ. pag. 15.

JACOBI SADOLETI
VITA.

NOTIS AUXIT ET ILLUSTRAVIT

VINCENTIUS ALEXANDER

CONSTANTIUS.

ANTONII FLOREBELLI
DE VITA
JACOBI SADOLETI
S. R. E. PRESBYTERI CARDINALIS
COMMENTARIUS.

JACOBUS SADOLETUS Mutinæ * natus est loco honesto, & urbe Cisalpinæ Galliæ inprimis nobili. Parens ei Joannes Sadoletus fuit: homo ea vitæ ac morum integritate, eaque juris civilis ac Pontificii scientia,

 ut

* *Natus est.*] Etsi omnes fere auctores, qui de Sadoleto aliquid literis mandarunt in natalitio ejus anno assignando rem non usquequaque acu tetigerint, facile tamen est non modo annum quo ipse natus est, verum etiam men-

ut judicari haud facile posset, utrum melior esset, an prudentior. Is cùm Fer-

mensem ac diem extra omnem dubitationis aleam statuere. Quum enim in ejusdem Sadoleti Epitaphio (quod inferius proferemus) legatur: VIXIT ANNOS LXX. M. III. D. VI. & decessisse eum constet XV. Kal. Novembr. an. 1547. calculo inito clarissime patet, eumdem natum fuisse IV. Idus Julii anno 1477. Colligitur id etiam ex ipso SADOLETO qui in Epist. 18. lib. V. data ad Angelum Collotium Carpent. an. 1539. testatur *annum se attigisse quinquagesimum* quum Romana direptio accidit, atque ipse Roma discessit. Jam vero quum ex epitaphio allato, dies fuerit ejus natalis IV. Idus Julii, & Romana clades acciderit prid. non. Maii, quando jam viginti diebus ante Romæ Sadoletus salutem dixerat, necesse est, si quinquagesimum annum non quidem expleverat, sed attigerat, ortum duxisse anno 1477. Verum, ne quis obiiciat, nos uti in re non dubia testibus non necessariis, animadvertendum est, annum ejus mortis ita tradi a multis atque in primis a Florebello, ut nondum ille ætatis annus decursus ab eo fuisse videatur. *Obiit annum agens septuagesimum*, ait Florebellus; *septuagesimum annum agens obiit*, scribit J. C. Capacius in Elog. p. 265. atque ita etiam Spondanus ad annum M. D. XLVII. num. XXVII. & Ghilinus Theatr. vol. I. p. 76. *Morì in Roma ornatissimo di tutte le virtù del mese d'Ottobre dell'an.* 1547. *nel* 70. *anno dell'età sua*. Disertius etiam Boissardus Icon. tom. I. num. XLIV. Quin imo Sammarthani in Gallia Christiana Tomo 2. pag. 497. (quod pariter in novissima Galliæ Christianæ descriptione factum est a Dionysio Sammarthano) Jacobum Sadoletum ortum narrant anno 1478. idemque habet Bailletus Judic. erudit. tom. 4. p. 3. num. 1280. Dupinius &c. A Ciacconio vero t. 3. col. 610. anno 1476. natus ponitur. Hos ideo omnes, & qui eum anno LXX. nondum completo diem suum obiisse affirmant, superius erroris manifesti convincendos duximus, tum ex Epitaphio, tum ex ipsius Sadoleti Epistola.

Ferrariæ, ubi apud Herculem ejus civitatis Ducem, authoritate & gratia multum valuit, jus civile magnis præmiis, majore nominis sui celebritate & laude publice * doceret, filium suum iis disciplinis ac literis, quibus puerilis imbui ætas solet, diligenter instituendum curavit. Erant tum in ea urbe omnium liberalium artium magistri ac doctores egregii. In his Nicolaus Leonicenus, qui non scientia solum medicæ artis excelluit, sed philosophiam etiam magna cum laude ** professus est. Eum Jacobus pene etiam puer Aristotelis libros de moribus publice interpretantem audiit. Tantum enim jam pro-

* *Doceret*.] De majoribus suis ipse Sadoletus hæc Hippolito Cardinali Estensi narrat in Epist. 19. lib. XII. data Carp. an. 1539. ,, Maximum porro (inquit) illud ,, meæ in te observantiæ & voluntatis vinculum, quod ,, sub ditione familiæ vestræ omnes mei fere & nati & ,, educati, neque solum hi qui nunc sunt, verum etiam ,, antea qui fuerunt, & suam ipsi fidem constanter at- ,, que integre vobis præstiterunt, & a vobis civilibus ,, sæpe honoribus & præmiis, virtutis causa sunt ho- ,, nestati ,,.

** *Professus est*.] Condiscipulum habuit Bembum sub eodem Leoniceno, ut Bembus eidem Sadoleto scribens narrat Epistolar. fam. lib. III. Epist. 19.

pter admirabilem ingenii vim profecerat, ut qua ætate ceteri laborare in linguis discendis solent, ea Græcas ipse & Latinas literas egregie callens, nobilissimi omnium philosophi præcepta cognosceret. Hunc tali ingenio præditum, atque ita institutum, pater amplecti juris civilis studium voluisset (plerunque enim hoc fit, ut parentes quibus ipsi artibus & studiis dediti fuerint, eisdem liberos suos operam dare cupiant) sed tamen naturæ eum, & studiis suis obsequi passus est. Etenim egregius adolescens majorum, jam & graviorum artium studio tenebatur: eloquentiæ enim & philosophiæ amore exarserat. Itaque Ciceronem sibi, & Aristotelem penitus cognoscendos proposuerat: quorum ex altero philosophorum omnium principe, rerum cognitionem, ex altero Latinæ eloquentiæ parente, orationis elegantiam & copiam hauriret. Nec vero non poetices etiam studiosus fuit: in qua quidem quan-

quantum excellere potuerit, si ei se studio penitus dedere voluisset, complura quæ ab eo adolescente facta sunt poemata declarant: atque illud inprimis, quod *Curtius* inscribitur: ex quo intelligi licet, gravem eum, & grandiloquum (ut ita dicam) poetam * evasurum fuisse. Is cum ætate jam aliquantum pro-

* *Evasurum fuisse*.] Veram fuisse Florebelli vocem, ostendunt virorum doctorum de Sadoleti poematibus judicia, quorum nonnulla inferius post vitam in medium proferemus. Scripsit autem Sadoletus poema quod heic laudat Florebellus, antequam Romam se conferret, hoc est ante an. 1503. Hoc aliaque præterea ejus carmina *de Lacoontis statua*, *& ad Octavium & Fredericum Fregosos* edita sunt tom. 2. Carmin. Illustr. Poetar. quæ Joan. Matthæus Toscanus recensuit pag. 113. edit. Parisien. Item in *Delit. Italor. Poetarum collectore Ranutio Ghero* part. 2. pag. 582. & *Carmin. Illustrior. Poetar. Italor.* edit. Florentiæ 1721. tom. 8. pag. 228. Eadem reliquis Sadoleti operibus editis Moguntiæ anno 1607. Tom. uno in octavo, & Veronæ an. 1738. tomo 4. in quarto: atque in hac recentiori editione Veronensi, additur etiam Epigramma ex libro *Coryciana*. Verum non est prætereundum, *Curtium* poema illud a Sadoleto missum Angelo Ubaldo, adjecta Epistola, quæ in Moguntina ac Veronensi editione desideratur; quamque nos in hacce nostra SADOLETI Epistolarum editione proferemus, quemadmodum præfixa reperitur eidem Poemati edito a Veneta Accademia in libro, qui inscribitur: *Duo tum gravissima tum lepidissima poemata heroica Illustrissimi Jacobi Sadoleti, & Francisci Sfondrati, quorum alterum inscribitur Curtius, alterum vero de raptu Helenæ. In Academia Veneta* M. D. LIX.

cessisset, & ipsam ætatem virtute ac doctrina longe anteiret, patris voluntate Romam se contulit, * Alexandro Sexto Pontifice Maximo. Amplissimi tum Romanæ Ecclesiæ ordinis virtute atque existimatione princeps, & erat, & omnium judicio habebatur, ** Oliverius Carafa Neapolitanus: ab eo cupidissime statim

* *Alexandro VI. P. M.*] Pontificatum tenuit Alexander ab anno 1472. ad ann. 1503. Non multo ante hunc postremum Alexandri annum eum Romam venisse, liquet ex Bembi Epistola 21. lib. III. Romæ ergo quum esset, Scipioni Carteromacho, qui latino nomine sive potius Italico *Fortiguerram* se voluit appellare, vel eum alii ita nominarunt, Græcarum literarum doctori, operam dedit. Id ipse scribit in Epist. 18. lib. v. ad Angelum Collotium, quocum una cum ceteris doctissimis viris amicitiam ea tempestate conjunxisse liquet.

** *Oliverius Carafa Neapolitanus.*] Reddebant quidem ea tempestate Romæ inter ceteros clarum Cardinalem Carafam Francisci Diomedis Carafæ Magdaloni Comitis filium, non modo illustres majorum imagines, sed propria omnium ornamenta virtutum. Hic postquam litterarum studiis, ac juris præsertim utriusque facultati egregiam operam navasset, Canonicus primum fuit Neapolitanæ Ecclesiæ; cujus postea Archiepiscopus a Pio II. die 18. Novembris anno 1458. est renunciatus. Inde precibus Ferdinandi Regis Neapolitani, in amplissimum Cardinalium Collegium cooptatus a Paulo II. Pont. Max. die 18. aut 20. Septembris anno 1467. deinde a Sixto IV. ad Ferdinandum Regem Neapolitanum legatus de latere semel atque iterum missus, mox ab eodem Pontifice Legatus itidem ac Dux maritimæ

tim in fidem & contubernium receptus eſt: atque hoc primum prudentiæ ſpecimen ea in urbe dedit, quod ad eum ſe potiſſimum contulit, non qui opibus & divitiis maxime præſtaret, (multi enim Romæ tum ditiores opulentioreſque ejus ordinis viri erant, quorum illi omnium domus patuiſſent) ſed qui integritate, qui prudentia, qui religione

a 4

timæ adverſus Turcas claſſi præfectus; in tantis reipublicæ muneribus egregie obeundis, magnum ſtrenui prudentiſque viri nomen ſibi comparavit. Præterea idem Pontifex Sixtus IV. eum Epiſcopum Theatinum nominavit. Cajacenſi quoque aliquando præfuit Eccleſiæ, quam poſtea in manibus Julii II. Romani Pontificis reſignavit. Ariminenſis ac Terracinenſis Epiſcopatuum quoque aſcitus eſt adminiſtrator an. 1496. & 1507. At poſt tres annos Terracinenſi nuncium remiſit; & Ariminenſem uſque ad obitum retinuit. Quamvis enim an. 1497. hac ſeſe exſolviſſet Eccleſia in favorem Vincentii nepotis; illo tamen ad Archiepiſcopatum Neapolitanum translato, Ariminenſis Eccleſiæ adminiſtratio rediit ad Oliverium, eamque uſque ad obitum retinuit. Obiit autem anno 1511. ſive ut Ughellio placet 1512. quum fuiſſet Epiſcopus Albanenſis, Sabinenſis, Oſtienſis, ac Velitranus, & Sacri Collegii Decanus; ejuſque oſſa condita ſunt Romæ in Eccleſia S. Mariæ ſupra Minervam in ſacello S. Thomæ a ſe ornato. Qui plura de hoc Cardinali ſcire deſiderat, præter Ciacconium ejuſque continuatores tom. 2. col. 1097. adeat Ughellium in Italia ſacr. Chioccarellum de Archiep. Neapolitan. Bernard. Coirum in Hiſt. Mediolanen. & Antonium Summont in Hiſt. Neap.

gione ceteris antecelleret. In ejus castissima domo multos annos ita vixit, ut & ad optimarum artium studia assidue incumberet, & cum reliquis omnibus, tum illi gravissimo viro probatissimus esset: a quo etiam honesto in urbe Roma * sacerdotio ornatus est. Erat autem in eo juvene præter excellens ingenium, incredibilis quidam pudor, ac singularis modestia: quæ non modo in ejus sermone extabat, sed in vultu etiam ipso, & oculis eminebat. Commendabat eum præterea omnibus iis, qui illum nossent, gravitas quædam, major quam quæ ab illa ætate postulanda esset, eximia humanitate temperata. Referta tum ea urbs erat

* *Sacerdotio ornatus est.*] Sacerdotium hoc quod Oliverii Card. Carafæ precibus a Julio II. Pont. Max. obtinuit SADOLETUS, est *Canonicatus*, ut vocant insignis vetustissimique Templi SS. Laurentii & Damasi. Id colligi videtur ex Pet. Bembo, qui in libro de Guido Ubaldo Feretrio, & Elisabetha Gonzaga Urbini ducibus hæc habet. „ Et SADOLETO quantum tribueret „ (*Julius II.*) quanti ejus incredibilem probitatem, „ præstantissimamque doctrinam faceret, quamque sibi „ culta ejus splendentiaque poemata probarentur, „ ostendit Sacerdotio illi tradito Romæ templi honestissimi Laurentiani „.

erat eruditissimis, & in omni doctrinæ ac literarum genere præstantissimis hominibus. Eos ille omnes celeriter amicitia & consuetudine comprehenderat, ex quo celebre jam ejus nomen, & principibus quoque viris, iis præsertim, qui eisdem studiis delectabantur, notum erat: quorum brevi tempore omnium gratiam sibi & benevolentiam conciliavit: in primis autem * Federico Fregosio Salernitano Pontifici fami-

* *Federico Fregosio Salernitano Pontifici.*] Fuit his natione Italus, patria Genuensis, Augustini Fregosii ex Gentili Montefeltria Guidubaldi Urbini Ducis Sorore filius, frater Octaviani Genuæ Principis; qui quum divinarum humanarumque literarum scientia unus omnium maxime floreret, ac pietate, religione, profusa in pauperes liberalitate magnopere excelleret, dignus a Paulo III. Pont. vere maximo habitus est, ut in amplissimum Cardinalium Collegium cooptaretur: idque factum est die 12. Decembris anno 1539. quum jam Salernitanam primum, ac deinde Eugubinam Ecclesiam in administrationem accepisset a Julio II. Pont. Max. anno 1508. die 28. mensis Julii. Scripsit Fregosius Cardinalis librum de modo orandi, meditationes in Psalmum trigesimum & quadragesimum quintum supra centesimum, orationem ad Januenses, & Epistolas aliquot ad Sadoletum, Cortesium, aliosque. Extremum diem clausit Eugubi die 22. Julii an. 1541. eumque mortuum laudavit SADOLETUS noster funebri Homelia, quæ extat inter ejusdem SADOLETI opera; extatque ejus-

liaris fuit, viro cum genere ac nobilitate, tum virtute doctrinaque præstanti: cujus etiam contubernio aliquandiu post Oliverii Carafæ obitum, una cum * Petro Bembo optimo & doctissimo viro usus est. Ho-

ejusdem SADOLETI carmen ad Federicum & Octavianum Fregosios fratres. Ejus vitam habes apud Ludovicum Donium d' Attichy in Flor. hist. Card. tom. 3. pag. 255. & Ciacconii continuatores tom. 3. col. 660. Ejus cum laude meminerunt Ubertus Folieta in Elogiis clar. Ligur. Ferdinand. Ughellius in Italia sacra, Guicciard. in Hist. Italiæ, Felix Contelorius in Elencho, aliique.

* *Petro Bembo optimo & doctissimo viro usus est.*] Tanta est apud omnes de Petri Bembi doctrina, eruditione, eloquentia nominis celebritas, ut de eo aliquid hoc loco dicere, supervacaneum esse omnino videatur. Illud sufficiat animadvertere inter doctissimos viros, quibus tunc temporis abundabant Athenæ Venetæ, principem ei locum assignari ab Erasmo in Epistola MCCXIII. data anno 1532. ad Vigilium Zuichemum. Is adita Italia eruditionis causa, Patavio Erasmo scribens, mirifice extulerat Egnatium. Hujus quidem commemorationem sibi admodum jucundam accidisse Erasmus respondet, quod eum virum *ad unguem factum* admodum amaret: at subdit se mirari, in literis illis Bembi non meminisse, *quem audio* (inquit) *isthic omnium felicium ingeniorum agere patronum*. Quoniam vero ex iisdem Zuichemi literis Erasmus didicerat, istum cum Ciceronianorum turba velitari; & justo sese parare conflictui, satis sapienter quid ea de re sentiret, Erasmus explicavit, maxime scilicet sibi cum Ciceronianis convenire, si nil aliud velint, quam ut juvenes ad imitationem sese componant; ab iisdem vero se

Horum inter ſe amicitia Romæ poſtea maxime illuſtris fuit. Etenim jam inde ab eorum adoleſcentia inſtituta, per omnes ætatis atque honorum gradus, uſque ad ſummam ſenectutem ſanctiſſime conſervata eſt: erat enim virtute, & ſtudiorum ſimilitudine, firmiſſimis animorum vinculis, juncta & conſtituta. Jam quantopere Sadoletus eo tempore virtutis & eloquentiæ gloria floreret, ex eo facile judicari poteſt, quod * Leo Decimus, acerrimo ingenio, & gra-

ſe diſcrepare, ſi ne hilum quidem a Cicerone recedendum, neque quidquam ab aliis, licet probatis auctoribus ſumendum arbitrentur. Paſſim Eraſmus tum in Epiſtolis, tum præſertim in Ciceroniano ſuo, & in aliis quoque libris adverſus ſectam ab ipſis inſtitutam invehitur, & præcipue Chriſtophorum Longolium, ceu ejuſdem ſectæ principem redarguit. Bembo tamen parcit æque ac SADOLETO, eos haud dignos reputans, qui turbæ miſceantur. Verum, ut ad Bembum revertamur, quum nuncius de ejus obitu Sadoletus recepiſſet (obiit autem Bembus eodem anno 1547. quo Sadoletus, paucis ante menſibus) ſcripſit Gabrieli Paleoto v.non.Febr. ejuſdem anni Epiſt. 14. lib. XVI. „ Nihil mihi potuit „ eveniſſe acerbius, quam divelli ab eo, cujus ego „ amicitiam fraternamque conjunctionem quatuor & „ quadraginta annos inviolatam tenueram „. Nimirum ab anno 1503.

* *Leo X.*] Hic anno 1513. v. Id. Martii Pontifex re-

& gravissimo judicio princeps, simul ac creatus est Pontifex Maximus, eum statim, & Petrum Bembum ex omni doctorum hominum copia delegit, quorum in conscribendis epistolis opera & ingenio uteretur: quod apud Romanos Pontifices munus longe * honestissimum est. Is autem eo ita munere functus est, ut

renunciatus, quum ad fovenda optimarum artium studia animum convertisset, Cosmi proavi, & patris Laurentii exemplo: „ Ante omnia (inquit Jovius in ejus „ vita lib. 3.) ab Epistolis singulari judicio sibi de- „ sumpsit Petrum Bembum & JACOBUM SADOLETUM, „ qui ceteros omnes litteratos Romanæ eloquentiæ lau- „ dibus anteibant „. Hoc illis munus Leonem demandasse antequam e *Conclavi* exiret, testatur ipsemet Bembus in fine Venetæ historiæ hisce verbis: „ Joan- „ nem Medicem annos natum triginta septem Ponti- „ ficem Maximum creaverunt, isque, priusquam e „ Conclavi exiret, me & JACOBUM SADOLETUM, qui „ Romæ tunc eramus sibi ab Epistolis adscivit „.

* *Honestissimum est.*] Est hic honestissimus ille locus, quem tenuisse se apud Leonem, Georgio Saxoniæ Duci narrat in Epist. I. lib. XI. data Romæ XIV. Cal. Julii an. M. D. XXXVII. & in proemio lib. *de Republica Christiana* ad calcem hujus Commentarii adjecto; (cujus quidem fragmentum primum edidit *Epistolæ* nomine Philippus Bonamicus in lib. de claris Pontificiarum Epistolarum Scriptoribus pag. 225. deindeque absolutius Petrus Lazeri Soc. Jes. tom. I. Miscellan. ex manuscriptis Biblioth. Colleg. Romani pag. 608.) in hoc, inquam, proemio SADOLETUS: „ Sequuta sunt (ait) „ tem-

ut non ingenio modo, & scribendi facultate, qua nemo ætate nostra ad illam antiquorum scriptorum laudem propius accedere * existimatus est: sed

„ tempora cum a Leone X. primum, deinde a Cle„ mente VII. Pontificibus maximis ad negotia publica „ vocatus, factusque Epistolarum principalium, h. e. „ earum, quæ vel ad reges a Pontifice summis de re„ bus mitterentur, vel a regibus eisdem ad Pontificem „ afferrentur, & lucubrator & custos. Quod munus „ magni sane in urbe & honoris & nominis, superio„ ribus temporibus Magisterium Scrinii, nunc a populo „ Romano Secretarium domesticum appellari video „. Inter Petri Bembi Epistolas Leonis X. Pont. Max. nomine scriptas, una extat lib. IX. num. 28. ejusdem Pontificis ad Alphonsum Ferrariensium Ducem, in qua JACOBUM SADOLETUM sibi ab Epistolis laudans, Tadeum Gilinum SADOLETI sororis virum, eidem Duci commendat. Hoc est autem hujus Epistolæ exemplar: „ JACOBUM SADOLETUM civem tuum, cujus egregia „ & fideli opera scribendis epistolis quotidie utor, ob „ ejus excellens atque præclarum ingenium, optima„ rumque artium singularem doctrinam, & præstan„ tem omni virtutum genere animum, magnopere amo, „ facioque sane plurimi. Ejus sororis vir, Tadeus Gi„ linus, cupit impetrare abs te magistratum aliquem „ tuis in locis, quem triennium aut biennium exer„ ceat: ut & honestius eos dies traducere, & fami„ liam suam alere facilius atque commodius possit. Ita„ que te non solum hortor, sed etiam rogo, velis „ præclari hominis mihique charissimi propinquo, pru„ denti, ut intelligo, viro, & virtute prædito sa„ tisfacere: qui tamen rem omnem desideriumque suum „ tibi coram ipsemet diligentius explicabit. Dat. quin„ to Id. Sept. Anno secundo. Roma.

* *Existimatus est.*] Testantur id Sadoleti Epistolæ scri-

pta

ſed induſtria etiam & fide Principi illi maxime ſatisfaceret. Itaque apud eum authoritate & gratia multum valuit: & ea re facillime augere honeſtatem & facultates ſuas potuit: verum uſque eo ab hac cupiditate remotus atque abhorrens fuit, ut (quod vix credibile viſum iri puto, his præſertim temporibus & moribus) nullum ſibi unquam ſacerdotium a liberaliſſimo, & ſui amantiſsimo Pontifice petierit: cum tamen amicis ſuis probis idoneiſque hominibus, & alienioribus etiam, permulta & peteret & impetraret. Tanta idem abſtinentia fuit, ut cum pro loci ejus quem apud Principem tenebat authoritate, munera ei multa & ampla mitti ſolerent, ea ſemper repudiarit. Hac ille continentia ita

ptæ nomine Summorum Pontificum Leonis X. Clementis VII.& Pauli III. quæ primum hoc volumen nonnullis aliis adjectis conficiunt. Eas in Miſcellaneor. ex manuſcriptis libris Bibliothecæ Collegii Romani Societatis Jeſu Tomo I. an. 1754. publici juris fecit vir cl. Petrus Lazeri ejuſdem Bibliothecæ præfectus: quo quidem nomine doctiſſimo illi viro, & publice cum univerſa literatorum republica, & private plurimum ſane debemus.

ita delectabatur, ut plerique pecunia, aut elegantiore veste ac supellectile delectari solent. Sua porro commoda negligentem, aliorum utilitati inservire, eum authoritatis & gratiæ fructum esse putabat maximum. Cum profectus esset, voti & religionis causa ad Lauretanæ Virginis templum, Carpentoractensis Ecclesiæ Pontificatus in Gallia vacavit: eum delatum ultro sibi absenti a Pontifice Maximo * aliquandiu recusavit: cum interea eundem Leo flagitantibus aliis denegasset. Ut rediit, diutius illi eum recusare non licuit. Itaque ut illud magni animi fue-

* *Aliquandiu recusavit.*] Affirmat id ipsemet SADOLETUS tum in Epistola 12. lib. XII. ad Paulum III. data Carpent. XII. Cal. Febr. 1545. tum in ea lib. XV. num. 12. quam paucis ante diebus, hoc est XIV. Cal. Februar. scripsit Joanni Toletano Cardinali & Episcopo Burgensi: in hac inquit „ Postea voti causa ad Lauretanum divinæ Virginis templum profectus, cum absens a Leone Episcopus pronuntiatus essem, ut primum in urbem redii, onus illud a me, quoad potui, excutere conatus sum „. In illa vero ad Paulum III. „ Pronuntiatus sum (ait) a Leone Episcopus cum essem absens. Hoc quoque meminit profecto Sanctitas tua, recusasse me illud onus, quoad potuerim, & quietam ac privatam vitam honoribus semper præferre cupiisse „.

fuerat, tam honestum sacerdotium ultro a Pontifice Maximo delatum, a se reijcere: ita hoc moderati & Christiani, vocanti ad ejusmodi munus Deo, * obtemperare. Hoc ille sacerdotium adeptus, primo quanta maxima potuit absens diligentia, commissam sibi Ecclesiam per idoneos homines rexit. Post cum ex hac vita ** Leo excessisset, statim rebus Romanis relictis, *** Carpentoracte migravit eo consilio, ut populis

* *Obtemperare.*] Carpentoractensis Ecclesiæ Pontificatum illi fuisse delatum anno M. D. XVII. tradit Dionysius Sammarthanus Tom. I. Gall. Christ. col. 910.

** *Leo excessisset.*] Obiit autem Kalend. Decembris an. 1521. & sequente anno V. Idus Januarii creatus est Pontifex Maximus Hadrianus VI.

*** *Carpentoracte migravit.*] Magnum sane mihi negocium facessit, quod heic ait Florebellus, SADOLETUM scilicet post Leonis Pontificis obitum, quod an. 1521. contigisse vidimus, *statim rebus Romanis relictis, Carpentoracte migrasse.* In epistola enim data Carpent. Idib. Junii an. 1523. narrat Card. Ægidio se Carpentoracte venisse post quartum & trigesimum diem quam Roma discesserat. Quum autem hæ literæ, ut legenti constabit, scriptæ sint, quum recens Carpentoracte venisset, facile colligitur discessum SADOLETI ex urbe a Florebello statim post obitum Leonis statum, rejiciendum esse ad annum 1523. Id etiam confirmare videtur Hieronymus Niger, qui in Epistola data VII. Idus Aprilis an. 1523. ad M. A. Michaelem, quæ

pulis fidei suæ creditis boni & diligentis Episcopi officium præstaret: neque principibus amplius, sed Deo uni, & rectissimis suis studiis inserviret. Exceptus est adventus ejus maxima lætitia & gratulatione illorum hominum: tantam illis jam absens de se opinionem, expectationemque commoverat: cui tamen expectationi postea egregie satisfecit. Nam & rebus divinis procurandis, & vitæ innocentia, & admirabili in primis quadam in eos homines charitate, optimi & religiosissimi Episcopi munus obiit. Vixit in ea vitæ quiete ac tranquillitate quoad Hadrianus Pontifex Maximus, qui Leoni successerat, vixit. Creato enim post

quæ extat Tom. 1. Epistolar. ad Princip. SADOLETI Româ migrationem veluti instantem describere videtur, cum præclaro ejusdem urbis erga eum benevolentiæ testimonio hisce verbis. „ Pur il nostro amantissimo Mon„ signor SADOLETO se ne và con sommo dispiacere di „ questa corte. E credo che se in questi tempi si ser„ vasse l'usanza antica di mutar le vesti per mestitia, „ egli non trovaria forse manco di ventimila huomini, „ che lo facciano, si come trovò M. Tullio. Pare ad „ ogni huomo da bene, che la bontà e la virtù di Roma „ se ne vada insieme con sua Signoria, ed in vero „ così è.

poſt Hadriani mortem * Clemente Septimo Pontifice Maximo, ab ipſo ſtatim evocatus, accerſituſque eſt; quem cum eximie diligeret, multiſque & magnis ejus officiis obſtrictus eſſet: quin ei pareret, tam amanter & tam acriter evocanti, facere non potuit: neque adeo rectum, neque fas eſſe exiſtimavit, tam benemerito de ſe Pontifici, præſertim optimum animum in Chriſtianam Rempublicam præſeferenti, operam ſuam denegare. Itaque etſi invitus fecit, ut ab Eccleſia ſua diſcederet: tamen ad eum ſe contulit: verum ea lege, ut ne plus triennium abeſſet: utque eo exacto tempore, remigrare ſibi Carpentoracte voluntate ipſius ** liceret. Roma igitur cum ve-

* *Clemente VII. Pontifice Maximo.*] Accidit id XIII. Kalend. Decembris, anno M. D. XXIII.

** *Liceret.*] Narrat id ipſe SADOLETUS in Epiſtola ad Joan. Toletanum hiſce verbis. „ Facto (inquit) „ Pontifice Clemente, ſtatim ab illo evocatus ſum, „ cui optime antea de me merito fidem operamque „ meam denegare non potuit. Hoc cum eo tamen pactus, ut operam illi meam triennium navarem; „ quod reliquum vitæ meæ tempus, non jam homini-

„ bus,

venisset, versatus est in intima ejus Pontificis amicitia & familiaritate. Nec vero ingenio hominis solum Clemens, sed consilio etiam in administranda republica usus est. Ad deliberationes eas, quas habebat de maximis & gravissimis rebus, eum una cum aliquot aliis amicis adhibebat: curas illi omnes & cogitationes suas impertiebat: tantum denique ejus fidei, tantum prudentiæ tribuebat, ut multa quæ ad Christiani nominis quietem, & ad morum ac disciplinæ publicæ correctionem pertinebant, ejus potissimum admonitu & consilio sibi agenda constitueret. Atque utinam is Pontifex ea quæ interdum præclaro quodam animi impetu agere meditabatur, ad

„ bus, sed uni Deo in Ecclesiæ meæ custodia tribnere „ statuissem. Quod ille, ut erat natura bonus, & „ mihi pollicitus est, & præstitit „. Idem ferme in Epistola Paulo III. quam superius laudavimus, nisi quod conditionem illam, sive pactionem omittit. „ Factus est (ait) Clemens Pontifex. Is statim vehementer a me contendit, ut me ad eum conferrem. Itaque Romam reversus sum. Non potui enim Pontifici optime de me merito operam & obsequium meum „ denegare „.

ad exitum perduxisset : profecto cum universa Christiana Respublica meliore loco esset ; tum ipsa Italia , atque urbs Roma , eas quibus postea afflicta oppressaque est, calamitates effugisset . Non enim in eo Pontifice rectum in Republica sensum requisivisses : constantiam potius , & perseverantiam majorem in bonis consiliis desiderasses . Itaque cum salutaribus Sadoleti consiliis sæpe usurus esse videretur , flectebatur postea aliorum quorundam , qui longe plurimum apud eum poterant , oratione . Intimus erat Pontifici illi Maximo Sadoletus : amplificandæ fortunæ ac dignitatis suæ facillimam rationem in manibus habebat : colebatur præterea , & magno honore afficiebatur ab omnibus: pro sua tamen in Rempublicam voluntate , nullam commodorum suorum rationem ducens , ex ea temporum ac rerum perturbatione , maximo animi dolore assidue tangebatur : qui quidem ad extremum , cum rem in

eum

eum locum adductam intelligeret, ut nihil bene monendo & ſuadendo proficere amplius poſſet: ſtatuit, quando Reipublicæ prodeſſe jam nihil poſſet, ſuæ ſaltem Eccleſiæ proſpicere atque conſulere. Itaque cum operam ſuam triennium jam Clementi ſumma cum fide & integritate * navaſſet: etſi nonnulla concordiæ & compoſitionis ſpes inter eum Pontificem, & Carolum Imperatorem allata erat, jamque inter eos induciæ pactæ fuerant: tamen in ſententia permanſit. Nec vero non movebatur animo, cum ab eo Pontifice eſſet diſceſſurus, quem cum ob eximiam quandam ejus humanitatem, tum ob perpetuam erga ſe

* *Navaſſet.*] In hoc *triennii* tempore aſſignando, quod neceſſe quidem fuiſſet aliquanto liberalius supputare, Florebellum omnino decipi; ipſe SADOLETUS me inducit ut credere valeam. Quum enim Leo X. in Pontificatu confecerit annos octo, & menſes inſuper octo, dieſque viginti, & SADOLETUS ipſe in proemio operis *de Rep. Chriſtiana*, affirmet, annos XIII. *Epiſtolarum Principalium lucubratorem cuſtodemque fuiſſe*, Pontificibus Leone, & Clemente; ſequitur neceſſario quatuor ſaltem annorum ſpatio, non autem *triennio*, ut ait Florebellus, eo munere apud Clementem VII. fuiſſe functum.

se benevolentiam mirifice amabat. Sed cum cogitaret quanto Ecclesiæ suæ officii ac necessitudinis vinculo obstrictus esset, cumque Carpentoractensis populi desiderium ferre diutius non posset, longiorisque in urbe Roma commorationis causam, ambitionem jam potius, quam officium visum iri suspicaretur, omnino sibi abeundum esse statuebat: cujus justæ voluntati ac precibus, ad extremum Clemens * cedere coactus est. Comprobavit ejus consilium is profecto qui intimos hominum sensus perspicit, neque unquam non re-

* *Cedere coactus est.*] Anno Clementis quarto in Ecclesiam suam rediisse, ipse SADOLETUS Paulo III. scribit. Anno ergo 1527. & quidem xv. Kal. Maj. (ut paullo inferius constabit) urbem reliquit. Iter autem suum ita describit in Epist. 1. lib. 1. ad Matthæum Gibertum data xvi. Cal. Junius an. 1527. ,, Nos a portu Centumcellis Nicæam usque navibus pervecti fuimus, nihil ipsa illa, quod appareret, maris agitatione offensi; cum ceteri omnes fere, qui erant mecum, gravi nausea conflictati essent. Niceæ duos dies mansimus. Inde digressi a Valdemontio, cujus mihi humanitas magnæ voluptati fuit, jumentis pretio coactis iter terra fecimus: septimo die Nicæa pervenimus Carpentoracte ad diem v. non. Maii ,, Magna populi lætitia & gratulatione exceptum, sequentibus in Epistolis narrat.

rectis bonorum voluntatibus favet, Deus. Etenim tam opportuno tempore discessit, ut vix dies viginti ab ejus discessu intercesserint, cum urbs Roma, decepto a Caroli ducibus per inducias Clemente, absente ipso ignaroque (ut opinio fuit) Carolo, capta atque * direpta est: ut is singulari Dei erga se beneficio horribili illi cladi subtractus fuisse videatur. Tum vero, quanquam sero intellectum est, quam & prudenden-

* *Direpta est.*] „ Roma igitur profectus (scri„ bit ipse Sadoletus Julio Toletano) viginti diebus ipsis „ antequam urbs caperetur, eo animo Carpentoracte „ redii, ut hic domicilium non solum corporis & for„ tunarum, sed omnium rationum consiliorumque meo„ rum, totius denique meæ vitæ perpetuum colloca„ rem „. Et in literis Duci Saxoniæ, datis Romæ XIV. Cal. Julii an. 1537. lib. XI. epist. I. „ Hic ego „ (inquit) spe erepta, posse amplius per me Reipu„ blicæ consuli; privatum autem meum commodum, „ neque in honore, neque in fortuna admodum quæ„ rens, potiusque eligens & Deo & mihi, & peculia„ ribus populis meis satisfacere, trans Alpes me meam „ ad Ecclesiam Carpentoracte contuli, adjutus tum „ etiam singulari Dei beneficio, quod viginti diebus „ ipsis ante Roma sum egressus, quam cladis horribi„ lis ac direptio huic urbi incideret „. Incidit ea clades pridie Nonas Maii anno 1527. irrumpentibus in urbem hostibus per Sixti pontem sub occasum solis. Hujus autem cladis historiam latinis literis mandavit Cæ-

denter ſentire Sadoletus, & fideliter monere ſolitus fuiſſet. Ille enim & initio diſſuaſor belli adverſus Carolum, & poſtea deponendorum armorum aſſiduus hortator, paciſque quibuſvis conditionibus accipiendæ author ſemper extiterat: qui quidem cum ſæpe alias, tum eo tempore, quo Chriſtianis Principibus inteſtino bello implicatis, bellum a Turcarum Rege Pannoniæ illatum eſt, cum regnum illud, quod Chriſtianæ Reipublicæ firmiſſimum ad eam diem propugnaculum fuerat, maximo in diſcrimine verſaretur: honeſtiſſime ab ipſo Pontifice Maximo pacis mentionem fieri, & de deponendis ac potius abiiciendis armis agi poſſe cenſuit: idque eum admonere non deſtitit. Sed nimirum Deus nobis ob

Cæſar Glorierius Gallus. Sed ut ad SADOLETUM revertamur, colligitur ex his, eum xv. Kalend. Maii Roma exceſſiſſe. Venit autem Carpentoracte ad diem v. Non. Maii, ut ipſemet ſcribit Matthæo Giberto Veronenſium Antiſtiti, xvi. Cal. Junias an. 1527. lib. 1. epiſt. 1. eademque die Lazaro Bonamico, lib. 1. ep. 2. & III. Non. Novembris ejuſdem anni Petro Bembo lib. 1. epiſt. 3. aliiſque.

ob peccata nostra iratus atque infensus, cum illa urbi Romæ ac sacerdotum ordini infligenda plaga, nos ut resipisceremus, admonere statuisset: eam illi Pontifici mentem minime dedit, ut tam honestam constituendæ concordiæ occasionem arriperet. Clade hac cognita, Sadoletus eum quem par erat dolorem cœpit, cum urbis longe omnium nobilissimæ direptione & vastitate vehementer doluit, tum varii & graves multorum clarorum virorum, ac sibi amicissimorum hominum casus, quos tempestas illa oppresserat, inprimisque ipsius Pontificis Maximi calamitas magnum illi * mœrorem attulit. Non tamen angoribus

 sese

* *Mœrorem attulit*.] Summo quidem, audita Romana direptione affectus est dolore SADOLETUS, cum urbis ipsius causa, tum Romani Pontificis: „ Cum & is „ Pontifex, (inquit in laudata Epistola 3. lib. 1. ad „ Bembum) in crudelissimorum hostium venisset pote„ statem, quem ego summe amarem, & ea urbs op„ pressa esset ac direpta, a qua ego essem & fortunæ „ meæ subsidia, & artium optimarum ornamenta, si „ quæ modo sunt in me, omnia consecutus „. Plura hac de re scribit Hieronymo Nigro, Jo. Francisco Bino in

ſeſe dedidit: ſed cum Pontifici Maximo, ac multis præterea amicis tali eorum tempore literas amiciſſime & prudentiſſime ſcriptas miſiſſet: tum ipſe

in Epiſtola Italica, aliiſque: addit etiam de privatis calamitatibus ſuis atque amicorum; „ Nam me, etſi „ eadem quæ tam multos peſſumdedit, fortuna afflavit, quod meis & meorum familiarium non tam fortunis, quam reliquiis veterum fortunarum amiſſis, „ omnes ad me nudi, atque egentes convolaverunt, „ &c. „ Idem ferme Thomæ Cardinali Cajetano in Epiſt. 13. lib. 2. data Carpent. Nonis Novembris an. 1529. Atque Eraſmus quidem ad eum ſcribens in Ep. data anno 1528. (quæ eſt xxv. in ejus Epiſtolar. collectione lib. xxii.) dolet *periiſſe magnam partem Sadoleti ipſius*, ut ipſe ſcribit, *videlicet Bibliothecam utriuſque linguæ monumentis exquiſitiſſimis opulentam*. Imo id Eraſmo narrat SADOLETUS in Epiſt. 11. lib. 1. data Carpent. xii. Calend. Decembris an. 1528. „ Meas, (inquiens) „ fortunas omnes acerba mihi urbis fortuna eripuit. „ In his ipſam Bibliothecam, quam ego Græcis & Latinis libris magna diligentia undique comparatis referſeram, quæ omnium fuit, ut & tu exiſtimas, & „ & ipſe ſentio jactura graviſſima „. Atqui falſum hunc direptorum librorum rumorem ad eum perveniſſe dici poſſet, quod contrarium ſcribat Hieronymo Nigro in literis datis Carp. v. Id. Septembris anno 1527. lib. 1. ep. 5. niſi Epiſtola Eraſmi poſt hanc ad Nigrum ſcripta fuiſſet. Utcumque ſe res habuerit, hæc SADOLETUS Nigro in literis laudatis: „ Cum direptis rebus „ ceteris, libri ſoli ſuperſtites ab hoſtium injuria intacti, in navim conjecti, ad Galliæ litus jam pervecti eſſent, incidit in rectores & in ipſos familiares „ meos peſtilentia; quo metu ii permoti, quorum „ ad litora navis appulſa fuerat, onera in terram exponi non permiſere. Ita aſportati ſunt in alienas

„ & igno-

ipse doloris sui levamentum a Deo, & ab iis studiis, iisque actionibus, quæ cum Deo inprimis gratis, tum etiam animis salutares sunt, petivit: ad sacrarum enim literarum studia toto tum (ut ajunt) pectore incubuit: quæ post aliarum literarum & artium cognitionem a se vehementer culta * temporibus quibusdam, propter occupationes remiserat. Nec

" & ignotas terras; exceptisque voluminibus paucis " quæ deportavi mecum huc proficiscens, mei reliqui " illi tot labores, quos impenderamus, Græcis præ- " sertim codicibus conquirendis, & undique colligen- " dis, mei tanti sumptus, meæ curæ omnes, iterum " jam ad nihilum reciderunt ". Idem ferme in lite- " ris ad Bembum datis III. nonas Novembris an. 1527. " lib. 1. epist. 3. Ceterum utcumque se res habuerit illud constat, SADOLETUM ita litterarum amore in omni vitæ tempore flagrasse, ut in libris tum Græcis tum Latinis omnigenæ eruditionis perquirendis, nullo neque sumptui, neque labori parcendum sibi existimaret. Hinc in litteris ad Franciscum Attar Ciprianum Italice scriptis *adì* XXV. *di Febraro* 1508. sive potius 1505. hæc habet. " Io vi priego se mai alcun libro " greco, massimamente in Filosofia vi capita nelle ma- " ni, quando senza vostro incommodo far si possa, vi " vogliate ricordar di me ".

* *Temporibus quibusdam*]Coluit quidem antea Sadoletus sacrarum literarum studia. Quo enim tempore Clementis VII. nomine literis conscribendis operam navabat, scripsit interpretationem sive enarrationem Psalmi L. Laudat P. Lazeri librum in quarto, qui extat in Bibliotheca Bar-

vero legendo solum, sed commentando etiam & scribendo, tum sibi, tum aliis prodesse conatus est. Nam cum religionem videret seditiosorum quorundam hominum impietate magnopere ubique perturbatam: tuendæ

Barberina, hoc titulo: *Jacobi Sadoleti Episcopi Carpentoractis Interpretatio in Psalmum Miserere mei D. S. m. m. t.* Ad calcem vero: *Romæ in ædibus Francisci Salvi anno* 1525. Hujus libri aliæ sunt posteriores editiones, qualis ea, quæ ex Biblioth. Colleg. Romani idem P. Lazeri citat *Apud Sebast. Gryph. Lugduni* 1533. Item ibidem alia Gryphii ejusdem, quæ annum præfert 1537. Cogitasse Erasmum hanc Psal. L. interpretationem in Germania excudere, ipsemet narrat scribens SADOLETO postrid. Kal. Julias 1525. & mirifice eam laudans. Ubi enim illam nondum se perlegisse dixit, sed degustasse; subdit: „ Primo statim gustu mire me cœpit candor ille ac facilitas simplicitasque dictionis, cum summa pietate conjuncta. Nihil abs te prætermissum, quod ad eruendos explanandosque Prophetæ sensus pertinet; qui Græcos etiam nonnumquam consulis, interim & Hebræos. Si tales libellos nobis subinde mittat Roma, confido futurum, ut plerique mortales aliquanto melius sentiant de vestra urbe, in qua perspiciant esse viros, qui libros arcanos non eloquenter solum, verum etiam sancte pieque tractare norint.... Gestio libellum hic typographis excudendum committere, quo latius per orbem sparsus, plures accendat ad studium pietatis. Sed scrupulum injecit libello annexa excommunicatio, quam arbitror tamen nihil aliud sentire, quam ut Salvus isthic a damno vindicetur „. Hanc Psalmi L. interpretationem, sequuta est alia interpretatio Psalmi XCIII. missa Friderico Fregosio Archiepiscopo Salerni, quem qui,

dæ ejus ſtudio incenſus, Divi Pauli ad Romanos epiſtolam maxima religionis noſtræ myſteria continentem, & obſcuriſſimis quæſtionibus refer-

quidem poſt illud tempus ſe aggreſſum eſſe profitetur, quo exſolutus Reipublicæ curis & eis occupationibus, quibus ſe nimium diu in Romana urbe apud Summos Pontifices diſtrictum tenuerat, aliquando licuit in ocio eſſe, & ſacrarum literarum, omniumque artium optimarum ſtudio, ac vera delectatione perfundi. Nimirum eſſe ab eo ſcriptam hanc interpretationem quum primum an. 1527. Roma digreſſus, Carpentoractenſem Eccleſiam ſuam adivit, in Epiſtola 5. lib. VIII. ad Jacobum Simonetam indicare videtur, data XVI. Cal. Jun. 1529. ubi etiam narrat ſuſtuliſſe *ſe vetus proemium*, atque omne argumentum alia quadam ratione explicaviſſe. Quodnam autem eſſet hoc *vetus proemium* ſuſpicare non poſſumus. Illud vero, quod nunc legitur poſt ſermonem ad Fregoſum, eſt de Epiſcoporum oneribus eorumque moribus & vita; ubi nonnulla de Clemente VII. habens, ærumnas annorum 1526. & 1527. innuere videtur. Scripta ergo eſt hæc in Pſalmum XCIII. interpretatio poſt eos annos, atque ante annum 1529. ut diximus. Et anno quidem 1530. XV. Cal. Aug. Alberto Pio Carporum Principi ſcribens, hæc habet: *Confeci his menſibus Commentarium quemdam in Pſalmum* XCIII. *ſane quam laborioſe*, &c. Eodem anno 1530. eamdem interpretationem Eraſmo ſe miſiſſe ſignificat, lib. IV. Epiſt. 1. ac de ea, ut puto etiam narrat ſequenti Epiſtola eodem an. 1530. ſcripta, cum de Eraſmi adnotationibus in Pſalmum ſuum loquitur. Item alibi, quum Pſalmum ſuum in Germania de integro impreſſum ait lib. III. epiſt. 4. atque ab Eraſmo ceteriſque mirifice probatum. Quod verum fuiſſe, Eraſmi literæ datæ anno 1529. teſtantur, quæ extant in edit. Londinen. lib. XXV. n. XI. In his Eraſmus SADOLETUM vocat *inſigne*

tam, tribus libris non minus pie, quam ornate * & dilucide explicavit. Commissis vero sibi populis ita

Præsulum hujus ævi decus; atque inter cetera: *Equidem* (inquit) *sic existimo, unicum hoc tuum Commentarium si quis attente legat ediscatque, ad omnem vitam recte pieque instituendam sufficere.* Eadem innuit Erasmus Epist. lib. XXII. numero XXV. Narrat præterea SADOLETUS ipse in literis datis Hieronymo Nigro XVI. Cal. Junii 1529. lib. VIII. epist. 6. Psalmum illum misisse se Friderico Fregosio, qui in Italiam proficiscens librum imprimendum Venetiis ab Asulano curaturus sit. Ceterum extat etiam hujus Commentarii editio separatim anni 1534. in octavo hoc titulo: *Jacobi Sadoleti Episcopi Carpentoractis in Psalmum* XCIII. *interpretatio. Lugd. apud Seb. Gryphium* M. D. XXXIV. P. le Long in Biblioth. S. memorat edit. Lugdunen. an. 1530. Ex Erasmo, cui editum Psalmum misisse Sadoletus videtur, elici potest antiquissimam esse edit. an. 1529.

* *Et dilucide explicavit.*] Anteaquam ad ea quæ ad Commentariorum libros in Pauli Epistolam pertinent adnotanda animum adjungamus; de duobus Sadoleti operibus, purissime inter cetera & latine scriptis, ab eo hoc tempore vel susceptis, vel absolutis, tum de Reginaldi Poli apud eumdem hospitio, aliquid est dicendum. Primum opus inscribitur: *Jacobi Sadoleti de liberis recte instituendis liber.* M. D. XXXIII. Hoc in fronte libri antiquissimæ hujus editionis in octavo; ad calcem: *Venetiis per Joan. Antonium & Fratres de Sabio sumptu & requisitione D. Melchioris Sessa Anno domini* 1533. *mense Julio*. Alia item Venetiis *per Joannem Antonium & fratres de Sabio* an. 1534. in octavo. Item *Parisiis apud Simeonem Colinæum* anno 1534. in octavo. Item *Lugduni apud Sebast. Gryphium* an. 1535. in octavo, &c. Porro alterum opus inscribitur: *Jacobi Sadoleti de laudibus Philosophiæ libri duo Lugd. apud Seb. Gryph.* 1538. *in quar.*

ita præfuit, ut nullum in eos fortis & diligentis Episcopi munus prætermiserit: quos quidem quanti faceret, nulla re potuit apertius declarare, quam quod eorum causa,

 am-

quarto. Iterum apud eumdem Gryphium anno 1543. in octavo: & *Venetiis per Bernardinum de Bindonibus Mediolanensem, sumptibus vero D. Melchioris Sessæ anno Domini* M. D. XXXIX. *in octavo*. Decreverat SADOLETUS primum horum operum, h. e. librum de liberis recte instituendis Bembo transmittere, ut ejus judicio antequam in manus hominum prodiret, penderetur: „ Cum mihi (inquit ipse Bembo scribens III. No- „ nas Septembris 1532. lib. II. Epist. 6.) nec opinan- „ ti nunciari jussit homo laude virtutis & nobilitate „ præstans Reginaldus Polus, cras statim se Patavium „ proficisci, & si quid ad te vellem me admonuit. „ Eum ego in crastinum diem expectabam. Sed talem „ hominem qui perferret, nactus, quo meliorem & „ certiorem ne optare quidem potui, præcipitavi libri „ descriptionem „. Statim ac Polus Patavium primum, mox Venetias appulit, V. Calend. Novembris ejusdem an. 1532. SADOLETO Epistolam dedit, in qua opus illud mirifice extollens: „ Quis enim (inquit) te ipsum „ melius exprimere potuit, quam tu, quam scripta „ tua, quam liber ille tuus, quem per me Bembo red- „ di voluisti? In quo prudentia tua, gravitas, do- „ ctrina, quibus maxime delectabar, elucent, &c. „ Conqueritur tamen aliquantulum, quod quum reliquas omnes artes & disciplinas dignis præconiis ornasset in suo libro, quem ipse iter agens perlegerat, & de quo quid sentiret, ut illi scriberet, jussus fuerat, sacras tamen musas illaudatas tacitus præteriisset. Huic Poli expostulationi ita satisfacit SADOLETUS in Epist. 2. lib. VIII. dat. III. Nonas Decembris 1532. ut dicat, ideo no-

amplissimi & potentissimi viri simultatem (qui eo tempore legatus, Avenionem, & finitima illi urbi oppida, quæ in fide Ecclesiæ Romanæ sunt, regebat) homo in injuriis perferendis quæ ipsi fierent, incredibili le-

nominatim de Theologia nihil scripsisse, quod ea in Philosophiæ nomine contineatur; quodque in eo libro tantum tradidisset quæ ad adolescentiam pertinent, in *Hortensio* de Philosophia acturus, eamque in suas partes omnes distributurus, veluti de qua proprius ibi sermo est instituendus, & quidem præcipuus in Theologiæ laudatione, quam propterea in libro illo delibari minime decebat, ut jucundior foret, si postea in Hortensio de divinarum rerum studiis integra ac numeris omnibus absoluta tractatio, nova prorsus adpareret. At Polus his SADOLETI rationibus minime quiescens, instare & urgere perrexit, arbitratus illum iisdem non satis se purgasse de ea injuria, qua ab eo Theologiam affectam fuisse querebatur. Quare SADOLETUS in aliis ad ipsum datis literis prid. Idus Julii an. 1533. lib. VIII. ep. 3. pollicetur se operam daturum, ut eidem in eo argumento magis satisfaciat. Id tamen non præstitit nisi an. 1534. desinente, quum novis ad eum literis datis XV. Cal. Octobr. an. 1534. ipsum Polus provocasset, in quibus postquam earum scribendarum occasionem dedisse, quam legerat ad Lazarum Bonamicum ab eo datam Epistolam, Polus significasset, addidissetque causas, ob quas tamdiu scriptionis officium prætermisisset, rogat eumdem SADOLETUM, ut Lazarum communem amicum ad Theologiæ studia capessenda suadere hortarique velit. SADOLETUS statim Polo respondit, atque ita causam suam egit, ut verbis tantum, non re, a Poli sententia discrepare videatur. Siquidem sacrarum rerum studium & disciplinam rebus ceteris anteponendam fatetur;

lenitate, ac nimia prope patientia, suscipere veritus non est. Multas enim Ecclesiæ suæ injurias inferri, multa tum a legato, tum ab ejus magistratibus ac ministris inique decerni atque agi, pro munere ac pro persona quam sustinebat, minime

tur; & solum negat liberalia studia esse contemnenda; ex quibus scilicet eam disciplinam haud exigua accipere suæ utilitatis dignitatisque adjumenta, vel ipsi divinarum literarum Antistites, Basilius, Chrysostomus, Augustinus, Hieronymus, suis scriptis comprobarunt. Adeo autem SADOLETUS ipse censuit sententiam suam cum Poli sententia minime pugnare, ut eo ipso die, quo illam epistolam Polo transmisit, Lazaro pariter scribens eo munere functus sit, quod sibi Polus demandaverat: „ Polus ad me scribit uberrimis elegantissimisque lite- „ tis: multa ille quidem digna illo ingenio, & san- „ ctissimis ipsius moribus: sed plurimum tamen & præ- „ cipue de te, quem ipse admodum cuperet ad Theo- „ logiæ studia jam aliquando animum adjicere. Quam „ ego cupiditatem ejus vehementer probo, tibique sua- „ deo, ut hanc divinam in primis facultatem, & ad „ salutem nostram necessariam diutius a tui ingenii „ thesauris ne habeas segregatam, &c. „ Mutuis hisce Poli & SADOLETI Epistolis finem habuisse censenda est amica eorumdem concertatio, quum non aliæ de eo argumento reperiantur. Extat quidem Petri Bunelli una, quæ illius quæstionis breviarium quoddam conficit, data Odeto Ambrosio Selvæ, *Venetiis* XIV. *Calend. Febr.* M. D. XXXIV. at certe more Veneto, ut notat Eminentissimus Quirinus, in diatr. ad Epistolar. Card. Poli collect. Tom. I. cap. IV. p. 287. „ Nam „ mutuæ (inquit idem eruditissimus Cardinalis) Poli „ & Sa-

sibi ferendum existimavit. Ac primo quidem illum ab eis institutis, hortando & amice sæpius monendo, deterrere conatus est: sed cum nihil hac ratione proficeret, cumque ejus,

„ & Sadoleti, quarum illa Synopsim exhibet, scriptæ „ fuerunt, prior mense Septembris anni 1534. posterior „ ejusdem anni mense Novembri „. Ex mutuis hisce SADOLETI & Poli literis colligitur librum *de liberis recte instituendis* jam editum fuisse an. 1534. *Hortensium* vero sive de *Philosophia* nondum elucubratum. De utroque etiam anno 1530. sermonem habet Lazarus Bonamicus lib. v. epist. 1 :. „ De Hortensio cave, ne „ longius tam præclarum opus ducas, quam in dialogo „ de educatione puerorum promisisti „. SADOLETUS vero Bonamico scribens Nonis Julii 1534. hæc habet. „ Hortensium de quo instas, absolvere adhuc non po- „ tui: fui enim maximis occupationibus impeditus, & „ id ipsum diu. Retuleram me autem ad eam cogita- „ tionem atque curam, ut conficerem: sed jam calores „ me obturbant. Enitar tamen, ut & fidei in eo meæ „ & vestræ expectationi satisfiat „. Tandem an. 1535. perfectum id opus, & ad amicos eorum judicia explorandi gratia missum, narrat Bembus lib. v. Paulo Sadoleto scribens prid. Calend. Januar. an. 1535. Ex quibus literis egregium de eo opere præconium continentibus, colligitur illud extremis hujus anni mensibus, nondum fuisse editum. Nec quemquam moveat, quod opus hoc ipsum, quod nunc ex primo libro sive ex actoris in eo persona *Phædrus* inscribitur, *Hortensium* alias compellatum reperiat. Quum enim ad *Hortensii*, qui de eodem argumento Ciceroniani operis titulus fuerat, imitationem scripserit; modo ejus, cujus æmulatione fecit nomine compellat, modo proprio & suo. Ceterum quod pertinet ad judicia eruditorum hominum de alte-

ejus, quanquam absentis; Romæ magna apud Clementem Pontificem Maximum esset authoritas, brevi tem-

b 6 pore

ro libro, eum laudat Jo. Petrus Crassus Episcopus Viterbiensis in Epist. 6. lib. IX. ad Sadoletum data Romæ prid. Idus Decembris 1535. multo vero copiosius Bembus lib. III. ep. 27. Decreverat SADOLETUS statim ac Carpentoracte ad suam Ecclesiam regendam accesserat, totum se sacrarum literarum studiis dedere, cujus ipse rei fidem facit quam plurimis in Epistolis, & inter ceteras, scribens ad Lazarum Bonamicum: „ Ego „ (inquit) opus habeo nunc in manibus ex eo gene„ re, quod est in sacris literis positum. Studeo enim „ pro mea parte ferre opem Christianæ religioni, „ quum ea fere ubique periclitetur, quemadmodum in„ primis quidem & debeo, & opto. Illud utique do „ operam, uti totum argumentum ita tractem, ut „ vobis quoque doctissimis hominibus, qui nimium erudi„ tas aures ad audiendum affertis, illa possit commentatio „ non displicere; sed hoc res ipsa postea aut redarguet, aut „ probabit „. Quodnam autem esset opus illud ad Sacras literas pertinens, quod SADOLETUS tunc temporis in manibus habebat, discimus ex Bembi ad eumdem Epistola lib. VIII. ep. 6. scripta VII. Cal. Novembris 1532. qua respondet sibi a Polo redditæ: „ Quod „ reliquum est (inquit Bembus) multa mecum Polus „ de te, de tuis scriptis, quæ habes nunc quidem in „ manibus; de Hortensio etiam tuo: de quo deque „ Pauli Epistolis interpretandis, cum sermo esset in„ ter vos, ut ajebat, institutus, quod tibi ille quæ„ renti in utro potissimum scriptionis genere tuam tibi „ operam esse ponendam existimaret, in Paulo re„ sponderit, sane non probo. Confici enim illum abs „ te Dialogum quam primum, tua interesse valde pu„ to „. Similiter Matthæo Giberto Episc. Veronæ in Epist. 9. lib. III. data VI. Cal. Novembris an. 1532.

„ Nos

pore perfecit, ut legatus sese colligeret, & eos quibus præerat populos, magna in posterum æquitate & diligentia regeret. Qua in re Sadoleti officium, ac pietatem potius, adeo is aliquanto post amavit, ut non modo cum eo in gratiam redierit, sed ex eo tempore illum & vereri maxime, & patrem etiam appel-

„ Nos hic (ait) Commentarios in Epistolam ad Ro„ manos scribimus, opusque difficile & arduum ita tra„ ctamus, ut in eo præcipue laboremus, quod extare „ possit tibi, quod jampridem sumus polliciti, obscu„ ras ancipitesque sententias in ea epistola permultas „ nostra cura & diligentia dilucidiores fore „. Eodemque anno scribens Antonio Prato Card. prid. Calend. Octobris lib. VI. ep. 7. „ Ego (inquit) hoc tempore „ versor in opere omnium difficillimo, ut D. Pauli „ Epistolam interpreter ad Romanos „. Addit postea tres in libros totam esse divisam commentationem, quumque illac iter haberet Franciscus Card. Turnonius petiisse, ut primum librum ubi confecisset, ad eum mitteret; id se fecisse, & misisse ipsum volumen omnium doctorum judicio examinandum: „ Nam quod ad me „ attinet (inquit) paratus ad utrumqne sum, & pro„ bari & reprehendi: quæ etiam reprehensio si fuerit „ justa, mihi futura est utilior, quando per illam me„ lior & consideratior fiam „. Quam vere hoc atque ex ex animo dixerit, fidem ipse facit in Epistola 9. lib. IX. ad Card. Contarenum, significans se ejus humanitate ita esse conclusum, ut neque unde incipiat, neque ubi definat statuere satis possit: atque hanc in eo maxime clarissimeque extitisse, quod ingenue, aperte, ac familiariter, quæ in scriptis suis desideraret, exposuerit.

appellare solitus fuerit. Recreatis hac ejus actione Carpentoractensibus & reliquis illis populis, altera ab eo actio non minus pia, nec minus illis grata ac salutaris suscepta est. Maxima jamdiu Hebræorum multitudo apud eos consederat: ii Christianos homines imperitos & incallidos circumvenire, & quibus pecunias credidissent, eos fœnoris gravitate, & renovandis multiplicandisque usuris, ad extremum fortunis omnibus evertere solebant. Eorum quoque avaritiam & fraudes, suscepta miserorum populorum causa, eaque diligenter apud Pontificem Max. & magistratus urbanos per literas & procuratores acta, magna ex parte repressit tandem ac coercuit. Quin etiam orationem in eos pro Christianis composuit, & eam quidem omnium, quæ ab eo scriptæ sunt, * disertissimam. Alia præterea multa variis tem-

* *Disertissimam.*] Scribendæ hujus contra Judæos orationis (quæ tamen numquam edita est) causam habes in Epistola 13. lib. XIII. ad Paulum III. data Carpen-

temporibus in Carpentoractenses & rem eorum publicam officia contulit: quibus plane declaravit, nunquam unum cuiquam cariorem fuisse, quam ipsi fuerit universa ejus Ecclesia. Usu sæpissime venit, ut illi aut Pontifici Maximo, aut Gallorum

pentoracti Idibus Februarii 1540. in qua etiam gratias Pontifici agit pro repressa & coercita Judæorum avaritia ac fraudibus. Hac de re repetitum sæpius sermonem videbis in aliquibus epistolis scriptis anno 1539. De eadem oratione ipse Bembo scribens xi. Calend. Julii 1531. lib. II. Ep. 3. „ Credo te (inquit) memoria tenere confectam a me olim, cum Romæ etiam „ essem, orationem quamdam in Judæos, quam ego „ causam in duas actiones partiri institueram; sed „ prior fuit pars tantummodo absoluta, si tamen absolvere est, quod parum polite efficias: eam ego nunquam duxi edendam, neque hercule nunc in alia „ sum voluntate „. Eamdem Herculi Gonzagæ Cardinali missam fuisse, patet ex data ad eum Epistola 8. lib. II. vi. Calend. Februar. 1531. quum id in eadem ad Bembum Epistola se fecisse testetur. Verum in literis ad eumdem Bembum scriptis vi. Idus Maii 1532. lib. II. ep. 5. ubi: „ Me vero (inquit) in illis cum valde „ delectavit judicii tui testimonium, quod mihi de „ mea oratiuncula das, plenum, ut ego perspicio & „ fidei & amoris, tum vero gravis illa & sapiens admonitio, &c. „ Non hanc de qua loquimur in Judæos, sed aliam prorsus orationem intelligere arbitramur. Admonuerat enim Sadoletum Bembus, asperius aliquanto eum invectum in quemdam, quem neuter nominat: Sadoletus vero argumentum orationis satis explicat, dum subdit: „ Sordes porro & amentia, vel „ se-

lorum Regi, aut iis qui plurimum apud eos poterant, commendandi fuerint: non dici potest quo animi studio, ac potius qua sollicitudine id egerit, prorsus ut multo vehemen-

„ feritas potius quædam hominis illius, in quem invehebamur, sustinere illiusmodi orationem videbatur; præsertim cum tractarem eum locum, nihil magis esse perniciosum Reipublicæ, quam Principum avaritiam, & nimiam pecuniæ coacervandæ cupiditatem. Is autem, in quem scribebamus infinitis in eo genere sordibus non solum commaculasset famam Sacerdotii, verum omnia omnino non æquitatis modo, verum etiam humanitatis jura conturbasset „. Deinde opus quoddam suum nuncupandum Joanni Salviato significat lib. IX. ep. 12. „ Quod autem scribis gratum tibi a me fieri, quod nomen tuum meis scriptis concelebrare sim aggressus; non est de eo cur mihi gratiam debeas Nec me tamen oblitum existimes velim ejus orationis, quam habui tecum, cum tu apud nos Carpentoracti esses. Non enim si in alio argumento nunc versor, illud propterea abjeci, quod tibi ostenderam me susceptum esse. Sed cum & difficilius illud opus, & longioris multo temporis existeret, nostra autem festinatio amoris mei erga te aliquo indicio tibi declarandi moram tantam non ferret, ad id elucubrandum me converti, quod videbatur mature confici posse. A quo tamen ipso & hyemis asperitate, & tenuitate meæ valetudinis aliquandiu sum retardatus. Sed repetam cursum ut opinor; hocque acrius instabo & connitar, quæ major mea cupiditas perficiendi facta est. „ His autem indicari a Sadoleto librum de Gloria videtur, de quo eidem Salviato Epist. 4. lib. XIV. data v. Idus Decembris anni 1539. „ Ne me forte (ait) putes tui oblitum esse: & quoniam DE GLORIA

„ LI-

hementius, quam si ipsius ageretur res, laborare eorum causa videretur. Eorum liberi parum idoneis antea doctoribus usi fuerant: hoc quoque ad officium suum pertinere existimans, ut illi optimis & moribus & disciplinis imbuerentur; curavit, ut doctores semper egregii ad eos instituendos conducerentur, quibus ipse quo

„ LIBRUM, quem tuo nomine scribendum susceperam „ non sum persecutus.... accipe argumentum multo „ gravius, ut ego arbitror, & utriusque nostrum perso- „ næ accommodatius, quod ego DE EXTRUCTIONE „ CATHOLICÆ ECCLESIÆ exorsus sum, tuoque id no- „ mini dicavi, ut quoquo modo possem, tuis erga „ me meritis gratiam aliquam referrem, &c. De hoc alio opere quod heic appellat de *extructione Catholicæ Ecclesiæ*, inferius redibit sermo in his adnotationibus. Sunt & alia ejusdem SADOLETI opera, quæ uti hæc interciderunt, nimirum *de peccato originis & de Purgatorio*. De utroque hæc scribit Cardinali Gregorio Cortesio v. Idus Junii 1544. lib. xv. ep. 4. „ Cum enim, „ ut tute scis, commentarium quemdam de peccato ori- „ ginis jam pridem confecissem, hacque maxime re & „ ratione, facultatem in has regiones revertendi a Ro- „ mano Pontifice essem consecutus: quod me, quoad „ possem, otium & tranquillitatem nactum, litteris „ & scriptis sanctam fidem Catholicam, decusque & „ auctoritatem Apostolicæ Ecclesiæ defensurum pollici- „ tus essem; statui mihi, ut primum huc me retuli, „ eumdem esse librum accuratius retractandum. Quod „ cum diligentissime fecissem, addidissemque non pau- „ ca, quæ mihi ad rem uberius explicandam idonea

„ vi-

quo diligentius officio fungerentur, præter eam mercedem quæ eis publice dabatur, non exiguam pecuniam

„ visa sunt : illum tamquam meæ diligentiæ testem „ Pontifici ipsi Maximo auctori mei otii mittendum putavi, scripsique ad amplissimum Cardinalem Farnesium, ut eum quibusdam ex Collegio „ nostro, tibi inprimis legendum & considerandum „ traderet. Quod factum fuisse, etsi certi nihil dum „ scio, ut confidam tamen adducor. Nunc alterum „ ὑπόμνημα jam elucubratum in manibus habeo, non„ dum illud quidem expolitum, quemadmodum & res „ ipsa, & mea diligentia postulat, sed tamen ejusmodi, „ ut ex eo quamquam imperfecto, intelligi possit, quid „ ego habeam de purgatorio persuasi atque certi. Quæ „ res una omnium maxime, hoc perturbatissimo tem„ pore, ab Ecclesiæ, ut scis, hostibus oppugnatur. „ In quo ego Catholicæ suffragor Ecclesiæ; quod sane „ mihi in omnibus meis & curis & actionibus semper „ est propositum. Eum ego librum statui mittendum „ ad te esse, &c. „. Hisce SADOLETI literis respondet Cortesius, *elegantem se de purgatorio loco libellum* accepisse, in cujus commendationem: „ Ex eo tamen „ (inquit) quod primis, ut ajunt, labris gustare li„ cuit, intellexi maxime obscurum locum, & a nullo „ antea satis diligenter tractatum, & nescio an om„ nium, qui nunc præcipue in controversiam venere, „ longe difficillimum, a te & tractari commode, & lu„ culentissime explicari „. De libro autem, in quo agebatur *de peccato originis*, scribit & Isidoro Clario Sadoletus XIII. Calend. Februar. an. 1546. lib. XVI. ep. II. narrans se ad eum mittere correctum aliquot in locis, simulque ejusdem de illo judicium exquirit, atque aliorum quorumdam, inprimisque Ambrosii Catharini. Nihil hoc loco dicemus de *Commentario* illo, *in quo de sacris agitur rebus, Venetiis imprimendo*, quodque Lugdu-

niam contulit. In eo vero longe maximam curam ac diligentiam adhi-

Lugduni edendum curavit; cujus mentionem habet in duabus Epistolis ad Bembum, lib. II. Epist. 1. & 2. quum facile conjectari liceat, hunc *commentarium* esse illum in Psalmum XCIII. quem alibi quoque, ut superius ostendimus, se Fregoso inscriptum eidem dedisse imprimendum Venetiis significat, ac postea sublato veteri proemio aliud effinxisse. Occurrunt potius inter ea SADOLETI opera quæ interciderunt, recensendæ duæ interpretationes locorum Evangelii, quas tamen an scripserit, dubium est; scribere cogitasse constat ex Epistola 6. lib. III. Fregoso data Id. Novembris 1533. In hac: ,, Scito (inquit) datum mihi negotium a Pon-,, tifice Maximo, quem nos visum & salutatum Mas-,, siliam accessimus, ut totum illum sermonem inter-,, preter, qui est a Christo habitus cum Nicomedo cap. 3. ,, Joan. si rite recordor, in quo de Spiritu spirante ubi ,, velit, & quamquam vox ejus audiatur, ignoratur ,, tamen unde veniat; item & alter locus in extremo ,, Evangelio exponendus est, quo Christus Magdale-,, nam ipsum agnoscentem prohibet ab amplexu ,,. Præter huc usque recensitos de Theologicis rebus libros, alia SADOLETUS conscripsit, præsertim quum in consilium adhiberetur. Testatur hoc ipse Ambrosio Catharino; ubi de ejusdem Ambrosii libro *de perfecta justificatione*, & scriptis suis pagellis quibusdam ,, Cum le-,, gissem (inquit) iterum tuum de perfecta justifica-,, tione librum, atque eodem ferme tempore binæ ad ,, me ab urbe essent allatæ schedæ, in quibus erant ,, præscripta capita, de quibus in conventu Ratispo-,, nensi inter Theologos nostros & adversarios conve-,, nisse videbatur; facile intellexi tuam sententiam ab ,, ejusmodi concordia discrepare Et scripseram ,, quidem ipse quoque ad urbem quod mihi sentien-,, dum in hac causa esse videbatur: cujus meæ pagel-,, læ misissem ad te exemplum, ni omnia in tuo libro ,, multo diligentius enodata, declarataque reperissem.,,

hibuit: ut tam turbulentis temporibus, Ecclesiam suam in fide, & recta erga Deum *religione contineret. Itaque si quos in errorem impulsos, a recto itinere declinasse cognoverat, paternis eos admonitionibus

* *Religione contineret.*] Neque solum SADOLETI in Deum & Ecclesiam studium intra Dioecesis suæ limites continebatur, sed per universum orbem diffusum, ubique summa illius religio elucebat. Testes sunt Epistolæ permultæ, quibus quid ab eo ad Ecclesiæ gloriam utilitatemque promovendam, præstitum fuerit, qua voce, qua scriptis, præclare demonstrat. Enim vero ubi Joanni Cochlæo lib. XI. epist. 7. de suis adversus Lutheri blasphemias scriptis, impense gratulatus est; de se quoque ita subjungit. „ Ego quodam alio in „ opere, quod nunc cudo, habeoque in manibus, non„ nulla insector Lutherana dogmata, eorum maxime, „ quæ ad revellendam Christi religionem intenta sunt „. Et alio loco. „ Mitto oratiunculam quamdam meam, „ quæ continet modestam S. R. Ecclesiæ, & totius Sa„ cerdotii defensionem adversus probrosas, & pene „ quotidianas Lutheranorum vituperationes, &c. „ Similiter quantum de Germania hæresibus bellisque vexata angeretur, satis superque ostendit ad Gullielmum Bavariæ ducem lib. XI. ep. 10. Romæ VI. Idus Maii 1542. „ Ego (inquiens) qui ob propinqua pericula, „ quæ instant nomini Christiano, atque imminent, „ dies noctesque assidue sollicitor, nec ullam partem „ capio quietis, vehementissime quidem optarim habere „ quempiam tuorum, quocum ea quæ angunt & sol„ licitant, communicare tuto possem „. Et infra. „ Etenim scito me graviter angi, quod video nos „ omnes in extremum jam ruere discrimen, quando „ ista auxilia apparatusque Germaniæ qui feruntur, „ me quidem non consolentur, sed perterreant.

nibus in viam reducere ſtudebat. Si cujuſpiam concionatoris fides & diſciplina illi ſuſpecta erat, is ne quem aut publicis concionibus, aut privatis diſputationibus corrumpere poſſet, providebat: denique ejuſmodi concionandi munus illis mandabat, quorum pietas explorata ipſi eſſet & cognita: quos ipſos etiam attente audiebat. Non continebat tamen illos homines in officio tantopere hæc ejus diligentia, quam ipſius innocentia, liberalitas, continentia. Non modo enim neminem ulla unquam affecit injuria: ſed multorum ipſe injurias ita pertulit, ut eos patientia & lenitate ſua ad extremum ſibi * amiciſſimos reddiderit. Duriore annona magnum homi-

* *Amiciſſimos reddiderit.*] Tanta equidem emicuit in SADOLETO clementia ac comitas, manſuetudo tanta, ut adverſariis ipſis, aut qui ejus famam læſiſſent; vix ſuccenſeret, imo eos lenius compellare, & illorum dicta factaque excuſare ſolebat, juxta illud Apoſtoli: *Caritas patiens eſt, benigna eſt: non irritatur, non cogitat malum. Omnia ſuffert, omnia credit.* Quum enim ſe injuſte calumniis appetitum conqueratur Epiſt. 15. lib. IX. ad Antonium Surianum Patritium Venetum data

minum egentium numerum alebat. Patebat ejus domus semper honestis ilius præfecturæ ac vicinitatis hominibus. In alios præterea honestos ac pios sumptus, vectigalia sua sic solebat impendere, ut vertente anno par ratio esset accepti & impensi: neque enim quicquam tantopere detestari solitus erat, quam in sacerdotibus studium cogendæ & coacervandæ pecuniæ. Erant ei omnino modica vel exigua potius vectigalia: sed frugalitate & temperantia in victu cultuque domestico, assequebatur, ut ejus * liberalitati sufficerent. Hoc

data Romæ IV. Non. Novembris 1536. mox subjungit: „ Sive ille fuit quorundam error, sive religio„ nis, ut videtur defendendæ studium: non enim addu„ cor, ut malevolentiam fuisse credam „. Ita enim vir lenissimus erat a natura comparatus, ut de aliis id minime judicaret, quod in se ipso non agnosceret.

* *Liberalitati sufficerent.*] Hinc ad Card. Quignonium pridie Nonas Octobr. 1539. ita scribit lib. XIII. Ep. 12. „ Vectigalia Ecclesiæ meæ, quæ per se ma„ gna non sunt, dabunt tamen hic mihi aliquid ad „ aliis subveniendum facultatis, quæ, si in urbe do„ micilium haberem, ne meæ quidem ipsius familiæ „ necessitati sufficerent, præsertim cum alienis opi„ bus vivere prorsus indignum ducam, &c. „ Eadem confirmat Thomæ Campegio lib. XV. epist. 2. eumdemque

Hoc ejus vitæ genere, hisque officiis fiebat, ut illi eum populi incredibili * pietate & cultu prosequerentur, ac summam, uti parenti, fidem rerum

que abhorrentem a divitiis animum ostendit, scribens Lazaro Bonamico lib. I. epist. 2. & Joanni Salviato Cardinali lib. v. epist. 2. Profecto quantum ab omni opum & commodorum desiderio abesset, cum in aliis multis epistolis ostendit, tum præsertim in iis quas in hoc argumenti genere exaravit lib. 13. ep. 6. & 12. Item lib. VII. ep. 6. & lib. XV. ep. 2. Nec solum verbis, sed etiam exemplo, quid de pecuniis sentiret, ostendit annuam a Pontifice mercedem recusans. Etenim lib. XII. ep. 8. ad Paulum III. Pontificem, apud quem postquam rationes attulit, quibus Romam se conferre non posset, ejusque hac in re mandatis obtemperare. „ Nec vero (inquit) hæc proferens fortunam „ meam accuso, quæ mihi si locuples fieri vellem, ma„ ximas sæpe temporum opportunitates obtulit: in „ quibus ego magis officium & abstinentiam, & in „ omnes homines comitatem ac liberalitatem, quam „ studium lucri aut pecuniæ sum secutus. Et Sancti„ tati tuæ maximas gratias habeo atque ago, quæ to„ ties jam mihi ferre subsidium ex pecunia sua large „ ac liberaliter, annua etiam constituta mihi mercede „ voluit. Quod ego beneficium tuum erga me ita „ amplum atque magnum, ut ei nunquam a me referri „ possit gratia, cum animo gratissime accepissem, re „ ipsa tamen accipere recusavi „. Hæc & plura Sadoletus tum in eadem Epistola, tum in alia ad eum Pontificem lib. XII. ep. 12.

* *Pietate & cultu prosequerentur.*] Incredibilis equidem Carpentoractensium in Sadoletum Episcopum pietas ac cultus, summo ejus in illos amori respondebat: cujus sane amoris, præclara nobis reliquit indicia in plurimis epistolis, in quibus eosdem sæpenumero summis

rum suarum omnium haberent. Delecti quidem (hoc communis eorum consilii nomen est) ad eum de rebus omnibus publicis referre, ejus sententiam inprimis sciscitari, & exquirere solebant: ejus denique unius monitis & consiliis nitebantur. Nec vero illis modo populis tantopere carus & probatus erat, sed omni fere Gallia magnum ejus erat nomen, magna virtutis & integritatis opinio. Itaque Franciscus Rex cum

mis Pontificibus, Cardinalibus, aliisqe potentibus viris commendat; unde pridie Nonas Octobris an. 1539. Francisco Card. Quignonio scribens lib. XIII. ep. 12. „ Vivo (inquit) inter hos populos, & diligens eos „ patria caritate: & (ut videre mihi videor) ab „ eisdem etiam dilectus. Quæ amoris mutui confen„ sio vitam beatam facit: præsertim cum est ad Deum „ & ad summum bonum relata. Quos ego nunc po„ pulos, tuæ commendem fidei, justitiæ, integrita„ ti, est necesse Eos igitur tuæ æquitati & sa„ pientiæ ita trado atque commendo, ut majore ani„ mi studio commendare non possim. Quicquid enim „ in illos beneficii, patrocinii, auxilii contuleris: id „ mihi sic futurum est gratum, ut ex tuis erga me „ meritis, hoc vel maximum semper omnium sim ju„ dicaturus „. At quo amore, qua cura, quare caritate Sadoletus gregem suum complecteretur, ostendit ipsemet in litteris permultis, ac præsertim in iis, quæ habentur lib. I. ep. 8. & II. lib. II. ep. I. lib. IX. ep. 16. lib. XII. ep. 16. lib. XIII. ep. 3. & 5. lib. XIV. ep. 4. & 5. lib. XVI. ep. 5. &c.

cum Lugdunum quodam tempore venisset, atque ibi officii causa a Sadoleto conventus fuisset: eum & comiter admodum atque honorifice excepit, & ex collocutionibus aliquot, gravitate hominis prudentiaque perspecta, si manere apud se vellet, honestissimum illi in amicitia sua locum, & amplissima præmia detulit. At is cum Regi gratias egisset de tam propensa erga se voluntate, exposuit quo consilio res Romanas reliquisset, petiitque ab eo, ut se ad officium & munus suum * redire pateretur: cujus consilio animoque

* *Redire pateretur.*] Magnum profecto Sadoletus in oblatis sibi a potentissimo rege præmiis declinandis respuendisque, magnum, inquam, Præsulibus ipsisque Cardinalibus exemplum præbuit continentiæ, ne scilicet principum mancipia fiant, seque vili pecuniæ mercede illis conducant atque oppignorent. Id etiam cum alias, tum etiam mirifice ostendit, quum ad Paulum Sadoletum fratris filium, (quem ipse velut alter Apostolus Paulus sibi successorem destinatum, in quodam scholæ suæ tyrocinio ad Episcopatus magisterium formabat), hæc scripsit: „ De pensione illa tua, petere a rege, ut eam auctoritate sua comprobet, „ indignum est. Nostra erga illum officia ejusmodi „ sunt, ut si fortunam sequeremur, majora ab illo „ expectare deberemus, nunc cum e fortuna non pendea-

que collaudato, Rex eum amantissime dimisit. Discessit autem illinc cum Regis judicio probatissimus, tum collecta multorum ex amicis & purpuratis Regis gratia, quorum studia & benevolentiam erga se, variis postea Ecclesiæ suæ temporibus expertus est: velut eo tempore, quo Franciscus Allobrogum regulo bellum intulit. Ea autem res ita se habuit. Per Carpentoractense agrum Regis exercitus iter faciebat: in eo exercitu Gullielmus quidam erat, qui magnam Germanorum manum ad regem adduxerat, homo iracundus & præceps. Accidit, ut cum aliquot ejus milites Carpentoracte ingressi petulantius sese gererent, eorum contumeliis & insolentia accensi commoverentur primo nonnulli opifices, deinde tota fere (ut fit) civitas

„ deamus, infringere in re parva magnitudinem animi nostri, ne cadere quidem in cogitationem nostram debet. Si pensio per Pontificem potest roborari, honesta est actio, & petere non indecorum: si ad regem confugiendum est, non est tanti pensio, cur hanc demissionem animi, alienam a moribus & & natura nostra subeamus „.

vitas concitaretur : quo in tumultu uno alterove ex Gullielmi militibus occiso, reliqui ex oppido expulsi, se ad ducem suum receperunt. Eam ille suorum cædem & injuriam ulturus, cum ira exarsisset, copias suas continuo una cum aliquot tormentis bellicis Carpentoracte adducere parabat. Hac re cognita Sadoletus, cum forte tum extra oppidum esset, suorum periculo exanimatus, paratusque eandem quam illi fortunam subire, propere accurrit. Ad eum statim concursus factus est, illum omnes intuebantur, quid agerent, quo se verterent nesciebant. Germanorum enim cohortes jamjam affuturas esse nuntiabatur. Is nuntios statim & literas ad præfectum regium pro ea quæ inter eos erat notitia mittit, civitatis periculum exponit, auxilium implorat. Præfectus authoritate hominis & precibus adductus, Gullielmum accersit, eum ægre ac vix placatum, incœpto cogit desistere. Ita Carpentoracten-

ctenses cum jam prope de salute & fortunis suis desperarent, Episcopi sui beneficio ex ingenti periculo erepti sunt. Gesta autem ea res est mortuo jam Clemente Pontifice Maximo, cum * Paulus ei Tertius successisset. Hujus quoque Pontificis accersitu Romam Sadoletus * * redire coactus est. Etenim is sui Pontifica-

* *Paulus ei tertius successisset.*] Obiit autem Clemens VII. die 2. Octobris anni 1534. & die 13. ejusdem mensis, quum pridie, seu verius biduo ante conclave Cardinales ingressi essent, renunciatus est Pontifex concordibus suffragiis Alexander Farnesius sacri Collegii Decanus, Episcopus Ostiensis, Pauli III. nomine sibi sumpto.

* * *Redire coactus est.*] Decennium Sadoletum Carpentoracte vixisse, hoc est ab initio anni 1527. ad exitum anni 1536. scribit ipsemet Joanni Toletano: „ In „ hac mihi jucundissima & vere beatissima conditione „ vitæ cum decem annos fere exegissem &c. „. Et Duci Saxoniæ: „ Jam quemadmodum in Ecclesia mea per „ decem annos manserim, &c. „. Autumno igitur anni 1536. Summi Pontificis accersitu Romam venit Sadoletus, postquam Pontifex creatus fuerat Paulus III. *anno secundo*, ut ipse scribens narrat: eumque Massiliæ convenerat, salutandi gratia; acceperatque ab eo diploma, quo Paulus nepos adjutor illi in regenda Carpentoractensi Ecclesia dabatur, ut idem Sadoletus Federico Fregosio significavit in Epist. 7. lib. III. Data VI. Calend. Junii 1536. ubi tamen in ejus operum editionibus Muguntina an. 1607. & Veronensi anni 1738. quas præ manibus in præsentiarum habemus, legitur Paulum sibi successorem datum a *Clemente VII.*, quod

tus initio ſpem atque expectationem omnium mirabiliter erexit: oſtendit enim ſibi in animo eſſe, novis legibus ſolutam ſacerdotum diſciplinam aſtringere: & ſublatis eis, quæ a ſuperioribus Pontificibus Romanis inſtituta, minus probarentur, ſanctio-

quod etiam innuit ipſe Floreb. ad calcem hujus Com. Ceterum de itinere ſuo ſcribit eodem an. 1536. lib. IX. ep. 13. ex urbe Laurentio Granæ Signiæ, & Mario Aligero VI. Nonas Novembris, nec non V. Nonas Novembris Mario Maffæo Volaterrano, atque etiam Antonio Suriano Patricio Veneto IV. Nonas ejuſdem menſis: in litteris vero Georgio Saxoniæ Duci ſcriptis, ſuperius a nobis laudatis: „ Illud, inquit, commemorabo, me, cum animo obfirmato conſtitutum haberem, nunquam amplius abire ex eis locis, in quibus eſſem Deo quaſi conſecratus, nec ſtationem illam relinquere, in qna me volens ipſe libenſque collocaſſem, coactum tamen Concilii nomine, & binis hujus ſapientiſſimi & optimi Pontificis litteris ad Urbem me evocantibus, per cauſam, quæ erat adſcripta, ut tractarentur ante & deliberarentur ea quæ mox in Concilio agi expediret, & ut morum Eccleſiaſticorum honeſtati ac decori conſuleretur; Romam revertiſſe mœrentem quidem & invitum ſi ſpectentur cetera, hoc uno me conſolantem, quod tantæ cauſæ Dei Omnipotentis pro mea parte non adeſſe, alienum mihi ab officio & pietate Chriſtiana eſſe videbatur „. Et in prœmio ſuperius etiam laudato: „ Vocatus enim, ait, ad urbem, a Paulo III. Pont. Max. qui Clementi ſucceſſerat, ac eo nomine vocatus, ut una cum aliis nonnullis electiſſimis viris, corrigendis moribus Sacerdotum, qui negligentia ſuperiorum temporum a veteris curriculo innocentiæ deflexerant, operam & partes meas impenderem, &c.

ctiorem gerendi summi Pontificatus * rationem instituere. Ejus rei perficiendæ causa è longinquis locis accersivit, quos doctrinæ, integritatis, & prudentiæ maximam opinionem habere intelligebat; ut cum eis, cumque aliis præterea quibusdam, quos ex amplissimo ordine adhibiturus erat, tantarum rerum consilia communicaret; eorumque admonitu ea, quæ aut abroganda essent, aut sancienda, ** cognosceret.

 Hi

* *Rationem instituere.*] Hinc cl. Antonius Pagi in Brev. gestor. Pontif. Romanorum tom. VI. pag. 5. edit. Venet. „ Paulus, inquit, statim ac Pontifex renun„ ciatus, non expectatis solemnibus coronationis in „ prima generali congregatione, non die 13. Novem„ bris, ut scribit Card. Pallavicinus in Hist. Concil. „ Trident. & post ipsum Joannes Palatius, sed die Sab„ bathi 17. Octobris, nihil habuit antiquius, quam „ ut ea, quæ ad morum disciplinam promovendam, „ ad hæreses extirpandas & coercendos hæreticos spe„ ctabant, alacri studio prosequeretur; ideo quia inter „ articulos, quos Cardinales jurejurando observandos „ decreverant a Pontifice futuro is erat: *ut electus* „ *Concilium Oecumenicum intra annum convocaret* „.

** *Cognosceret.*] Ut igitur Paulus Pontifex medicam lapsæ disciplinæ manum admoveret, & conviciandi occasionem hæreticis præcideret, legere ex omni eruditorum hominum censu, ut heic Florebellus testatur, viros doctrina, longoque rerum usu longe consultissimos statuit, qui ad reformandæ Ecclesiæ provinciam ner-

Hi autem qui accersiti sunt omnino sex fuerunt, in quibus Jacobus Sadoletus fuit, qui tam gravem ob causam Pontificis Maximi literis evocatus, paruit ei, * ut debuit. Agitata

nervos omnes ac studia intenderent, decernerentque ipsi mature, quod ad revocandos Romanos mores opportunissimum judicarent. Ad perducenda autem in opus ea pia proposita, præfecti primo quidem fuere quinque Cardinales: Senensis, S. Severini, de Cæsiis, Guinuccius, & Simonetta: item Christophorus Jacobatius, tunc Datarius & Episcopus Cossanensis, mox purpuratus; Episcopi insuper Nicosiensis & in Liguria Aquensis, doctrina, & morum pietate insignes.

* *Ut debuit.*] Quo tempore Sadoletus Romam venerit, paullo superius diximus. Quinque autem spectatissimi viri, quos, præter illum, a Paulo III. Romam ex longinquis locis accersitos fuisse, heic narrat Florebellus, hi omnino fuere. Verona accersitus est Joannes Matthæus Gibertus ejus civitatis Episcopus, Eugubio Federicus Fregosius Archiepiscopus Salernitanus, Venetiis Gregorius Cortesius e Congregatione Cassinensi S. Georgii in Alga Abbas, Reginaldus item Polus Anglus, & Joannes Petrus Caraffa Archiepiscopus Theatinus, qui postea Summus Pontifex renunciatus est, Pauli IV. nomine assumpto. Hi deinceps cum tribus aliis, Gasparo scilicet Card. Contareno, Hieronymo Aleandro Archiepiscopo Brundusino, & Thoma Badia Ord. Præd. Magistro Sac. Pal. Apostolici celebre illud IXvirale Consilium de emendanda Ecclesia confecere, de quo paullo inferius redibit sermo. Eos autem omnes diversis temporibus, si Joannem Matthæum Gibertum excipias, idem Pontifex Paulus III. in amplissimum Cardinalium Collegium cooptavit, tantisque eos excelluisse virtutum omnium ornamentis scribunt ætatis ejus scriptores, ut nescias plane an alii in ea sanctissi-

ſtata ea res fuit complures dies, Sadoleto & reliquis graviſſimis viris nihil earum rerum obticentibus, quæ ad ſedandam ſacerdotum, inprimiſque ſummi illius Sacerdotii invidiam, * pertinere videbantur. Quo

 qui-

ctiſſimorum doctiſſimorumque hominum feraciſſima tempeſtate, in omni laudum genere præſtantiores extiterint. Eoſdem recenſet Ludovicus Beccatellus in Vita Reginaldi Poli Cardinalis, ejuſque interpres latinus Dudithius, cujus quidem interpretatio edita eſt a cl. Card. Quirino tom. I. Epiſtolar. Reginaldi Poli; Italica autem vita a Beccatello conſcripta, extat ad calcem tomi V. earumdem Epiſt. editi poſt obitum ejuſdem Card. Quirini a præclaris Bibliothecæ Quirinianæ præfectis anno 1757. Ceterum animadvertendum eſt, ex iis ſex ampliſſimis viris, quos per litteras a Paulo III. Romam accerſitos fuiſſe modo diximus, aliquos tantum, non omnes recenſeri a Petro Bembo in Epiſtola ad Franciſcum Molſam, ſeu huic amiciores, ſeu ſibi cariores, gratulatus eidem quod ab Apennini radicibus, Romam uſque una cum SADOLETO iter confeciſſet, quodque ibi in ea luce hominum verſaretur, quæ clarior aliquanto, quam antea foret, propter eorum ſplendorem „ Quos (inquit) ad Urbem Paulus Pontifex „ Maximus evocavit, quibus cum te frequenter eſſe „ non dubito, SADOLETO ipſo meo, Federico Epi„ ſcopo Salernitanorum, Reginaldo Polo, quo eſt uno „ longe Britannia illuſtrior, Gregorio Corteſio opti„ mo doctiſſimoque viro, cive tuo, Priolo etiam no„ ſtro, cujus te conſuetudine, literis, moribus dele„ ctari majorem in modum, cognovi „.

* *Pertinere videbantur.*] Idem affirmant Beccatellus, & Dudithius in Poli vita, adduntque eos omnes præclaros viros communicato inter ſe conſilio, rem

quidem tempore Sadoletus etiam eis de rebus aliquot orationes ſcripſit, quo Pontificis Maximi animum ad rem tam præclaram, tamque Reipublicæ ſalutarem, perficiendam acrius accenderet. Verum cum tota ea

rem aggreſſos; & quæ de communi ſententia probarentur, literis mandaſſe, extareque ea de re illorum ſcriptum in libris Conciliorum. Quibus equidem verbis celebre illud Conſilium indicari patet, quod anno 1538. Romæ evulgatum typ. Ant. Bladi Impreſſoris Cameralis, eodemque anno Cæſenæ apud Conſtantinum, & deinde Conciliorum corpori inſitum fuit a Petro Grabbio, omiſſumque dolet in ſequiori collectione Surii Antonius Poſſevinus, quum tamen, (ut notat Card. Quirinus in diatr. ad Poli Epiſt. tom. 1. cap. ult. pag. 366.) animadvertere potuiſſet locum eidem in Conciliorum collectionibus non deberi, quod hujuſcemodi conſultationes ea auctoritate, quæ ineſt Conciliis, deſtituantur. Num autem hic de reformatione conventus fuerit congregatus anno 1536. an vero 1537. an etiam 1538. haud facile ſtatuere licet. Quamvis enim ex autographis quibuſdam Corteſii ad Polum litterulis, datis Romæ e Monte Quirinali, cœtus illius negotio jam digeſto, in quibus Corteſius ſignificat, egiſſe ſecum *herè* diligentiſſime Contarenum, ut *qui in eo conventu affuere*, omnes de eodem argumento ſcriberent, ipſumque rogat, ut eundem a conſilio illo removere conetur quibuſdam de cauſis, quas inferius ſubiicit; quamvis, inquam, ex hiſce Corteſii literulis, aliquid lucis ad hanc epocham ſtatuendam allatum iri arbitretur Eminentiſſimus Quirinus loc. cit. quod ad Polum nondum Cardinalem ſcriptas eſſe putat; idque ex nuda, quam præſeferunt inſcriptione, nimirum, *All'Illuſtriſſimo Signor Reginaldo*; nihilominus ex hoc ipſo rem in dubium ma-

ea res postea ob multas & magnas difficultates, & impedimenta quæ obiici videbantur, vel refrixisset,

c 5 vel

magis magisque verti, facile omnes intelligent, qui animadvertent ea tempestate *Illustrissimi* titulum proprie ad Cardinales pertinuisse, in cujus locum Urbani VIII. tempore ille *Eminentissimi* substitutus est: neque id circo ex omissa *Cardinalis* voce eumdem illa dignitate insignitum non fuisse dici posset, præsertim quum in aliis litteris ad eum nondum Cardinalem datis hic simplex titulus reperiatur: *Al Signor Reginaldo*. Ceterum plerique omnes, hunc de quo loquimur conventum, figunt anno saltem 1537. aut etiam 1538. postquam scilicet Cardinalis renunciatus esset SADOLETUS, & cum eo Caraffa, ac Polus, quippe qui illa dignitate ornati eidem subscripsisse comperiantur. Nam præter quam quod titulus hujusmodi est: *Consilium delectorum Cardinalium, & aliorum Prælatorum de emendanda Ecclesia* S. D. N. D. *Paulo III. ipso jubente conscriptum & exhibitum*: (solus autem contarenus ex IXviris, qui cætui illi adfuerunt, rubro pileo decorabatur, antequam eodem tres illi donati fuissent): accedit etiam quod IXvirorum nomina in Cæsenensi hujus consilii edit. anni 1538. (de qua tamen miror nullam fieri mentionem a laudato Card. Quirino l. c.) hac ratione atque ordine subscripta reperiantur:

Gaspar Cardinalis Contarenus.
Joannes Petrus Cardinalis Theatinus.
Jacobus Cardinalis Sadoletus.
Reginaldus Cardinalis Anglicus.
Fidericus Archiepiscopus Salernitanus.
Hieronymus Archiep. Brundusin.
Jo: Matthæus Episc. Veronensis.
Gregorius Abbas S. Georgii Venet.
Fr. Thomas Magister Sac. Palatii.

vel dilata * in aliud tempus fuiſſet; Sadoletus non amplius Romæ ſibi terendum tempus exiſtimans, ** de reditu cogitabat: cùm repente una cum quibuſdam optimis & præſtantiſſi-

* *In aliud tempus fuiſſet*.] Conſtat ex Card. Pallavicino Hiſtor. Conc. Trident. lib. IV. cap. V. Nicolaum Schombergium Cardinalem Capuanum dictum, in cauſa fuiſſe, ne emendatio in eo delectorum Cardinalium & aliorum Prælatorum Conſilio ſtatuta, unius Pontificis decreto ſtatim ad exequutionem perveniret; quod ipſe Schombergius ſatius putaverit eam ad Generale Concilium brevi cogendum, eſſe dimittendam. Animadvertendum hoc loco, a Sleidano in Commentariis memoriæ proditum, eundem libellum ab ipſo Cardinale Schombergio miſſum fuiſſe in Germaniam, idque: „ Non neſcio Pontifice, ut ſic ipſius aliquod ſtudium appareret emendationis, & ut homines intelligerent aliunde, tanquam ipſe fuerit daturus graviora, ſiquidem aliquid ejuſmodi paraſſet evulgandum „: quod tamen inter ceteras Sleidani fabellas merito amandat Cardinalis Pallavicinus loc. cit. Tantum autem a vero abeſt, quod de Schombergio traditur ab Jacobo Echard in Bibliot. Script. Ord. Præd. ſcilicet ab eo elucubratum fuiſſe *Conſilium delectorum Cardinalium, & aliorum Prælatorum de emendanda Eccleſia*; ut potius ille hujus emendationis remorandæ, ut diximus, auctor fuerit; nec certe ſederit cum $\overline{IX}$viris ei ſanciendæ delectis. Qui vero agente Schombergio opuſculum illud editum dicunt, nil aliud forte intelligunt, quam fuiſſe ab eo in Germaniam tranſmiſſum.

** *De reditu cogitabat*.] De hoc quem cogitabat reditu ſcribit ipſemet Cardinali Benedicto Accolto XII. Cal. Decembris anno 1536. lib. IX. ep. 17. & Coſmo Gerio Fani Epiſcopo III. Calend. Decembris ejuſdem anni lib. IX. ep. 18.

tissimis viris in Senatum Romanæ Ecclesiæ a Pontifice Maximo cunctis illius ordinis suffragiis, magna bonorum omnium lætitia & gratulatione * delectus est. Tum is Carpentora-

c 6

* *Delectus est.*] *Ignarus* quidem *& incogitans*, ut idem narrat Mario Maffæo Episcopo Cavallicensi Ep. 5. lib. x. data v. Nonas Januarii an. 1537. in amplissum Cardinalium ordinem cooptatus est xi. Calend. Januarii an. 1536. Nam x. Calend. hoc est die sequenti, scribens Herculi Duci Saxoniæ: „ Heri (inquit lib. x. „ ep. 1.) nihil cogitans ac ne cupiens quidem, sed „ præter omnem opinionem meam, creatus sum Car„ dinalis „. Rem totam fusius narrat Germano Brixio lib. x. epist. xvii. hisce verbis: „ Cum ignarus „ omnium & nihil minus cogitans nocte ea primum, „ quæ antecessit comitia, certior Pontificis voluntatis „ ipsius nuntio factus essem, nec temporis haberem ad „ deliberandum satis; animo autem incredibiliter æstua„ rem, quod neque res tota admodum mihi placebat, „ & tamen tantam voluntatem Pontificis erga me, il„ lumque quod de me faciebat judicium repudiare at„ que aspernari, superbum existimabam; detuli rem „ ad amicos, non tam quidem de re, ut sententias „ illorum exquirerem (eram enim prorsus ad recusan„ dum paratus) quam ut recusandi modum honestio„ rem quærerem, quem ego animo perturbato videre „ satis non poteram „. Addit, cum illi qui consulti ab eo erant, graviter eum increpuissent, quod divinæ quodammodo voluntati resistere conaretur, oblato honori ac dignitati tandem consensisse. *Optimi* autem *& præstantissimi viri* quibuscum SADOLETUS ea die in Senatum Romanæ Ecclesiæ delectus est, hi omnino fuere. *Joannes Maria de Monte*, Aretinus, ex Apostolicæ Cameræ Auditore, Sypontinus Archiepiscopus, qui postea Summus Pontifex fuit, indito sibi Julii III. nomine:

toracte ſpectans, & ad Eccleſiam ſuam redire cupiens, cum priſtinam vitæ

mine: *Joannes Petrus Caraffa* Neapolitanus, Epiſcopus Theatinus, Clericorum Regularium qui *Theatinorum* nomen ab ipſo ſortiti ſunt, cum S. Cajetano Thiæneo inſtitutor, Summus poſtea Pontifex Paulus IV. vir linguarum Hebraicæ, Græcæ, Latinæ cognitione, bonarum diſciplinarum, Theologiæ ſacrorumque dogmatum ſcientia, præſtans, omniumque virtutum ſplendore illuſtris: *Ennins Philonardus* Italus, Verulanus Epiſcopus, Arcis S. Angeli præfectus: *Carolus Hemard* Gallus, Matiſconenſis Epiſcopus, Franciſci I. Regis Chriſtianiſſimi ad ipſum Paulum III. orator, deinde Ambianenſis Epiſcopus: *Chriſtophorus Jacobatius* Romanus Epiſcopus Caſſanenſis Sanctitatis ſuæ *Datarius*: ipſe SADOLETUS: *Rodulphus Pius* Carpenſis, Faventinus Epiſcopus, a Clemente VII. Nuntius Apoſtolicus, ut dicitur, in Gallias diſignatus: *Reginaldus Polus* Anglorum regum ſanguine procreatus, unitatis Eccleſiaſticæ ſcriptis actiſque defenſor invictiſſimus, heroicæ magnanimitatis princeps, qui Pontificias legationes obiit in Galliis, in Belgio, in Anglia, ubi Catholicam religionem reſtituit, Maria regnante: *Rodericus* ſeu *Ludovicus Borgia* Hiſpanus, Joannis Gandiæ Ducis filius. Hos novem ea die Cardinales publicatos fuiſſe colligitur ex Actis Conſiſtorialibus Petri Pauli Gualterii Aretini. Duo autem in pectore reſervati, quorum ampliſſima dignitas evulgata fuit anno 1538. die XIII. Martii, fuere hi quidem *Nicolaus Cajetanus Sermoneta*, Bonifacii VIII. Gentilis, Prothonotarius Apoſtolicus, & *Hieronymus Aleander de Motta*, e Comitibus Landri in Carnia, non longe a Foro Julio oriundus, Archiepiſcopus Brunduſinus, Pariſienſis Academiæ quondam ornamentum, Rectoriſque dignitate in ea inſignitus, Ludovico XII. & Franciſco I. Regibus Chriſtianiſſimis gratiſſimus, vir omni litteraturæ genere clariſſimus, variis Sedis Apoſtolicæ Legationibus,

vitæ suæ rationem ea dignitatis amplificatione obturbatum iri intelligeret, eum honorem recusare in animo habuit: jamque hac de re epistolam composuerat, quam ad Pontifi-

bus, præsertim in Germania, pro Fidei Catholicæ negotiis præclare functus. Quum enim Paulus III. eum Cardinalem renunciaturus esset XI. Calend. Januarii una cum SADOLETO, ceterisque paullo superius laudatis; objectum a nonnullis Pontifici est, Ferdinandum Regem Romanorum, aliosque in Germania principes Catholicos hoc ægre laturos, quod in Lutheranos nimis acris fuisset; idque concordiam, quæ tunc agitabatur impedire posse, hinc factum est, ut Paulus III. ea declaratione supersederit. Quamobrem quum tantum virum de Catholica religione deque Sancta Apostolica Sede optime meritum, ab ea excidisse dignitate, perquam molestum Cardinali SADOLETO nostro contigisset, neque ipsi Pontificem conveniendi, ut ea de re conquereretur, commodum aut facultas tunc esset, statim ad Paulum litteras dedit, in quibus Aleandri scientiam, virtutes, ac merita commendans: „ Angit me (inquit) & sollici-
„ tum vehementer habet, quod unum opportunissi-
„ mum, & inprimis utile membrum nostri corporis
„ video languescere: non utar circuitionibus, neque
„ obscure aut oblique tecum agam, sed aperte, atque
„ ut veritas ipsa & fides mea fert. Incredibile est,
„ Pater Sancte, quantum dolorem acceperim, quod
„ Summus & doctissimus vir HIERONYMUS ALEANDER
„ Brundusinus ab honore illo exciderit, ad quem ego
„ vocatus sum, &c. „ Heic obiter animadvertendum, SADOLETUM toto anno 1537. Romæ substitisse, quo incidit in gravem morbum, eoque quatuor mensibus oppressus, periculum vitæ non semel adiit, ut ipsemet scribit Georgio Duci Saxoniæ IV. Kalend. Januarii anno 1537. lib. XI. ep. 2. Atque de hoc quidem morbo, paullo inferius occurret sermo pag. LXXVII.

tificem Maximum * mittere cogitabat. Sed cum in eo accipiendo honore amicorum consilio authoritatique cessisset, ita in Republica versatus est, ut nihil præter ipsius Reipublicæ commodum, & Sedis Apostolicæ dignitatem, propositum unquam habuerit: ac sententiam suam ea qua decuit libertate & constantia ** semper dixerit. Hujus adeo animi ac liber-

* *Mittere cogitabat.*] Recusandi omnino SADOLETUM Cardinalatus dignitatem (ad quam plerique velis, ut ita dicam, remisque contendunt) in animo habuisse, ex eo colligi potest, quod invitus, reluctans, vehementerque dolens eam acceperit, acceptamque illam gravem servitutem appellare semper consueverit. Ex quo enim tanto honore auctus est verus Christianæ philosophiæ professor, nunquam sese querendi, doloremque suum explicandi finem fecit: quod præcipue, passim in omnibus fere litteris post eam acceptam dignitatem exaratis fecisse videmus, ac præsertim in iis quas scripsit ad Hieronymum Vidam Albæ Episcopum lib. x. ep. 16. ad Card. Contarenum lib. IX. ep. 10. ad Petrum Bembum lib. x. ep. IX. & ad Germanum Brixium lib. x. epist. 17.

** *Semper dixerit.*] Hinc mirandum non est si SADOLETUS vel hoc nomine ab Hieronymo Plato ceteris Cardinalibus in exemplum proponatur his verbis: „ De JACOBO SADOLETO hoc traditum est, cum a „ Paulo III. factus est Cardinalis, nihil propius fuisse, „ quam ut Cardinalatum recusaret, sed amicorum con- „ silio & hortationibus victum admisisse tandem. Ve- „ rum hoc illi fixum ac statutum fuisse, ut nihil aliud „ un-

libertatis suæ magnum Reipublicæ pignus dedit, quo primum die senten-

ten-

,, unquam propositum haberet, quam reipublicæ Chri-
,, stianæ commodum & Dei unius honorem. Quare ita
,, accepimus, ejus semper sententias LIBERRIMAS fuis-
,, se, plenasque dignitatis. Nec tamen id eum minus
,, gratum Pontifici reddidit, sed potius gratiorem, qui
,, eum novis auxerit honoribus, & nominatim Gallica
,, Legatione ,,. Verum SADOLETI in dicenda sententia libertatis atque constantiæ judicium, non alia ex re melius ferri potest, quam ex ejus epistolis. Nam & ad Joannem Cardinalem Bellajum: ,, Quod me libere
,, (scribit) atque integre dicturum in Senatu senten-
,, tiam putas, in eo minime falleris. ,, Et alia Epistola: ,, Est, (inquit) id nostri ordinis hominibus a
,, Deo omnipotente præcipue propositum, ut senten-
,, tiis in Senatu dicendis recte & fortiter publicæ sa-
,, luti consulamus; qua in ratione gerendi honoris,
,, promitto me tibi assiduum comitem futurum, præeun-
,, te semper prudentia & virtute tua ,,. Et aliquibus interjectis, adjungit continuo: ,, Quod vero aut mea
,, eloquentia, (sic enim scribis) aut apud Summum
,, Pontificem auctoritas multum sit profutura reipu-
,, blicæ, in neutra re video quid assentiri possim. Nam
,, neque consilio & oratione tantum valeo, quantum
,, fortasse esset opus: & si maxime valerem, tamen
,, Pontifex optimus & sapientissimus non aliorum con-
,, silio in rebus agendis utitur, sed suo. Sed tamen
,, utcumque est; ego certe quod partium est mearum,
,, neque studio unquam, neque fide, neque opera, ne-
,, que perpetua mea, ut recte omnia agantur, volun-
,, tate Christianæ reipublicæ deero ,,. Et sane consuetum semper ac perfamiliare SADOLETO fuisse, Pontifices, Reges, ac quoscunque Principes & Cardinales, cujusque auctoritatis essent, intrepide libereque, aut viva voce, aut per litteras alloqui atque admonere; abunde quidem testantur scriptæ ab illo ad diversos

epi-

tentiam in ſenatu dixit. Plane enim declaravit, nihil ſibi unquam ſancta illa

epiſtolæ, ac præſertim quas dedit ad Alexandrum Farneſium Cardinalem Pauli PP. III. fratris filium, penes quem tunc temporis erat ſumma rerum; maxime vero in negotio Judæorum, quum urgeret Cardinalis SADOLETUS, vel ipſos a ditionis Pontificiæ finibus eliminandos, vel certe ipſorum uſuras moderandas ac reſtringendas, imminuendaque vel penitus abolenda, ſi fieri poſſet, eorumdem privilegia. Quid enim dici poteſt liberius, aut fortius, quam quod ad eumdem Cardinalem de proprio avo, ſummo videlicet Pontifice, quem alias magnopere venerabàtur, ſcripſit? „ Agam „ (inquit) fortiter, utarque libertate, quam tri- „ buit mihi Deus, neque eum principem, cui omnia „ debeo, & cujus eximiam laudem virtutis, probita- „ tis, ſapientiæ, ullis hominum ſermonibus infringi, „ aut imminui iniquiſſimo animo patior, falſis aſſen- „ tationibus in errorem inducam; ſed dicam aperte, „ ut ſe res habet. Qui poteſt videri amore religionis „ in ſuis provinciis Lutheranos perſequi, qui in iiſ- „ dem provinciis tantopere ſuſtinet Judæos? Suſtinet „ autem? Imo vero auget, condecorat, honeſtat. „ Nulli enim unquam ullo a Pontifice Chriſtiani tot „ gratiis, privilegiis, conceſſionibuſque donati ſunt, „ quam per hoſce annos Paulo III. Pontifice, hono- „ ribus, prærogativis, beneficiis, non aucti ſolum, „ ſed armati ſunt Judæi, &c. „. Deinde poſtquam alia multa in eamdem ſententiam infracto plane Sacerdotali vigore protuliſſet; quodammodo improperans, hæc demum ſubjungit: „ Et hæc vos tandem quomodo „ ab his trans Alpes nationibus (*ſcribebat enim hæc* „ *Carpentoracte*) accipi exiſtimatis, quarum in ocu- „ lis, & in conſpectu poſita ſunt? quæ nationes ca- „ rent omnes hac Judæorum peſte, nec abominantur „ pejus quicquam, quam Judæorum nomen, quos tan- „ topere vident iſtic in deliciis eſſe. In tanta ne defe- „ ctione

illa majorum nostrorum disciplina, nihil fide sua & officio futurum anti-

„ ctione animorum omnium jam a nobis gentium „ (plane enim dico omnium, quod ego ita esse in„ telligo; vos haud ita sentitis, propterea quod au„ ribus vestris vulgo homines blandiuntur) in tanta „ ne, inquam, defectione omnium, & prope execra„ tione auctoritatis Ecclesiasticæ, magno reipublicæ „ præsidio futurum putatis, si sic alueritis, sic extu„ leritis Judæos? Fideles autem & pauperes populos „ vestros sic lacerari ab illis & deripi neglexeritis? Por„ ro in hæc loca, quod tu transiens nosse potuisti, „ provinciæ maximæ concurrunt, Italia, Hispania, „ Gallia, atque Anglia, e quibus qui hac iter faciunt „ homines, conscios eos esse hujusmodi querelarum, „ easque domum ad suos referre, sane existimationi „ vestræ, & communi saluti non expedit. Sed ego „ hæc ad te vere quidem & libere, forsitan autem do„ lentius quam necesse erat scripsi. In quo ignosce mi„ hi, optime Farnesi. Pastor sum populorum horum, „ non mercenarius. Moveor, si quisquam alius, in „ improbos stomacho, erga pauperes misericordia. „ Fungor officio meo, & fungar; si potero opem fer„ re & consulere meis, habebo Deo omnipotenti, & „ optimo, maximoque Pontifici gratiam: sin minus, „ totum hoc onus rejiciam in vos, qui Principes pa„ storum estis, vos & meam vicem, & vestram eidem „ summo Deo rationem reddetis, quando vestra, non „ mea omnium rerum est potestas „. Ad Cardinalem vero conversus sic ait: „ Unum quod ad te ipsum „ proprie pertinet (dat enim mihi ætas mea, non „ auctoritas quidem, neque prudentia, apud te lo„ quendi veniam) unum inquam te admonebo. Cum „ tu istis initiis nobilitatis, fortunæ, honoris, in„ genii, ad summam omnium hominum commendatio„ nem, & spem præstantissimæ virtutis productus sis, „ si tales causas, & hujusmodi patrocinia susceperis,

„ osten-

tiquius. Forte eo die agebatur de amplissimi & nobilissimi cujusdam ho-

„ ostenderisque tibi curæ esse, æquitatem, justitiam,
„ pacem populorum, & erga Deum religionem; quæ
„ quidem res sanctissimæ ac præclarissimæ nulla re alia
„ magis, quam cupiditate lucri, avaritiæque fœdan-
„ tur, quam isti palam præsefernnt, qui Judæis tan-
„ topere studere se non dissimulant: stabile (mihi
„ crede) & firmum fundamentum in omnem posterita-
„ tem tibi subjeceris ad dignitatem & gloriam nomi-
„ nis tui quotidie magis augendam, altiusque extruen-
„ dam „. Quod ipsum eodem tenore ac spiritu plane vehementi persequitur in aliis Epistolis, tum ad eumdem Cardinalem Farnesium, tum etiam ad Cardinales Guidonem Ascanium Sfortiam, Alexandrum Cæsarinum, & Jacobum Simonetam, qui hisce fortasse SADOLETI querelis excitati, vel ipsius rei æquitate, modum deinceps Judeorum avaritiæ poni atque remedium a sequentibus Pontificibus curarunt, potissimum vero a Paulo IV. & Pio V. ut in utriusque actis habetur. Qua vero libertate, divinæ dumtaxat gloriæ zelo abreptus, idem SADOLETUS cum Paulo III. sese doluerit; eumque fere, si ita dicere fas est, reprehendere visus sit, quod Hieronymum Aleandrum Archiepiscopum Brundusinum nondum inter Cardinales retulisset; vidimus paullo superius pag. LXI. Quare nil mirum si idem Paulus Pontifex vere Maximus ac sapientissimus, integerrimi hominis zelo perspecto optimaque voluntate, non modo ejus loquendi libertatem æqui bonique fecerit, sed ejus consilia semper exequutioni mandaverit. Hieronymo enim Aleandro in Sacro Purpuratorum Patrum Senatu cooptato; quum paucis post mensibus idem Pontifex pluribus Cardinalibus renunciatis, unum adhuc Venetum legendum sibi reservasset, eum aliis literis lib. XV. ep. 9. obtestatus est SADOLETUS, ut eo in loco sufficeret Petrum Bembum clarissimum virum, & omni virtute, doctrina, eloquentiaque ornatissimum: qua re præstita, *non tam*

hominis honore & commodo: erat autem Sadoletus non collega ejus recens ſolum, ſed vetus etiam amicus. Itaque non poterat non invitus homini, quem multis de cauſis plurimi faciebat, refragari: tamen cum cauſa eſſet ejuſmodi, ut illum honeſte, ſalvis ſanctiſſimis legibus, ſen-

tam quidem (inquit) *tibi novam comparare gloriam præclari ſui in hominibus deligendis judicii, quam veterem & jam partam confirmare*, eorum omnium judicio Sanctitas ſua cenſeretur, qui in toto orbe terrarum conjectos in hanc ipſam oculos haberent. Dedit has literas SADOLETUS Nonis Januarii 1539. biniſque dumtaxat menſibus cum dimidio elapſis, humaniſſime Paulus III. ſuis illis precibus annuit. Tertiis igitur literis vir de Eccleſiæ utilitate atque ornamentis ſollicitus, eumdem Pontificem paribus votis precari ſibi fas eſſe putavit, dum ſcilicet fama nunciaret, quam primum ſuppletum iri ordinem, in quem adlegere ſoleret Sanctitas ſua optimos ac doctiſſimos viros, de quibus ita loquitur: „ Atque hi ſoli omnino ſunt, qui „ fidem præſtant ſuam honoris ſui authoribus, quique „ eos & in ipſis & in poſteritate eorum ſemper ſalvos, „ honeſtos, florenteſque eſſe cupiunt: ceteris (ut San„ctitas tua animadvertere ſæpe potuit) qui non ex „ virtute, ſed ex ambitione lecti ſunt, ſtudia & „ actiones ſuas, non officio aut honeſtatis decore, ſed „ emolumenti compendio fere dirigentibus „. Quem autem iis literis Pontifici nominavit, is fuit Gtegorius Corteſius Abbas Benedictinus, quem in hunc modum commendat: „ Nemo eſt profecto qui neſciat, quæ„cunque in magno & bono Sacerdote poſtulanda ſunt, „ omnia in eo excellenter, ineſſe, ingenium, conſilium, elo-

sententia sua adjuvare non posset: illud quod boni & constantis senatoris fuit, fecit, ut legibus ipsis potius, & religioni suæ consuleret. Nec vero non eadem libertate & constantia usus est, quotiescunque accidit, ut de ipsius Pontificis Maximi commodis, aut etiam * honore agere-

„ eloquentiam, doctrinam, & quæ his quoque laudabiliora sunt, quoniam Christianis moribus sunt propria, pietatem præterea, continentiam, religionem „. Atque huic quoque SADOLETI voluntati Pontifex benigne annuens, Cortesio in ea quæ postea subsequuta est Cardinalium cooptatione, honorem illum volens libensque mandavit. Porro quam ipse in sententiis dicundis præsetulit animi libertatem atque constantiam, eam etiam in aliis defendit ac laudavit. Hinc ad Franc. Fregepanem Episcopum Agriensem scribens x. Augusti an. 1540. lib. XI. ep. 16. „ Quod libertatem „ (inquit) tuam homines perperam interpretentur, „ eamque magis velint superbiam existimare, noli mirari, Francisce optime, tam corrupto seculo, tamque servilibus moribus. Utinam vero semper apud „ nostros Principes libera vox valeret, cujus inopia „ & egestate est factum, ut aut nulla, aut rara consilia ineantur, per quæ decus atque splendor, salus „ etiam & incolumitas Reipublicæ Christianæ restitui „ possit „. De se ipso autem iterum: „ Scribo ad „ Pontificem Maximum non tam sapienter, quam ingenue, ac libere. Quod Pontifex ipse pro sua perpetua præstantique humanitate in bonam partem „ accipiet „.

* *Honore ageretur.*] Quoniam autem Pontificis dignitatem, commodum, honorem, in iis positum arbitra-

retur. Libertate autem uti ſic ſolebat, ut neminem ea jure poſſet offendere. Leniebat enim illam ejuſmodi orationis modeſtia, quæ cogebat eos ipſos, quibus adverſaretur, in optimam partem ea quæ is dixiſſet, accipere. Sed ut amicitiæ & gratiæ nihil dabat, cum id fieri ejus fides minime patiebatur; ita cum e Republica eſſe cenſebat, quempiam in ampliſſimum ordinem aſciſci, aut alio

trabatur, quæ ad Catholicæ Eccleſiæ bonum utilitatemque conducunt; quoties de his ageretur, tunc præcipue eadem SADOLETI libertas, atque conſtantia magnopere enituit: quod cum alias, tum nominatim in negotio de colloquio Pauli III. Pontificis cum Carolo Cæſare habendo, perſpectum eſt. Quum enim de Sacri Collegii ſententia decretum fuiſſet, ſi Cæſar Bononiam ad colloquium de pace habendum venire recuſaret, ne ulterius procederet ipſe Pontifex: ratio autem ita decernendi inter alias hæc eſſet, quod id Sedis Apoſtolicæ dignitati minus convenire videretur, & Cæſar Parmam uſque ſe oſtenderet Pontificem libenter conventurum, non autem ultra: (properare enim dicebatur, nec ſpatium habere tam longe ab itinere declinandi) re in diſceptationem rurſum adducta in ſacro ſenatu, placeret ne ulterius obviam procedi, an non? quinque Patribus ante SADOLETUM rogatis, in ſententia priſtina manentibus, ipſe in contraria fuit: & de incolumitate corporis judicium ad eumdem Pontificem reiiciens; ejus & Apoſtolicæ ſedis dignitatem in eo dixit poſitam, ſi quæ ad Europæ pacem ſpectarent, quæque commoda & utilia Chri-

alio quopiam ornamento atque honore affici, cupidissime ei ac studiosissime favebat. Itaque complures egregios & virtute ingenioque præstantes viros, quo in Senatum legerentur, aut aliis sacerdotiis ornarentur, Pontifici Maximo partim coram, partim absens * per literas commendavit; idque illis sæpe inscientibus:

Christianæ Reipublicæ essent, agerentur. Hanc unam se agnoscere, neque aliam præterea ullam in Ecclesiasticis hominibus dignitatem, ut ipse refert in Epistola ad Paulum Sadoletum. Quamvis enim Ecclesiastici ordinis splendorem majestatemque tueri ac sustinere quam maxime studeret, ubi tamen de Dei ac religionis rebus ageretur, tunc id omnibus anteponebat. Quo in genere reprehensus aliquando, quod hæretico cuidam homini non humanius modo, sed etiam humilius, quam par erat, scripsisset; ipse, qui id volens sciensque fecerat, ut illum ad recte credendi normam reduceret, pulchre omnino respondit: „ Ego apud homines gravitatem „ conservo, in causa Dei depono, siquidem & David „ ante arcam Dei pietatis memor fuit, non dignita„ tis „. Huic simile quid refert, scribens Georgio Saxoniæ Duci XVII. Cal. Februar. anno 1538. lib. XI. ep. 3.

* *Per literas commendavit.*] Egregii vero ac virtute ingenioque præstantes viri, quos Paulus III. authore atque hortatore Sadoleto in amplissimum Cardinalium ordinem retulit, fuerunt Hieronymus Aleander Archiepiscopus Brundusinus, Petrus Bembus Patritius Venetus, & Gregorius Cortesius Abbas Benedictinus, de quibus vide quæ diximus paullo superius pag. LXVI. & seq.

Hos

tibus: non enim hoc ambitione adductus faciebat, sed studio Reipublicæ. Nec vero silendum est de illis officiis, quæ in quosdam Germaniæ Principes, ipsorum quidem etiam, sed multo magis Reipublicæ & communis religionis causa contulit: semper enim de illa tot Germaniæ po-

Hos præter, eumdem etiam honorem Paulum III. mandasse constat Hieronymo Capoferreo Niciensium Episcopo, & Thomæ Campegio Episcopo Feltrensi, quos ambos amplo testimonio idem SADOLETUS exornaverat in literis ad eundem Pontificem, in quibus ita scribit: „ Cum ergo proximis Cardinalium comitiis, quæ instare jam jamque, & prope adesse sermonibus hominum circumfertur, sit Sanctitati tuæ locus, suam „ quemadmodum consuevit, liberalitatem & beneficentiam in benemeritos exercendi, putavi ad meam „ fidem atque officium pertinere, duos tibi commendare, quos tibi ipsi non dubito esse probatissimos. „ Quod equidem facio, non illorum precibus efflagitatus, (absunt enim ambo a me longe gentium, „ meæque hujus cogitationis penitus ignari sunt) sed „ hoc officium atque operam virtuti, & veritati, & amicitiæ sponte tribuens „. Haud facile quidem dictu est, quantum SADOLETUS hominibus virtute ingenioque præstantibus faveret, quantum eos optaret auctoritate tueri, pecunia sublevare, amicis commendare, omni denique officiorum genere complecti. Hinc ad amplissimos Cardinales Joannem Lotharingum, Benedictum Accoltum, Dionysium Laurerium aliosque scribens: „ Quoties, inquit, mihi datur occasio, favere soleo „ doctis viris, idque mea sponte, nulla intercedente nec „ re, nec familiaritate, quod uno tantum doctrinæ no-

populorum & principum defectione, Ecclesiæ luctuosa, ipsis pestifera, * gravissime doluit: semper ut ii, qui & poterant & debebant, tanto illi vulneri mederentur, optavit. Sed cum sedulitate sua, iis qui tum ab Ecclesia & Pontifice Romano penitus alienati erant, prodesse nihil posset, enixe id operam dedit, ut eos saltem qui sua sponte in recta religione permanserant, & Sedi Apostolicæ amici erant, officiis suis aliquan-

„ nomine ad eos amandum & complectendum addu-
„ cor „. Et alibi: „ Nihil est, quod agam liben-
„ tius, quam ut opituler quoad possum doctis viris, &
„ eorum animos ita sustentem, ut ne eos studium suum
„ in optimis artibus posuisse unquam pœniteat. Quod
„ si meæ huic voluntati fortuna benignius esset suffra-
„ gata, nemo me (opinor) istam vel laudem, vel vo-
„ luptatem bene de bonis promerendi, studiosins appe-
„ tiisset. Nunc in hoc meæ vitæ statu, qui etsi multis
„ externis rebus deficitur, eas tamen habet insitas ani-
„ mi jucunditates, ut mea maxime fortuna contentus
„ vivam; interdum tamen illud me angit, quod non
„ possum, quemadmodum quidem cuperem, bonis &
„ doctis omnibus prodesse „.

* *Gravissime doluit*.] Id satis superque ostendit Epist. 10. lib. XI. data ad Gulielmum Bavariæ Ducem VI. Idus Maii 1542. in qua: „ Ego (inquit) qui ob
„ propinqua pericula, quæ instant nomini Christiano
„ atque imminent dies noctesque assidue sollicitor, nec
„ ullam partem capio quietis, vehementissime quidem
„ opta-

quanto etiam amiciores & firmiores redderet. Itaque Georgium in primis, & Gullielmum, hunc Bavariæ, illum Saxoniæ ducem, omni ſuo ſtudio officioque complexus eſt: quæcunque ab eo proficiſci potuerunt ad illos ornandos, & cohoneſtandos, profecta ſunt: in eorum negotiis de quibus cum Pontifice Maximo agendum eſſet ipſorum Procuratores, & Legatos, opera, conſilio, authoritate

d ſua

„ optarim habere quempiam tuorum, quo cum ea, quæ „ me angunt & ſollicitant, communicare tuto poſſem: „ Et infra: „ Etenim ſcito me graviter angi, quod video nos omnes in extremum jam ruere diſcrimen, „ quando iſta auxilia apparatuſque Germaniæ qui feruntur, me quidem non conſolentur, ſed perterreant „. Plures autem Epiſtolas in extremis præſertim ſuæ vitæ annis, ad Georgium Saxoniæ, & Gulielmum Bavariæ Ducem ſcripſit, in quibus eos piis conſiliis & hortationibus in ſuſcepta ſemel fidei Catholicæ defenſione confirmat. Et ſane eoſdem Duces SADOLETUM omni ſuo ſtudio officioque complexum fuiſſe, narrat Forebellus. Quum ſciret autem Des. Eraſmum Roterodamum ea tempeſtate inter illuſtres doctrinæ ac ingenii laude viros magnopere eminere, atque adeo cum eo amicitiam coleret, & commercium haberet Epiſtolarum SADOLETUS noſter; haud omiſit, tum illum, ut ſcriptis ſuis pro Eccleſia Catholica pugnaret, excitare, tum amice admonere, ne malevolis ſuis aliquam præberet occaſionem de illius doctrinæ puritate dubitandi, innuens ſe Pontifici Maximo, Clementi nimirum VII. vel Paulo III.

sua semper adjuvit. Ejus porro officia adeo grata illis fuerunt, ut & ami-

lo III. suasisse, ut insigne quoddam Sacerdotium in Germania ipsi traderet; quod præstitisset Pontifex, nisi nonnulli ei suggessissent, Erasmum haud recte de fide sentire; ac multa in ejus operibus a Catholicæ Religionis norma abhorrentia irrepsisse. Quare SADOLETUS ne Christianæ caritatis officio ulla in re deesse videretur; ut eum in Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fide contineret, Epistolam ad illum scripsit prid. Idus Februari an. 1530. lib. IV. ep. I. in qua verbis suavissimis hominem hortatus, ut ab his scopulis præcaveret: „ Nos (inquit) „ mi Erasme, quantum possumus, uterque pro virili „ parte, feramus opem labenti fidei Christianæ, quæ „ ut vides ipse, non solum vitiorum in hoc tempore „ dominatu, & multitudine facinorosorum hominum, „ quibus omnia redundant, sed externis domesticisque „ hostibus, omnibusque & bellorum & impietatis ma- „ chinis oppugnatur: estque ad cadendum proclivis, „ nisi eam, qui unus omnia potest, fulserit & susti- „ nuerit Deus „. Et in eadem Epistola paullo superius: „ Unum est, quod optarim, (quid enim me „ prohibet idem officium amici præstare tibi, quod ego „ abs te requiro?) unum est, inquam, quod velim, „ idque tibi vehementer suadeam, ut a contentionibus „ omnibus te avoces: & aliqua in scribendo præter- „ mittas, quæ ut non sint a vera pietate abhorrentia, „ contra tamen inveteratas populi opiniones, & quo- „ rundam hominum, sive etiam ordinum studia ten- „ dunt: quibus se non opponere, majoris arbitror fore „ gravitatis cum præsertim sacrarum scriptura- „ rum paratus campus sit, late in omnem partem pa- „ tens; ubi te ad tuum arbitrium exercere, & omnes „ in eo ingenii tui divitias explicare possis; quas ad- „ mirentur homines, non de quibus litem tibi inten- „ dant „. Et in aliis ad eumdem Erasmum litteris eodem lib. IV. „ Psalmum tuum mihi redditum, cum „ in

amicissime ei scribere soliti fuerint, & gratias agere, & Procuratoribus
d 2 suis,

„ in prandio essem, avide perlegi, cursim videlicet: „ Quantum tamen ex illo primo aspectu percipere po„ tui, duæ me res in eo eximie delectarunt. Una, „ quod ubique fere, & omnibus in locis, stimulis „ quibusdam pietatis ac religionis ex verbis tuis ani„ mum meum pertentari sentiebam: ita dulcis & pia, „ ac omnes deliniens sensus fluebat oratio. Altera „ quod tu in hoc genere factus es constantior adversus „ ineptorum hominum garrulitates non tam refutan„ das quam contemnendas. Quod ego te prioribus li„ teris cum hortabar, idcirco mi Erasme faciebam, „ quod tuæ me dignitatis studium & cura stimulabat. „ Quanquam enim (ut tu scribis) altius vitiis indor„ mientes clamare asperius aliquando sit necesse, tamen „ id ita agere, ut non a stomacho neque ab iracundia „ illiusmodi reprehensio profecta esse videatur, si cui„ quam, tibi profecto convenit. Illud autem censue„ rim, cum jam accepta vulgo quædam sint, quæ suapte „ natura ita redolent pietatem, ut solum in eis, quod „ nimium est, subaccusari posse videatur (cujusmodi „ est sanctorum quædam veneratio & picturarum cre„ britas) non esse popularibus studiis obsistendum. Non „ quin rectius sit figere in Christo cogitationum sum„ mam, sed neque ista a fide nostra aliena sunt, & „ non queunt omnes ad sublimiora illa facile ascen„ dere „. Quod si quis regerat, leniter nimis a SADOLETO hoc loco illum Erasmum reprehendi, imo profuse laudari, quem de Sanctorum veneratione, de sacrarum imaginum cultu, de purgatorio, deque hujuscemodi Ecclesiæ Catholicæ dogmatibus, perperam sensisse constat; animadvertat una cum Lud. Donio d' Attichy, SADOLETUM ibi aperte dicere, in iis solum quod nimium est *subaccusari* posse: „ Quod idem est ac si „ diceret, (inquit auctor laudatus) nequaquam sancto„ rum, earumque imaginum religiosum cultum repre-

hendi,

ſuis, ut ejus potiſſimum opera & conſilio uterentur, præſcribere. In gra-

„ hendi, quem Eccleſia commendat, ſed ſuperſtitio-
„ ſum abuſum, quem omnes mente, ac fide ſani re-
„ probant, quanquam ille diminitione verbi facta,
„ non *accuſari*, ſed *ſubaccuſari* poſſe dixit: ne modum
„ rei carpens, ipſi rei ſacræ injuriam facere videre-
„ tur........ Quod autem Eraſmo adblandiri, il-
„ lumque potius palpare, imo laudare viſus eſt, quam
„ increpare, id in cauſa fuit, quod cum eo durius
„ agere nollet, quem benevolentiæ philtro in ſuas, hoc
„ eſt Eccleſiæ partes trahere cogitabat, cavebatque di-
„ ligenter, ne is ad adverſarios tranſiret, quod id
„ cauſſæ fidei plurimum nociturum arbitraretur. Quod
„ enim amicus Eraſmo περὶ βωμῶν fuerit Sadoletus,
„ vel ex eo ſatis liquet, quod aperte illi ſuadet exem-
„ plo proprio, & magnorum virorum, quorum prin-
„ ceps eſt D. Auguſtinus, ut ſi quæ ſunt audacius ab
„ eo ſcripta, illa continuo vel excuſare, vel retracta-
„ re non gravetur „. Et ſane ſcribens ad eumdem
Eraſmum viii. idus Maii 1532. lib. iv. ep. 3. hac
illum ratione ad ſeſe retractandum ſuadere conatur:
„ Sed ego ſi iſto loco eſſem, una ſemel defenſione, in
„ univerſum omnibus reſponderem; partim juventæ
„ facta conſiliaque excuſans, ſi quid forte eſſet a me in
„ illa ætate liberius ſcriptum: partim etiam modeſte
„ prudenterque retractans quæ hujuſmodi eſſent; ut
„ etiam ſi non vere, at ſaltem veroſimiliter anſam ali-
„ quam poſſent præbere obtrectantibus: quod ſummos
„ doctores ſanctiſſimos homines cernimus feciſſe. Po-
„ ſtremo vero omnem ſenſum meum de fide Catholica
„ ita exponens, ut non poſſet cuiquam eſſe dubium
„ quid ſentirem: hoc opere edito, perenne mihi ſilen-
„ tium ſuſciperem adverſus malevolos, quorum inſo-
„ lentiam iniquaſque calumnias, cum res ipſa & veri-
„ tas, tum tua excellens fama virtuſque refutaret.
„ Sed ego hæc non tam monendi tui cauſa loquor (non
ne enim

gravissimum postea * morbum incidit, ex quo nondum plane sese confirmaverat, cum proficiscentem Paulum Pontificem Maximum ad reconciliandos Carolum Romanorum Imperatorem, & Franciscum Gallorum

„ enim tu eges monitore) quam testificandi sensus & „ animi mei: Oecolampadium extinctum, utinam „ possem dolere jure. Sic enim literæ & doctrina ho„ minis postulabat, nisi extitisset ille in alio genere „ perniciosus „. Ergo multo magis Erasmi in fide dubii, quam Oecolampadii hæresiarchæ notissimi, potuit ingenium ac personam amare, doctrinam damnare & detestari. Quare a Friderico Nausea reprehensus, quod cum hæretico (quem Melanctonem fuisse conjectare licet, eo quod ad illum in Conventu Schmalcaldiæ litteras humanitatis & benevolentiæ plenas referat Bzovius in Annalib. ad an. 1537. num. IX.) consuetudinem per litteras habuisset; quum de talibus a D. Johanne scriptum esset: „ Ne quidem ave dixeritis ei; qui enim „ dixerit ei ave, communicat operibus ejus malignis „: SADOLETUS eidem Nauseæ scribens x. Cal. Decembr. 1537. lib. XI. ep. 17. ita respondit: „ Ad hominem „ illum scripsi, bono ut mihi visus sum consilio: sancto quidem & pio certe. Neque enim aliud quæsivi, „ nisi conciliare mihi ejus voluntatem. Quod si mihi „ ex sententia successisset, crede mihi aliquo præclaro „ munere Christianam rempublicam affecissem „.

* *Morbum incidit.*] Febribus nimirum vexatus & adductus est SADOLETUS anno 1537. (toto enim hoc anno Romæ substitit) & quatuor pene mensium intervallo periculosissimo illo morbo oppressus, periculum vitæ non semel adiit, ut ipsemet scribit Georgio Saxoniæ Duci LV. Calend. Januarii anno 1537. lib. X. ep. 2. atque etiam Friderico Nauseæ x. Calend. Decembris ejusdem anni, lib. XI. ep. 17.

Regem, grave inter se & diuturnum bellum gerentes, * secutus est: quo in itinere cum Placentiam venisset, ** de integro ægrotavit. Ibi cum aliquot dies curandi sui causa substitisset, ut primum convalescere cœpit, festinans properansque optatissimæ illi de pace actioni interesse, itineri se commisit, neque destitit, quin Nicæam quo conventuri illi erant Principes, *** perveniret. Tum vero

* *Secutus est.*] Sequutus quidem est SADOLETUS Pontificem, qui jam antecesserat ut ipse scribit ad Georgium Saxoniæ Ducem XI. Calend. Octobris an. 1538. lib. XI. ep. 4. quum esset Pontifex ex urbe profectus mense Majo ejusdem anni 1538. Veritus enim Paulus III. ne bellum quod inter Carolum V. Cæsarem, & Franciscum I. Galliæ Regem exarserat, fœdus turbaret contra Solimanum Turcarum tyramnum superiori anno decretum, ut Nicæam ad colloquium accederent, curavit, quo idem Pontifex, quamvis gravi ætate, conferre se voluit.

** *De integro ægrôtavit.*] Narrat id Julio Peflugo scribens XI. Calend. Octobris anno 1538. lib. XI. ep. 5. excusansque tarditatem literarum suarum. „ Cum enim „ (inquit) in illo ipso nostro ex urbe Roma discessu, „ quo Nicæam omnes contendebamus, eas accepissem, „ neque tum spatium habui rescribendi, & toto illo „ itinere incertis febribus doloribusque intestinorum „ gravissime vexatus, vix vitam potui retinere; quæ „ certe fuisset amissa, nisi Dei summa bonitas & cle„ mentia opem mihi tulisset „.

*** *Perveniret.*] Hinc in laudata Epist. ad Georgium

vero tempus illud ratus esse, quo bonos omnes pacem urgere oporteret, uti ea fieret pro sua parte vehementer enixus est. Deinde cum ea minime convenire potuisset, pactis Pontificis Maximi opera * decem annorum induciis, cum is Pontifex * * Romam reverteretur, ipse concessu ejus Carpentoracte, reficiendi & confirmandi sui, ac revisendæ Ecclesiæ causa *** se recepit.

gium Saxoniæ Ducem, hæc scribit. „ Nicæam veni, „ quomodo quidem potui, delatus lectica, omni ratione adnitens, ut interessem consiliis, in quibus de „ summa Reipublicæ agebatur; cum tamen quotidie „ aliquot horas levi febricula laborarem, essemque invalidus, qua invalitudine adductus non sum, ut desisterem a muneribus publicis „.

* *Decem annorum induciis.*] Quamvis Jovius & Panvinius novennales tantum inducias solemni tabularum adstipulatione firmatas fuisse dicant; constat tamen eas decennales, ut heic Florebellus ait, extitisse, quum ipsemet Pontifex diserte id asserat in prorogatione Concilii Vicentini, & in indictione Concilii Tridentini; idemque etiam affirmet Diarii auctor his verbis: „ Die „ decima octava Junii factæ sunt induciæ decennales „ inter Cæsarem & Gallum „.

* * *Romam reverteretur.*] Pontificem die vigesima Junii Nicæa discessisse, (eum Cæsar comitatus est usque ad Genuam) ac die decima quarta Julii Romam feliciter appulisse, refert Paulus Gualterius Aretinus in suis diariis.

* * * *Se recepit.*] Eadem subjungit ipse SADOLETUS lib.

Commoratus ibi eſt, ut rem familiarem plane conſtitueret, aliquanto diutius, quam * ſe facturum oſtenderat:

lib.XI.ep.5. ad Peflugum: atque in literis ſcriptis Alberto Pighio III. Calend. Martii 1539. lib. XVI. ep. I. narrat ſe Carpentoracte eſſe, quo Nicæa venerat, ut ex longo & difficili morbo perditam prope valetudinem recrearet, quibus in locis hyems eum oppreſſerat: remque fuſius aliquanto proſequitur in Epiſt. ad Joan. Cochlæum data prid. Calend. Decembris 1538. lib. XI. ep. 6. his verbis. „ Summum Pontificem ad conciliandos principes Nicæam proficiſcentem, ego ex urbe proſecutus, toto illo itinere, Placentiæ præſertim, graviter ægrotavi. Nec tamen deniti, quin pervenirem Nicæam, illiſque ſanctis & ſalutaribus negotiis intereſſem. Poſt, conventu ſoluto, locorum vicinitatem, & cœli ſalubritatem ſecutus, Carpentoracte meam ad Eccleſiam me recepi, ubi etiam nunc commoror, nec ante proximum ver in Italiam rediturus ſum „.

* *Se facturum oſtenderat.*] Veniam enim ei dederat Pontifex, quo Roma abeſſe ad ſtatutum tempus poſſet. Itaque Pontifici ſcribens idibus Octobr. an. 1538. lib. XII. ep. 2. narrat ſe literas accepiſſe III. Idus Octobris Cardinalis Farneſii: „ Quibus ille me (inquit) hortatur & admonet ac Sanctitatis tuæ verbis etiam mandat, ut jam exacto fere eo tempore, quod meæ abſentiæ a te præſtitum fuerat, ad urbem quamprimum me recipiam „. Petit tamen a Pontifice facultatem longius Carpentoracti, hoc eſt in Eccleſia ſua commorandi: de qua etiam re extant ejuſdem ad Cardinalem Farneſium literæ datæ Id. Octobr. an. 1538. lib. XII. ep. 8. & pridie Cal. Decembr. ejuſdem anni lib. XI. ep. 6. Ac impetraſſe quidem videtur; & triennium atque aliquanto amplius Carpentoracte fuiſſe. Quum enim illa ſcriberet Idib. Octobris & prid. Calend. Decembris an.

derat: ne tamen operam suam interea Reipublicæ navare desineret,

an. 1538. lib. XII. ep.3. identidem scribit eidem Cardinali Farnesio IV. Calend. Augusti anni sequentis 1539. lib. XII. ep.5. orans eum rogansque, ut in memoria habeat, excusetque se apud Summum Pontificem, totumque se denique & tuendum sibi, & defendendum suscipiat. Præterea eodem anno 1539. dedit literas Joanni Cochlæo VII. Idus Julii lib. XI. ep.8. & pridie Idus Novembris lib. XI. ep. 9. quarum primis: „ Cum hæc „ (inquit) ad te scriberem, aberam ab urbe, deque „ meo illuc reditu nondum quippiam certi constitue„ ram: „ in alteris vero literis, ubi doluit, suas ad illum non fuisse redditas; subidit: Eum tamen ab„ sens adhuc & in Ecclesia mea manens Carpentoracti, „ meis qui in urbe sunt præcepissem, ut omnes meas „ ad te literas per Ambrosium Theutonem, quem tu „ mihi nominas in literis, ad te mittendas curarent... „ Si Romæ essem, plura polliceri tibi possem; nunc „ cum sim in his locis, neque illuc (ut nunc est) me „ conferre cogitem, causis & multis, & necessariis „ adductus &c. „ In eamdem fere sententiam scribit Francisco Fregepani, item VII. Idus Julii ejusdem anni 1539. lib. XI. ep. 14. „ Qui si Romæ essem, lacesse„ rem te crebro meis scriptis. Nunc longe gentium „ absum, neque sane mihi constat, quod ad tempus „ sim in urbem reversurus: nam neque quicquam ad„ huc video, quod me illuc attrahat, & multa sunt „ hic, quæ me detineant. Proinde scito labare meum „ illud primum consilium Romam redeundi „. Eidem scribit Carpentoracti X. Calend. Augusti anno 1540. lib. XI.ep. 16. Continuum ibi fuisse usque ad hoc tempus significat Joanni Archiepiscopo Upsaliensi ep. 18. „ Ad „ XV. Cal. Januarii cum essem in mea Ecclesia Carpen„ toracti, quo post discessum a Nicæa Summi Pontifi„ cis me contuleram, accepi tuas literas XIII. Calend. „ Novembris Venetiis datas „. Scriptæ sunt autem

opus præclarum sane, & Reipublicæ temporibus aptum aggressus est, de extructione Catholicæ (ita enim inscribebat) * Ecclesiæ: quod opus Joanni Salviato collegæ suo desponderat, cum propter veterem eorum inter se necessitudinem, tum ob excellentem ejus viri in sacris literis & ce-

hæ literæ Carpentoracti IX. Calendas Januarii an. 1540. lib. XI. ep. 18. Hoc tempore munus ei collatum est Pontificio diplomate, ut in Lutheranos inquireret atque animadverteret. De eo gratias agit Cardinali Farnesio, in epistola paullo superius laudata, scripta scilicet IV. Calend. Augusti an. 1539. lib. XII. ep. 5. Porro an. 1541. die XVI. Calend. Septembris scribit Antonio Florebello *ex Feliciano nostræ Diœceseos* lib. XVI. ep. 19.; atque eodem anno VII. Calend. Decembris, literas dedit Paulus III. Pontifici Max. pariter ex urbe Carpentoractensi lib. XII. ep. 10. ubi usque ad totum fere mensem Februarii anni 1542. mansit, ut infra videbimus. Atque hoc quidem loco, minime prætereundum est, Cardinalis nostri SADOLETI insigne officii sive pietatis exemplum in Aesinum Episcopum; cujus testamento hæres relictus, etsi jacturæ potius aliquid quam compendii fecerat; sepulchrum tamen eidem in Templo D. Mariæ supra Minervam propriis ut extrueretur sumptibus desiderans, quum ipse Roma abesset, hujus rei curam in amicos suos Binum & Molzam contulit, ut patet ex Epistola Italico idiomate ad utrosque data *a XXIII. di Decembre* 1540.

* *Ecclesiæ.*] Non in omnibus locis in quibus ejusdem operis mentionem facit SADOLETUS, illud eodem titulo inscribit. Etenim scribens Cardinali Dionysio & Marcello Cervino idem opus vocat *de ædificatione Catholicæ Ecclesiæ*; in literis vero Ambrosio Catharino *de ordinibus & constructione Catholicæ Ecclesiæ*.

& ceteris disciplinis, quæ magno viro dignæ sunt, * scientiam. Verum

* *Scientiam.*] Patet id ex ejusdem SADOLETI Epistola ad Joannem Cardinalem Salviatum data IV. Calend. Aprilis anno 1536. lib.v.ep.3.cujus fragmentum superius protulimus in his nostris adnotationibus. Scribens præterea eidem Cardinali Salviato v. Idus Decembris anno 1539. lib. XIV. ep. 4. „ Ne me forte, (inquit) putes tui oblitum esse, & quoniam de gloria „ librum, quem tuo nomine scribendum susceperam „ non sum persecutus accipe argumentum multo „ gravius, ut ego arbitror, & utriusque nostrum per„ sonæ accommodatius, quod ego de extructione Ca„ tholicæ Ecclesiæ exorsus sum, tuoque id nomini di„ cavi, ut quoquo modo possem, tuis erga me meritis „ gratiam aliquam referrem. Hujus ego operis duos „ jam libros confeci: sed cum prior liber aliquanto vi„ deretur esse limatior, non duxi procrastinandum, „ quin mitterem eum ad te, ut perspicere primo quo„ que tempore posses, Salviate amplissime, quam in „ intimis meis sensibus fortiter inhæreres. Videban„ tur duo adhuc restare libri, quos ut absolvam at„ que perficiam, maximæ quidem mihi curæ est. Sed „ omnino magnitudine rerum impediebatur vis ingenii „ nostra, etsi animo quidem sumus alacres, sed copiis „ haud ita firmis „. Porro inter Epistolas Cardinalis Reginaldi Poli, ab Eminentissimo Quirino primum editas, una extat tom. 2. pag. 146. ejusdem Card. Poli ad Gasparem Contarenum Cardinalem, data Carpentoracti XXV. Martii 1539. cujus partem inter clarorum virorum de SADOLETO testimonia protulimus pag. CXXIV.; propterea quod in ea agitur de ipso SADOLETI opere, de quo judicium suum aperuerat Contarenus per literas datas ipsi SADOLETO, qui easdem Polo legendas tradiderat. Hic autem Contarenum certiorem facit, quæcumque ipse in eo libro (scilicet de *extructione* sive *ædificatione Ecclesiæ*) amanter prudenterque notaverat, amantius forte & majori cum

rum propter itinera & occupationes, quæ illum aliæ ex aliis poſtea impeditum tenuerunt, nec tres, quos jam confecerat ejus operis libros, perpolire, nec quartum, quem illi tanquam faſtigium addere in animo habebat, * inſtituere potuit. Revoca-

cum judicio atque animi æquitate a SADOLETO accepta fuiſſe, gratulatumque eumdem ſibi præterea de eo maxime, quod loca quædam ejuſdem libri, quæ nonnulli perperam fuerant interpretati, accurate expendens Contarenus, oculo ſuo columbino, in ipſam rei veritatem, & authoris ipſius ſententiam penetraſſet „. Interim vero (ita poſtea ſubdit) hoc eum merito dolet (quod certe nobis omnibus non minus moleſtum eſſe debet, pro tanti viri fama, & Collegii conjunctione) quoſdam eſſe inventos, qui ex eodem libro, de quo ipſe nondum firmum judicium fecerat, quem paucis communicandum, & his ſolis, quorum judicium exquirebat, eſſe voluit, neſcio quæ excerpſere, & in vulgus protulere, quæ nec cum illius ſententia, cum ſcriberet, conveniunt, & huic infamiam apud ignaros rei veritatis inurere poſſet, tanquam novi, & alieni a conſueta Eccleſiæ doctrina dogmatis author eſſe vellet „. Tandem Contarenum rogat, ut pro tanto viro, & collega, imo pro honore ipſius collegii, defenſoris partes ubique, & apud omnes, atque ipſum etiam Pontificem, ſi opus foret, ſuſcipiat.

* *Inſtituere potuit.*] Duos jam hujus operis libros confecerat anno 1539. in tertio vero lucubrando occupabatur anno 1541. *nec laboribus, nec vigiliis parcens*, ut Cardinali Dionyſio ſcribit, & Bened. Accolto Cardinali Ravennæ cal. Auguſti eodem anno 1541. Porro ex ex his oritur dubitandi locus, tuam opus hoc *de ex-*

tru-

vocatus enim * Romam, vix dum ibi constiterat, cum renovato quibusdam de causis inter Carolum & Franciscum bello, & ob eorum discordias Republica Christiana iterum in

tructione Catholicæ Ecclesiæ, idem sit an illud *de Republica Christiana*, quod aggressus ille erat, sive meditabatur, & cujus proemium primum editum a P. Lazeri S. I. ad calcem tom. I. Miscellan. ex manuscript. Biblioth. Colleg. Romani p.608. habes inferius p.CVIII. Quum enim in hoc proemio affirmet opus se aggredi *senectute jam gravem; quippe qui ad* LXX. *annum accesserit*: (erat autem ei annus LXX. Rep. Sal.1547. qui fuit etiam vitæ postremus) ex Epistola autem ad Cardinalem Accoltum paullo superius laudata constet, eum an. 1541. in tertio libro operis *de extructione Catholicæ Ecclesiæ* elucubrando detentum fuisse; ut hanc temporis repugnantiam conciliemus, vel dicendum est, duo hæc fuisse opera diversa, vel ipsum libris jam confectis proemium scripsisse, in quo illa dixerit.

* *Romam*.] Anno 1542. Romam se venisse accersitum a Paulo III. testatur idem SADOLETUS in literis Gulielmo Duci Bavariæ scriptis VI. Idus Maii eodem anno lib. XI. ep. 10.: „Cum ab Carpentoractensi Ecclesia mea „Romam rediissem Pontificis Maximi jussu, non mo„do evocatus, verum etiam compulsus„. Erat tamen adhuc Carpentoracti XIII. Calendas Martii. Nam ea die indidem scribit Gulielmo Pojeto lib.XIII. ep.9., significans tamen, se cum aliis Cardinalibus evocatum: „Puto te audisse nos omnes, qui de Cardinalium Collegio „sumus, Summi Pontificis litteris ad urbem esse accitos. „Itaque etsi ægre ab Ecclesia mea divellor, mihique „cum hoc iter, tum vero in urbe mansio in omnem „partem incommoda futura est, tamen quando ex„cusatio, qua usus fueram accepta non est, ea quæ huic

in maximum discrimen adducta, quippe cum Turcicum bellum impendere videretur: Paulus Pontifex Maximus per legatos cum utroque eorum de pace agendum esse existimavit. Itaque delectus ipse est, qui legatus ad Galliæ * regem iret: qui

„ huic itineri necessaria sunt comparo, meque his vi-
„ ginti circiter diebus profecturum hinc arbitror „.
Porro extant litteræ apud Raynaldum in Annalibus ad hunc annum num. XLVII. quibus Cardinales ad urbem accersuntur, causaque profertur præcipue illa, quod Concilii instaret celebratio: „ Superiore anno consi-
„ derantes, quod S. R. E. Cardinales ad id creantur,
„ ut Romano Pontifici in participatione curarum præ-
„ sentes assistant, eaque esse tempora, ut si quando
„ antea illorum opera & consilium cuiquam prædeces-
„ sorum nostrorum opportuna fuissent, nobis maxime
„ necessaria tunc essent, cum universalis Concilii in-
„ staret celebratio, ac de summa rerum totius Chri-
„ stianitatis, maximoque illius periculo ageretur, vo-
„ cavimus ad suum officium Circumspectionem tuam,
„ &c. „

* *Regem iret.*] Hanc Gallicam Legationem commemorat ipse SADOLETUS Joanni Morono Card. scribens IX. Calend. Julii 1544. præcipue vero in quadam ad Paulum fratris filium Epistola data XV. Calendas Julii 1543. ubi: „ Anceps igitur (inquit) animi, &
„ dubius, quid casurum esset, Bononiam perrexi No-
„ nis ipsis Juniis; diverti ad Paleotos, quorum vetus
„ hospitium nobiscum, hac nova familiaritate reno-
„ vatum est. Postridie mane Pontificem Summum con-
„ veni. Acceptus sum ab eo perbenigne; laudavit ope-
„ ras nostras legationis Gallicæ, adventum nostrum
„ ad

qui quanquam affecta jam ætate esset, tamen nullum pro Republica laborem aut periculum recusans, legationem eam suscepit: adhibitaque diligentia, quantam maximam ferre seni-

„ ad sese sibi imprimis gratum esse affirmavit „. Porro in alia ad eumdem Epistola paucis diebus ante conscripta accersitum se fuisse a Pontifice Bononiam, iterque suum narrat: „ Decimo octavo (inquiens) die „ postquam a te discesseram Mutinam veni Idibus ipsis „ Maiis: ibi Alfonsum fratrem offendi valentem . . . „ Sed illi pene inopinatus fuit adventus meus. Etsi „ enim imperium noverat, quo ego accersebar, de mea „ tamen voluntate fuerat dubius Ego illo triduo „ Florebellum Bononiam misi, & ad Farnesium litteras, „ nihil dissimulans de mœstitia mea, & simul exponens „ quam mihi grave extitisset venire in Italiam, & „ alienissimo meo tempore, iter illud suscipere. Petebam autem, ut transacto cum Cæsare colloquio, „ liceret mihi Carpentoracte reverti, quod jam unum „ atque solum a Summo Pontifice expeterem beneficium. Erat & illa excusatio in litteris me non „ continuo Bononiam profectum esse, quod de via fessus, aliquot dierum quiete, reficiendi mei causa indigerem; me tamen quod ipsi impetrassent esse facturum. Responderunt posse me Mutinæ ipsorum voluntate residere, donec vocandi adesset opportunitas. Quo ego nuntio accepto in Cornelianum nostrum „ me contuli, ubi sextum diem jam ago &c. „ Ceterum ex Italica Epistola Florebelli ad Cardinalem Bembum data *di Pernes alli* XI. *di Gennaro* 1543. colligitur SADOLETUM sub initium mensis Decembris an. 1542. ex Gallica Legatione ad Ecclesiam suam revertisse. Ibi enim hæc habet. „ Egli (Card. Sadoletus) Dio gratia stà sano: giunse quà alla fine del mese passato, „ partitosi dalla corte con buona gratia del Rè, & di „ quelli Signori &c.

ſenile corpus poterat, mature in Galliam pervenit. Talis viri authoritate regem permotum eſſe, res poſtea declaravit. Nam cum ei Sadoletus Pontificis Maximi mandata ac monita expoſuiſſet, poſt aliquot congreſſus, animum ejus, quanquam armati & viribus ſuis fidentis, ad pacem flexit. Itaque ex magna deſperatione concordiæ, ſubito in ſpem compoſitionis ventum erat, ſi modo alterius legati qui in Hiſpaniam ad Carolum * miſſus fuerat, felicior fuiſ-

* *Miſſus fuerat.*] Legatus ad Cæſarem hac de re primum miſſus eſt Gaſpar Cardinalis Contarenus, quo interim vita functo, Michael Silvius Cardinalis Viſenſis Luſitanus, eodem munere functus eſt. Poſtulat autem locus iſte quoniam de SADOLETI & Contareni legationibus eſt ſermo, ut una cum Card. Quirino adnotemus, tanti ea ætate fieri conſueviſſe hujuſcemodi legationes, in quibus Cardinales doctrina & moribus præſtantes exercebantur, ut præ ſtrenua illa Reipublicæ adminiſtratione, quotquot negotia a reliquis, qui Romæ interea ſubſiſterent, gererentur, non alio paſſim, quam otii nomine nuncupari conſueverint. „ Urbanas occupationes (inquit idem eruditis. Cardinalis de geſt. Paul. III. cap. v. p. 87.) nemini forte ex provectioribus Cardinalibus Paulus Pontifex copioſius deferebat, quam Contareno: eas tamen laboris vacuas reputaſſe viſus eſt Polus, dum cupiens ad reſtituendam in Germania rem religionis admodum

fuisset legatio. Non est autem omittenda illa in legatione singularis ejus abstinentia: nam cum legatorum qui a Romanis Pontificibus mitti solent, quandiu extra urbem Romam sunt, varia & multiplex sit potestas, & eam ob causam facultatem habeant magnæ conficiendæ pecuniæ, neque id propter inveteratam aliorum consuetudinem turpe habeatur; ea tamen potestate ipse ad quæstum abuti minime sustinuit, neque nisi gravi ex causa usus est: ac ne comites quidem suos quicquam, præter mercedes pro scriptura, aut hujusmodi quapiam opera debitas, quas ipsas etiam imminuit, accipere passus est. Ut a rege autem discessit, Carpentoracte venit, quo reliquam ibi hyemem maneret, seque ex assiduis laboribus reficeret: id enim ei Pont. Maximus, ætati hominis & va-

„ dum proclinatam eumdem ablegari, ita ipsi scribit: *In hac vero Germaniæ causa nunquam amor meus erga te, quem scio suum otium libenter amplecti, tantum apud me poterit, ut non modo multo magis pro mea erga Ecclesiam pietate optem, ut tu ad illud negotium te dignum, & idoneum maxime extrudaris.*

valetudini parcens, permiſerat. Hoc quoque Sadoleti integritatis exemplum ſit, quod cum extremo legationis tempore integri menſis ſumptum accepiſſet, atque ante exactum menſem Carpentoracte perveniſſet; decem dierum ſumptum (tot enim dies reliqui fuerant) * referri utique ad quæſtorem Pontificis Maximi, quanquam diſſuadentibus amicis, & nimiam ejus religionem accuſantibus, juſſit. Eodem tempore clientes domeſticos, quorum opera ſtrenua & fideli in legatione uſus fuerat, alium alio præmio, & quidem ſupra facultates ſuas remuneratus eſt. Inſequenti æſtate in Italiam

* *Referri ad quæſtorem juſſit.*] Id etiam innuere videtur SADOLETUS ipſe in citata modo ad Paulum Epiſtola his verbis. „ Viaticum hujus itineris pro „ ratione dierum, qui in itinere conſumpti ſunt, miſi „ ad Carolum noſtrum Gualteruccium uti peteret: res „ æqua & legitima nihil habuit difficultatis: trecenti „ ſtatim numerati ſunt, in quo opera Ardinghelli exi- „ mia, & amor erga me ſingularis. Illud ex hac mea „ poſtulatione mihi accidiſſe gaudeo, quod deſierunt „ mirari ac reprehendere, quod ducentos illos reddi- „ diſſem, poſtquam viderunt me trecentos repoſcere: „ non enim jam illa moroſitas mea, ſed religio ju- „ dicatur „.

liam non ſine magno Carpentora-ctenſium * dolore diſceſſit. Eo cum ve-

* *Dolore diſceſſit.*] Bononiam ergo ad Pontificem venit, ut paullo ſuperius vidimus, eique cauſis commemoratis quibus ad veniendum effectus fuerat difficilior, inſtitit eadem petere, quæ petiverat antea per litteras, nimirum ut redire ad Eccleſiam ſuam ſibi liceret, quod ſignificat in eadem ad Paulum Sadoletum epiſtola ſcripra xv. Cal. Julii an. 1543. Pontifex rei conſtitutionem in aliud tempus diſtulit. „ Poſtridie „ (ſic enim ipſe cetera refert loco citato) qui fuit dies „ VI. Idus Junii Senatus iterum vocatus eſt. Cauſa „ conveniendi fuit, quod cum ſuperioribus diebus fuiſ„ ſet de Conſilii ſententia decretum, ſi Cæſar Bono„ niam venire recuſarct (properare enim dicebatur, „ nec ſpatium habere ab itinere declinandi) ut ne ul„ terius procederet Pontifex, ſed vel illum Bononiæ „ exciperet, vel ſi id non contingeret, inappellatum „ abire pateretur: cum tamen, ſi quod in congreſſu „ agendum eſſet, id mittendis nuntiis facile poſſet „ ſarciri. Ratio autem ita decernendi fuerat, quod „ videbatur hoc dignitati & gravitati Sedis Apoſtolicæ „ maxime convenire; ſimulque ætatem Pontificis per „ grandem tot itinerum laboribus objici non placebat. „ Ergo hæc eadem res iterum adducta erat in diſcepta„ tionem; placeretne ulterius obviam procedi, nec „ ne. Nam Cæſar quidem Parmæ, ſe oſtenderat Pon„ tificem libenter conventurum. Hic quiuque ante me „ rogati in ſententia priſtina permanſerunt; cum ex„ ceptione tamen, niſi certa ſpes aliqua de pace eſſet „ oblata, quæ iter ſuaderet; tum enim ire oportere „ cenſuerunt. Ego rogatus, contrariam ſententiam „ dixi; de valetudine & incolumitate corporis ad Pon„ tificis judicium rejeci „. Poſtquam ſententiam hanc ſuam, qua eundum eſſe decernebat, latius explicavit, ſubiicit: „ Hac a me ſententia dicta ab omnibus dein„ ceps in eamdem eſt diſceſſum. Itaque Parmam ve„ ni-

venisset, interfuit colloquio Pauli Pontificis Maximi & Caroli Romani Imperatoris, qui in agro Parmensi congressi sunt. Iter tum ex Hispania Carolus in Germaniam habebat: oblata ea occasione, Sadoletus magnum laborum quos in legatione pertulerat fructum captum iri a se existimavit, si illum quoque ad pacem hortatus esset. Redierat enim ex legatione Gallica, animumque ejus regis ad concordiam propensum cognoverat, vel ipse potius effecerat. Verum adeo Carolus dolore iraque exarserat, quod a Rege Galliæ bellum renovatum fuisset, ut neque accurata Sadoleti oratio, neque ipsius Pontificis Maximi authoritas quicquam profecerit. Is tamen postea, lenita videlicet ira, post victum & in deditionem acceptum Sicambrorum ducem, qui regis partes,

„ nimus, herique Pontifex ingressus urbem est; cras „ vero aut perindie Cæsarem expectamus „. Parma hæc scripsit SADOLETUS xv. Cal. Julii, quum incertum adhuc esset, utrum Parmam Cæsar esset venturus; quod tamen præstitit.

tes ſecutus fuerat, & expugnata nonnulla Galliæ oppida, pacem * cum eo rege fecit: qua ex re Sadoletus tantum lætitiæ ac voluptatis cœpit, ut Deo bonorum omnium authori, ab Eccleſia ſua meritum continuo honorem haberi juſſerit, & ſcriptam ipſe orationem paulo poſt ** ad Carolum miſerit, per quam illius ſapientia & moderatione laudata, gratias ei egit ſuo & Chriſtianorum om-

* *Cum eo rege fecit.*] Sancita fuit pax inter Cæſaream & Chriſtianiſſimam majeſtates die XVIII. Septembris anno 1544. Eleonora Sorore Caroli V. & Franciſci I. conjuge interprete, quam Pontifex anno ſuperiori rogaverat, ut ſuum ſtudium interponeret apud virum & fratrem, quo hæc ſanctiſſima pax conficeretur.

** *Ad Carolum miſerit.*] Extat hæc Oratio inter ipſius SADOLETI opera editionis Veronenſis tom. II. pag. 264. deque ea verba habet in Epiſtola quadam ad Antonium Perronotum Epiſcopum Atrebatenſem, data Carpent. V. Idus Novembris 1545. lib. XV. ep. 7. ubi: „Ego „(inquit) poſt pacem factam, qua nullum majus, „neque præſtantius hoc tempore beneficium a ſummo „Imperatore Carolo in Chriſtianam Rempublicam potuit proficiſci, ſecutus majorum exempla, qui te„ſtimonium laudis & judicii ſui, optime meritis prin„cipibus libenter dabant; exaravi oratiunculam, qua „gratias Cæſari communi Chriſtianornm Populorum „nomine agens, illum præterea ad eas res gerendas „ſuſcipiendaſque adhortor, quas maxime illius am„plitudo & dignitas, reique publicæ ſalus videtur ab „eo poſtulare, &c.„

omnium nomine: & ad ea quæ pro religione, & concordia, ac libertate Chriſtiani nominis agenda reſtabant, eum accendere atque incitare conatus eſt: cujus optatis magna jam ex parte, optimi & fortiſſimi Imperatoris virtus pietaſque * reſpondit. Fuit enim hic vir incredibili quodam in Rempublicam Chriſtianam

* *Reſpondit.*] Hoc loco Florebellus nihil præterea de SADOLETI rebus geſtis ante obitum ipſius narrat. Conſtat tamen ad Eccleſiam ſuam redeundi obtinuiſſe facultatem, quam enixe adeo a Pontifice flagitaviſſe, vidimus. Scribit enim Cardinali Morono Carpentoracte IX. Cal. Julii anno 1544. ejuſdemque anni v. Idus Junii Corteſio, & Jacobo Sabello Cardinalibus. Carpentoracti erat quoque anno inſequenti 1545. v. Idus Novembris lib. XV. ep.7. ut patet ex Epiſt. ad Ant. Perronotum paullo ſuperius laudata. Porro ante exitum hujus anni Romam iterum a Paulo III. evocatus eſt, atque ita eidem Pontifici ſe excuſat in litteris datis XII. Calend. Febr. an. 1545. lib.XII.ep.12. ,, Accepì Sanctitatis tuæ litteras, per quas illa dignum me duxit, ,, quamquam nullius admodum pretii hominem, perinde tamen ac ſi momenti alicujus futura ſit præſentia iſtic mea ob hæc Reipublicæ tempora, ad urbem Romanam accerſere &c. ,, Biduo ante quam hanc ad Pontificem Epiſtolam ſcriberet, eamdem per litteras excuſationem attulerat Joanni Toletano, affirmans, tot itineribus, tam multis & crebris ultro citroque prætervectionibus ex Urbe in Galliam, & ex Gallia rurſus ad Urbem, conſumptis plane rebus omnibus atque detritis, non ſolum equis, mulis, veſte, inſtru-

nam ſtudio ; ut ego quidem , qui pro diuturno contubernio ſenſus ejus ſa-

inſtrumento ad illud iter idoneo nullo munitum eſſe, ſed ne ſpem quidem videre, aut rationem ullam reliquam inſtrendi ſui . Romam tamen advenit, ubi eidem Paulo III. ſcribens VII. Cal Junias, ideſt paullo poſt quam Urbem eſſet ingreſſus, illum conſolatur de clariſſimæ cujuſdam feminæ obitu . Donato enim Rullo narrat IX. Calend. Octobr. ejuſdem an.1545. lib.XVI. ep. 9. quintum menſem agi ex quo tempore retulerat ſe Romam, Gulielmo vero Bavariæ Duci XVII. Calendas Auguſti lib.XI. ep. 12. excuſans tot itus redituſque ſuos & domicilii commutationes, non ſua ſed aliorum & maxime Romani Pontificis voluntate factas, poſtremi hujus adventus ad urbem cauſam exponit fuiſſe Concilii habendi neciſſitatem & cogitationem . Præterea ex litteris ad Joannem Baptiſtam Specianum ſcriptis VIII. Idus Junii 1545. lib.XVII. ep.9. conſtat illum Romam perveniſſe ineunte Majo . Atque in iis quidem litteris, fuſius etiam agit de cauſa itineris ſui, ac ubi ſe Pontificis Maximi accerſitu Romam veniſſe narravit, omnino & tempore & itinere ſibi perincommodo : „ Sed non potui (inquit) vel auctoritate illius „ bis terve me magnopere vocantis, vel ei cauſæ pro„ pter quam vocabar non parere . Prætendebatur enim „ huic vocationi comparatio propinqui Concilii, quod „ diu ante indictum poſteaque intermiſſum, nunc pace „ inter Principes facta concordiaque conſtituta, om„ nium conſenſione expeti, inprimiſque neceſſarium „ Chriſtianæ Reipublicæ eſſe videbatur . Quo ego pu„ blicis conſiliis intereſſem, ageremque & ſentirem „ pro mea parte ea, quæ judicarem eſſe Reipublicæ „ utilia, idcirco huc accitus, iter meum & adventum, „ ut ante dixi, nec Deo, nec Reipublicæ negare po„ tui „ . Romam ubi venit, ibi ad obitum ſuum permanſit, ut litteræ teſtantur hoc anno 1545. ſcriptæ & ſequenti, atque anno 1547. qui fuit ejus vitæ poſtremus, lib. XV. ep. 12. & lib.XVI. ep. 14.

ſatis cognitos & perſpectos habui, hoc de eo affirmare non dubitem, plus illum doloris ſemper ex malis hauſiſſe communibus, contraque ex publicis commodis gaudii, quam rebus ſuis vel ſecundis lætatus ſit, vel adverſis doluerit. Idem moribus fuit facillimis, animo aperto ac ſimplici, natura omnino ad iracundiam proclivior, ſed ejus comprimendæ aſſidua meditatione tantum profecerat, ut lentus potius eſſe videretur: ac ſi quando paulo eſſet commotior, tum maxime ſedata & voce & oratione uteretur. Amicitias ſumma cum fide, & quibuſcunque potuit officiis coluit: familiam ſuam ea charitate eſt proſecutus, ut cum de ſuis minimum, de illius commodis plurimum laboraret. Patrem, juvenis: matrem, ſenex, fere * octogenariam amiſit: ambos quoad vixerunt

* *Octogenariam amiſit.*] Contigit id anno circiter 1528. Quamquam enim tom. III. operum SADOLETI edit. Veronenſis p. 30. legatur SADOLETI Epiſtola ad Joannem Camerarium Dalburgium Epiſcopum Vormacienſem hoc titulo inſcripta: *Philoſophicæ conſolationes, & medita-*

runt summa pietate dilexit & coluit. Fratribus, qui ei complures fuerunt, partem suam primo paternæ hæreditatis donavit, post aliis quoque eos * beneficiis affecit. Ad-

e ju-

ditationes in adversis, quæ tum in Veronensi tum in Moguntina editione annum præfert 1502. errore tamen typographico id factum esse, ex eo patet, quod scripta sit Romæ ex Quirinali; & SADOLETUS se *Cubicularium Apostolicum* vocet. Post an. autem 1527. scriptam fuisse ex eo coniicitur, quod in eadem Epist. testatur, se paucis ante annis dulcissimæ genetricis suæ (Franciscæ Machiavellæ) crudelissima nece gravissimum vulnus accepisse. Atqui Joanni Franc. Binio scribens *a* XVIII. *di Giugno* 1527. hæc habet. *Le alligate massime a mia Madre ed a Pietro vedete in qualche buon modo inviar fidamente.* Quare dum hoc loco Florebellus affirmat SADOLETUM nostrum senem, amisisse matrem fere octogenariam, id ita intelligendum est, ut quum matris obitus acciderit, ipse quinquagesimum prope ætatis annum attigisset.

* *Beneficiis affecit.*] Et sane Julio Sadoleto ejus fratri germano conferri a Leone X. JACOBUS curavit honestissimum templi Ss. Laurentii & Damasi Sacerdotium (*Canonicatum* vulgo dicunt) quod ipse a Julio II. obtinuerat: idque accidit anno 1517. postquam scilicet idem JACOBUS a Leone Pontifice, Carpentoractensis Episcopus fuisset renunciatus. Constat id, tum ex laudati Julii Sadoleti monumento, quod ad Ss. Laurentii & Damasi visitur, (illud habes infra pag. CVIII.) tum ex Italica quadam ejusdem Julii Epistola ad Latinum Juvenalem, *data in Roma il primo di Settembre* 1517. in qua hæc habet: „ Non bisognava, Signor M. Latino mio osser„ vandissimo che V. S. in tante sue occupazioni pigliasse „ fatica di scrivere per congratularsi meco del Canonica„ to, che a questi giorni ebbi da mio Fratello, peroc„ che, &c. „ Unica hæc Julii epistola extat in edit.

Ve-

jutor ad regendam Carpentoractensem Ecclesiam, cum jam senex esset, ut sibi Paulus Sadoletus fratris patruelis filius daretur, a Clemente impetravit: idque non tam propinquitati a se datum dicere solitus est, quam adolescentis * ingenio, atque vir-

Veronensi operum Jacobi Sadoleti tom. 2. pag. 254. Notandum præterea hoc loco est, sororem etiam habuisse JACOBUM SADOLETUM nomine Margaritam. Hanc Joanni Baptistæ Sacrato nobili Ferrariensi in matrimonium collocavit, filiosque extulit Jacobum, Paullum, & Philippum, qui paternum, maternumque genus satis jam per se clarum, pietatis ac eruditionis laude magis magisque illustrarunt. Jacobus enim Sacratus in Pontificatu Carpentoractensi Paullo Sadoleto patrueli fratri suo successit, eamque Ecclesiam multos annos pie prudenterque rexit. Paullus autem Sacratus Canonicus Ferrariensis; præclaris editis ingenii monimentis magnum apud omnem posteritatem docti eruditique viri nomen sibi comparavit. Nam ut ejus omittam Commentarios in Psalm. CXVIII. & in principium Geneseos, omnium manibus teruntur ejusdem Epistolæ, propterea quod mira latini sermonis elegantia, ac suavitate conscriptæ sunt. Neque mirum; quum ex tanti patrui disciplina ac institutione prodierit. Eum certe Cardinalis SADOLETUS & dilexit magnopere, & quibuscumque potuit beneficiis cumulavit. Constat enim ex ejusdem Paulli Sacrati Epistola ad Card. Navagerium data v. Cal. Decemb. 1564. SADOLETUM Card. in eum quamdam pensionem transtulisse, quam Clemens VII. quum Joannem Matthæum Gibertum Veronensi Ecclesiæ præfecit, eidem JACOBO dedit, cum facultate in fratrum sororumve filios illam transferendi.

* *Ingenio atque virtuti.*] Et sane hæc de eodem Pau-

virtuti. In literarum studiis summa industria * versatus est. Lucubrare
e 2 autu-

Paulo scribit JACOBUS Card. in Dialogo de liberis recte instituendis: „ Cum sederem olim in meridie domi „ otiosus, nescio quod tum de meis studiis cogitans, „ accessit ad me Paulus Sadoletus, adolescens sane quam „ deditus studiis honestissimis, quem ego fratris filium, „ traditum mihi a patre, in filii educans loco, omni„ bus eum instituere contendebam & litteris bonis & „ moribus. Quem tamen laborem levem mihi & ju„ cundum faciebat, cum summum ejus ingenium, tum „ voluntas natura & consuetudine jam ad omnem opti„ mam partem rationemque propensa „. Diploma autem Pontificium, quo idem Paulus nepos adjutor illi in regenda Carpentoractensi Ecclesia dabatur, accepit a Paulo III. quem an. 1536. Massiliæ salutandi gratia, convenerat, ut idem JACOBUS testatur lib. III. ep. 7. Vide quæ hac de re adnotavimus superius pag. LI. Nonnullas Pauli Sadoleti aliorumque ad eum epistolas, a nobis nunc primum collectas, una cum JACOBI Card. Familiaribus, Deo dante, publici juris quam primum faciemus.

* *Versatus est.*] Qua industria in litterarum studiis omni vitæ tempore versatus sit SADOLETUS noster, quæ posteris reliquit præclara ingenii monumenta testantur. Præcipuum certe homo prudens vitæ hujus miseræ solatium, in otio litterario positum esse existimâbat: quod otium cum Hieronymo Nigro verum ac solidum dici potest, atque ipse honestissimum ac fructuosissimum appellare consueverat. Placuit propterea mihi nonnulla ex ejus epistolis loca seligere, atque heic in medium proferre, in quibus initam hanc a se vitæ rationem laudibus extollit, tum ut viri præstantissimi in studia literarum amor clarius appareat, tum ut ad ea lectorum animi vehementius impellantur. Itaque Thomæ Cajetano Card. scribens an. 1530. lib. II. epist. ult. „ Ego heic (in„ quit) in literis & libris assiduus sum: neque intelli„ go jam quid sit aliud beate vivere, nisi quod prædi-
„ ca-

Staatliche Bibliothek Bamberg

autumno ineunte bene mane incipiebat, hyeme vero multo etiam maturius: id tempus gravioribus studiis aut scriptioni dabat: quod supererat temporis, id totum literarum studiis reddebat. Hactenus ea quæ de vita ejus memoriæ prodenda esse visa sunt, scripsimus: nunc de ejus obitu pauca scribemus; qui

qui-

„ care solebat Solon, quotidie aliquid senescentem ad„ discere, quod nos hoc melius facimus & præstantius, „ quod ea consectamur addiscimusque, per quæ ad no„ scendum fruendumque ipsum Deum spe firma exo„ ptatæ immortalitatis adducimur „. Et ad Gulielmum Bellajum Langeum lib. IV. epist. II. „ Dedi me „ penitus & dicavi literis, neque aliud quidpiam jam „ cogito dies noctesque, quam quemadmodum possim „ veram & dignam Christiano homine immortalita„ tem consequi: cujus rei indicium & fructum etiam „ aliquem velut otii mei primitias celeriter, ut spero, „ in manibus es habiturus „. Et ad Franciscum Guicciardinum XIII. Cal. Aprilis 1533. lib. V. ep. 6. „ Quam„ quam procul absum a vestris gravioribus istis actio„ nibus atque curis, quæ sonitum atque turbam & pom„ pam quamdam præseferunt: habeo tamen & ipse heic „ quoque delectationes meas, quibus tranquillo animo „ mirifice fruor: quod assiduus sum in studiis artium „ optimarum & plæclarissimarum, quæ me tanta ju„ cunditate afficiunt, ut nihil omnino sollicitudinis „ neque molestiarum ad animum meum sinant introi„ re. Quam ego vitam etsi minus illustrem, aliquan„ to tamen beatiorem esse judico „. Eadem passim repetit in aliis epistolis, puta lib. I. ep. 4. lib. IV. ep. 9. lib. VI. ep. 9. lib. IX. ep. II. lib. XII. ep. 20. & lib. XIII. ep. 4.

quidem vitæ ejus integerrime atque innocentiſſime actæ plane conſentaneus fuit. Habitare trans Tyberim cœperat, in ædibus D. Mariæ templo adjunctis: ibi autumni initio in febrem incidit, quæ levis primo, ac prope contemnenda eſſe videbatur: ſed cum nunquam plane decederet, morbus ingraveſcere cœpit. Tum is ſtatim accerſiri ſacerdotem juſſit: eo adhibito, rite & ſumma cum religione, omnia quæ divinitus ad expiandos animos & placandum Deum inſtituta ſunt, ſervavit: re quidem divina coram eo facta, antequam ſacrum illud & ſalutare Domini noſtri corpus acciperet, cum Chriſtum Deum ac conſervatorem noſtrum, ſublevatus a ſuis, venerari, & ſupplici quadam oratione affari cœpiſſet; tantam ſubito lacrymarum vim profudit, ut eam precationem præ fletu ac ſingultibus abſolvere vix potuerit; ſupremis prope vocibus ac mandatis Paulo Sadoleto, qui ei ſumma pietate aſſi-

debat, * Ecclesiam suam commendavit: ac paulo post magno suorum luctu, magno bonorum omnium mœrore ac desiderio, ** animam Deo reddidit. Doluit ejus morte Paulus Pontif. Max. doluit Senatus: a Joanne quidem Petro Carafa Sabinorum Episcopo, quo primum die post ejus obitum Senatus habitus est, ea de illo habita est magno cum assensu, cùm reliquorum patrum, tum ipsius

* *Ecclesiam suam commendavit.*] Testatur ipsemet Paulus Sadoletus in epistola nuncupatoria epistolarum Jacobi Patrui ad Alexandrum Farnesium Cardinalem hisce verbis: „ Cum SADOLETI patrui mei obitus, „ amplissime Farnesi, eum mihi luctum ac mœrorem „ attulisset, quem paterna ejus in me beneficia, meaque perpetua erga eum pietas, postulabat: nullum „ doloris mei expertus sum melius aptiusque solatium, „ quam quod extremo illius mandato, & meo una officio conor, Deo infirmitatem meam adjuvante, satisfacere. Nam cum is & sæpe alias, & cum jam „ pene animam exhalaret, hanc mihi Carpentoractensem Ecclesiam, quam ipse præsens quoad ei licitum „ fuit summa cura & diligentia rexerat, pro sua paterna in eam charitate diligentissime commendasset, „ meque ut ab ejus custodia nulla re unquam avellerer „ diligentissime hortatus esset: nullam moram post „ ejus mortem interposui, quin ad parendum tam salutaribus præceptis, & ad obeunda tam sancti & præclari muneris officia, me conferrem: cujus mei consilii majorem in dies fructum capio „.


** *Animam Deo reddidit.*] Contigit id die xv. Calend. Novembris an. 1547.

ipsius Pont. Max. oratio, ut neque uberius cujusquam vita laudari, nec mors dolentius deplorari potuisse videretur. Laudavit eum item luculenta oratione, maxima honestissimorum cujusque ordinis hominum frequentia, in æde D. Laurentii, * Jacobus Gallus, civis Romanus in primis honestus. Obiit ** annum agens Septuagesimum. Sepultus est sine ulla funeris pompa (ita enim ipse præscripserat) in æde, quæ curationis ejus fuerat, *** Divo Petro in Exquiliis sacra.

* *Jacobus Gallus.*] Hæc Jacobi Galli in SADOLETI obitum oratio frustra a nobis diu multumque perquisita est.

** *Annum agens septuagesimum.*] Decurso scilicet anno septuagesimo. Vixit enim SADOLETUS annos septuaginta, menses tres, dies sex. Vide hac de re notas superius pag. 11.

*** *D. Petro in exquiliis sacra.*] Sive, ut vulgo dicitur in Templo S. Petri ad Vincula, & quidem cum inscritione, quam habes pagina cv. Ea autem inscriptio exsculpta erat in marmoreo quodam monimento, quod forte inter monumenta & elogia illustrium virorum cura & studio Marci Zuerii Boxhornii edita Amstelodami apud Joannem Janssonium an. 1638. pag. 58. a nobis repertum, in sedenti aenea Tabula incidi ac representari curavimus; præsertim quum in eadem D. Petri aede vel temporis injuria, vel hominum vitio nusquam appareat.



Monumentum Iacobi Sadoleti olim positum Romae in templo S. Petri ad Vincula.

D. O. M. S.

JACOBO SADOLETO EPISC. CARPENTORACTIS
S. R. E. PRESB. CARD.
VIRO MORVM GRAVITATE PRVDENTIA
ET VITAE INTEGRITATE
PRAESTANTISSIMO
DOCTRINA ET ELOQVENTIA
CVM IIS QVOS MIRATA EST ANTIQVITAS
COMPARANDO
PAVLVS SADOLETVS EPIS. CARPENTORACTIS
ET CAMILLVS SADOLETVS FRATRVM FILII
MOESTISSIMI MVLTIS CVM LACRYMIS
PATRVO B. M. POSVERVNT
VIXIT ANNOS LXX. M. III. D. VI.

JACOBI SADOLETI *monumento in medium prolato, duo alia ab eo confecta Epitaphia addidiſſe juvabit: quorum ſcilicet alterum Joanni parenti optimo Mutinæ in Templo D. Auguſtini, alterum Julio Fratri Romæ ad SS. Laurentii & Damaſi ipſe poſuit; vel quod ſuperius de iiſdem epitaphiis in noſtris adnotationibus mentio incidat, vel quia ad ejuſdem Cardinalis vitam illuſtrandam plurimum conferant. Ea autem in hunc locum ideo rejecta ſunt, quod ſero, prioris deſcribendi facultatem, poſterioris otium habuimus.*

DEO IMMORTALI S.
JOANNI SADOLETO JACOBI FRATRI
I.V.SCIENTIA OMNIBVS PLANE ANTECELLENTI
MEMORIA INCOMPARABILI
INGENIO PRAESTANTISSIMO
FIDE RELIGIONE TEMPERANTIA
SVPRA VEL EXIMIAM LAVDEM
AD VSQVE DIES EXTREMOS
INCOLVMITATE PERPETVA ET INTEGRA
PROVECTO
JACOBVS SADOLETVS
OB PIETATEM ET REVERENTIAM
QVOD EX EO NIHIL VNQVAM ASPEXIT
QVOD IMITANDO NON OPTIME
ET TEMPERANTISSIME
SE GERERET
CARO APVD CIVES
MEMORATO APVD EXTEROS
OPTIMO PATRI VITA FVNCTO B. M.
ET FRANCISCAE MACHIAVELLAE
EJVS VNICAE VXORI
MATRI SVAE CARISSIMAE VIVENTI
ET SIBI FECIT
VIXIT PATER ANN. LXXXI.
ET OBIIT ANNO M. D. XI.

LOCVS DECRETO COLLEGII SACERDOTVM
DATVS
SENATV POPVLOQVE MVTINENSI
PROCVRANTE
HVIC MONVMENTO PRAETER HOSCE III.
INFERATVR NEMO.

D. IMMORTALI SAC.
PIETATI ET MEMORIAE JVLII SADOLETI
SACERDOTIS LAVRENTIANI DE COLLEGIO
CANONICORUM
GRAECIS ET LATINIS LITERIS
SINGVLARITER ERVDITI
OMNIBVS OPTIMIS ET DISCIPLINIS
ET MORIBVS
ITA ORNATI
VT EJVS INGENIVM COMITATEM
LIBERALITATEM
ET ANTE ANNOS PRVDENTIAM
NVLLA SATIS AEQVARE POSSIT ADMIRATIO
JACOBVS SADOLETVS
FRATRI CONCORDISSIMO
ET SPE DE EO MAXIMA ORBATVS
MVLTIS CVM LACHRYMIS POSVIT
VIXIT ANN. XXVI.

FRAGMENTUM OPERIS

JACOBI SADOLETI

Quo ejus vita potiſſimum illuſtratur. *

CUpienti mihi agere ſemper aliquid, quod eſſet dignum iis ſtudiis, in quibus a puero, non modo liberaliter, verum etiam magna cum ſpe fueram educatus, multa ſæpe obſtiterunt, quæ non tam interrumperent quidem hunc omnino meæ voluntatis curſum, quam retardarent. Nam cum mearum initio actionum, quas in media ipſa adoleſcentia, conſiliis poſteræ & conſequentis vitæ capiendis ſuſceperam, clariſſimis in urbe Ro-

* Extat ad calcem tom. I. Miſcellaneor. ex manuſcript. Biblioth. Colleg. Rom. pag. 608. ubi cl. editor hæc animadvertit. „ Proemium hoc eſſe operis „ quod Sadoletus moliebatur *de Rep. Chriſtiana* ex ipſa „ ejus lectione patet & ſtylo, qualis proemiorum eſſe „ conſuevit. Auctor dialogi *de claris Pontificiarum Epi-* „ *ſtolarum Scriptoribus* in Sadoleti vita, quam dialogo „ ſubjecit *pag.* 225. partem hujus producit, atque *epi-* „ *ſtolam* ſemel iterumque vocat „.

Roma & potentibus viris observandis me dedissem (quod is fere ad lucem & ad cognitionem hominum omnibus ingenuis , & præstantibus animis aditus primus atque introitus esse videbatur) usus illorum auctoritate & consilio ad eam vitæ rationem me contuli , quæ soluta & cælebs , ac Sacerdotum ordini legibus nostris præscripta , magis etiam cum meis optimarum artium studiis & occupationibus congruebat . Quarum ego artium amore inflammatus, cetera omnia vilia & mihi posthabenda esse ducebam . Itaque quantum mihi ab observantiæ officiis vacui & liberi temporis relinquebatur , quod erat tum quidem plurimum , totum in Philosophia , & in volutandis summorum Auctorum libris monumentisque terebam , dieque ac nocte Græcis & Latinis insudabam litteris ; semper id mihi , quod illa ætas tum ferebat , præcipue habens propositum , ut eis imitandis quos assidue legebam , immortalitatem asse-

que-

querer eamdem si possem, quam illos videbam esse consecutos; & in cognitione quidem rerum atque doctrina, ad omnem excellentiam; in parandis vero rei familiaris copiis, ad mediocritatem aliquam pervenirem. Secuta sunt tempora, cum a Leone X. primum, deinde a Clemente VII. Pontificibus Maximis ad negocia publica vocatus, factusque epistolarum principalium, hoc est earum quæ vel ad Reges a Pontifice summis de rebus mitterentur, vel a Regibus eisdem ad Pontificem afferuntur, & lucubrator & custos; quod munus magni sane in Urbe & honoris & nominis, superioribus temporibus Magisterium Scrinii, nunc a populo Romano Secretarium domesticum appellari video; gratam illam admodum, & mihi non inopportunam occasionem accepi, quæ mihi datura exercitationes videretur, ex quibus ad ea doctrinæ studia, quæ colueram, maximarum quoque rerum usum adjungerem. Igitur tredecim

decim annis in eo negotio versatus, cum ita & fidem meam Pontificibus ipsis, & ceteris comitatem liberalitatemque probassem, ut omnibus perspicuum factum esset, nihil a me neque in uberrima re illiberalis compendii, neque in illo honore fastus, sed tantum integritatis fructum & bonam existimationem esse quæsitam; cupivi me illinc aliquando abstrahere, & ad mea exoptata studia me referre, in quibus magnum profecto damnum & quamdam veluti vastitatem eram passus; cumque aliquot annis ante, summum Sacerdotium Carpentoractensem, quem Episcopatum vocamus, a Leone accepissem, nactus idoneam causam commeatum petendi a Clemente VII. quod me meam invisere Ecclesiam omnis & divina & humana ratio cogebat, alacri & læto animo ex Urbe egressus sum, hac mente trans Alpes in provinciam Galliam proficiscens, ut omni abjecta voluntate in Urbem unquam re-

revertendi, perpetuum illic vitæ ſtudiorumque meorum domicilium ponere conſtituerem. Sed profecto altior eſt illa, & longe potentior noſtris omnibus conſiliis vis & ſuprema Dei omnipotentis dominatio, quæ hæc humana ſuo arbitratu agit atque verſat, neque ſinit fere cujuſquam hominis conſilia & deliberationes ad ſuos & deſtinatos exitus pervenire. Nam cum decimum jam annum in mea Eccleſia aſſiduus degerem, beatus (ſi cuiquam homini e genere mortalium hac voce úti licitum & conceſſum eſt) beatus inquam, quod & divinæ religionis munerumque Eccleſiaſticorum ſanctitas, & hominum illorum benivolentia, & optimarum litterarum in primiſque ſacrarum ſtudium attentum & diligens, & ceterarum curarum cupiditatumque omnium vacuitas animum meum ſummis ſemper gaudiis delectationibuſque reſarciebant, nullus ut unquam eſſe poſſet in eo neque deſiderandi quippiam, neque poe-

pœnitendi locus ; illinc tamen ex illo beatiſſimo ac jucundiſſimo vitæ ſtatu , meiſque jam fundatis conſiliis & rationibus migrare etiam , ac recedere compulſus ſum . Vocatus enim ad Urbem a Paulo III. Pont. Max. qui Clementi ſucceſſerat , ac eo nomine vocatus , ut una cum aliis nonnullis electiſſimis viris , corrigendis moribus Sacerdotum , qui negligentia ſuperiorum temporum a veteris curriculo innocentiæ deflexerant, operam & partes meas impenderem , cum id neque homini a me , neque rei ipſi denegari potuiſſet ; haud ita multo poſt ab eodem Pontifice, præter omnem quidem expectationem meam , in ampliſſimum Ordinem S. R. E. Cardinalium cooptatus ſum . Si memorem , quanta cum animi mei moleſtia , fidem fortaſſe non faciam , quod ex conſuetudine ceterorum de mei ipſius voluntate judicabitur : ſed tamen ego Deum teſtem advocans , optima fide hoc affirmo , nihil mihi viſum eſſe meis

poſſe

posse accidere institutis rationibusque inimicitius. Etenim qui primum natura ipsa vere liber, deinde etiam mente atque animo studiis optimarum & præclarissimarum artium totus deditus, cuique præsertim neque honoris ambitio nec cupiditas opes facit optabiles, sed tantum ardor quidam inhærens & penitus insitus eum ad contemplandi & intelligendi incredibilem quamdam voluptatem rapit; is ferat æquo animo, fructuosissimum ocium impeditissimo negocio, suavitatem libertatis, servitutis molestia commutare? Atqui perstringit fortasse oculos minus acriter intuentium hujus splendor honoris; angores vero & solicitudines, quæ insunt in eo & assidue hærent, cum non cuivis in promptu sit dispicere, curritur certatim ab hominibus leviter judicantibus ad eum ambiendum, flagitandumque, de quo nos plene longa observatione rerum antegressarum eramus edocti, nihil eo fieri posse placatæ & tranquillæ

quillæ vitæ repugnantius. Itaque & fugeramus eum ſtudioſe per Leonis & Clementis tempora, quorum uterque mihi honorem illum deſponderat. At poſteaquam nihilominus in eas plagas, quas diu vitaveramus fuimus compulſi, permiſimus quidem noſmetipſos Deo, noſtroque officio & muneri non deeſſe conſtituimus; decrevimus tamen, id quod fuit neceſſe, intermiſſionem ſtudiorum commentationumque noſtrarum, quarum jucundiſſima exercitatione cum antea teneremur, & ſcripta jam aliqua partim divinæ, partim etiam humanæ Philoſophiæ in lucem edidiſſemus, incredibile dictu eſt, quantum his deinde decem annis, quibus ad Cardinalatum fuimus evecti in omni genere litterarum jacturæ detrimentique fecerimus, quod in iis (quando alterutrum ſcilicet neceſſe eſt, aut acquirere in illis quotidie aliquid, aut deperdere) propter moleſtiſſimas quidem multarum rerum occupationes atque curas, &

pro-

progrediendi erepta nobis facultas, & necessitas retrogradiendi fuit allata. Sed tamen, cum viri non sit debilitari animo, quamvis difficillimis in rebus, neque cum fortuna colluctantem in terram se abiicere atque prosternere, sed contra niti fortiter atque constanter, si nihil aliud, saltem ut non instrenue neque indecore cadatur, constitui animo, anteaquam ea, quæ diu & multo cum labore collegeram, veterum lectionum rerumque pulcherrimarum monumenta ex mente mea prorsus effluerent, ipsum illud opus, ad quod efficiendum primo accersiti fuimus, correctionem videlicet morum atque emendationem, quæ in cuncto quidem populo Christiano, sed maxime in Sacerdotibus Dei videtur necessaria, libris & litterarum custodia comprehendere; quando, ne eam re & opere exequi peragereque possemus, temporum iniquitas fuit nobis impedimento. Quamquam autem & senectute jam graves;

ves; quippe qui ad ſeptuageſimum annum acceſſerimus, & quotidianis diſtributionibus impediti, & non ſatis firma valetudine, tantum hoc onus tollere gerereque inſtituamus, quod magis videatur florenti validæque ætati, quam noſtræ affectæ ac debilitatæ convenire; tamen Dei clementia & bonitate confiſi, qui pias fovere voluntates eſt ſolitus, idque ante oculos poſitum intuentes; de quo ſupra dictum eſt, nos, non ignave; ſed fortiter conantes extremum diem fati expectare debere; non deterrebimur, quin omni noſtra & animi contentione, & laboris, ſubciſivis horis dumtaxat (neque enim aliter nobis eſt licitum) nitamur uſque ac elaboremus, donec cudamus e vetere forma, quantum in nobis erit, aptum idoneumque velut ſimulacrum, in quo, tamquam in ſpeculo, cerni & agnoſci ab omnibus poſſit quæ Chriſtiani hominis vita, & cujuſmodi ſpecimen morum ac ſtudiorum in Dei

præ-

præsertim Sacerdotibus esse debeat, a quibus vivendi exempla potissimum petuntur, & quorum imitatio aut infundit vitia in populos, aut extrahit illa ab eisdem atque purgat; quod opus inscribere de Republica Ecclesiastica decrevimus: magnum negotium & perdifficile aggressi, sed in quo perpoliendo omnium dierum curas & noctium ponere conveniat. Quod si mihi, divina suffragante ope, ex sententia processerit, erit ex illo aliqua fortasse & ea non aspernanda hominibus utilitas; a me quidem certe magna & multa Deo habebitur gratia. Sin autem nostrum interim laborem atque conatum aut mors præciderit, aut occupatio valetudine oppresserit; nihilominus tamen & gratias Deo agemus, & posteris testatum de nostra voluntate relinquemus, quæ profecto ejusmodi in nobis innata est, ut quicquid unquam ope, studio, auctoritate, gratiaque valuimus, totum id, neglectis etiam & posthabitis

bitis commodis noſtris, ſicut & præterita vita & præſens noſtra fortuna ſatis indicat, ad aliorum commoda utilitateſque contulerimus: in quo quidem juvandi & ceteris commodandi genere, hanc in primis ingenii & doctrinæ operam cenſemus oportere

SE-

SELECTA
DOCTORUM VIRORUM
DE
JACOBO SADOLETO
EJUSQUE SCRIPTIS
TESTIMONIA.

PETRUS BEMBUS

Epiſtolar. Leonis X. nomine ſcriptar. lib. ix. *ep.* 28. *ad Alphonſum Ducem Ferrarienſium* .

JACOBUM SADOLETUM civem tuum , cujus egregia & fideli opera in ſcribendis epiſtolis quotidie utor , ob ejus excellens atque præclarum ingenium, optimarumque artium ſingularem doctrinam , & præſtantem omni virtutum genere animum , magnopere amo , facioque ſane plurimi .

Idem libro de Guido Ubaldo Feretrio , deque Eliſabetha Gonzaga Urbini Ducibus .

ET SADOLETO quantum tribueret (*Julius Secundus Pont.*) quanti ejus incredibilem probitatem præſtantiſſimamque doctrinam faceret , quamque ſibi culta ejus ſplendentiaque poemata probarentur , oſtendit Sacerdotio illi tradito Romæ templi honeſtiſſimi Laurentiani .

Idem ad calcem Hist. Venet.

JOannem Medicem annos natum triginta septem Pontificem Maximum creaverunt, isque priusquam e Conclavi exiret, me & JACOBUM SADOLETUM qui Romæ tunc eramus, sibi ab Epistolis adscivit.

Idem Epistolar. Fam. lib.v. ep.12 ad Card. Polum.

EQuidem ab illis Augusti temporibus, quæ profecto maxime omnium summis & præstantibus ingeniis claruerunt, nullum legi librum scriptum * ut mihi quidem videtur appositius, splendidius, nullum melius, nullum Ciceroniano mori, stylo, facundiæ denique vicinius.

Idem Epistolar. Fam. lib. v. ep.13. ad Gul. Budæum.

VIr gravissimus, omnibusque virtutibus, omni disciplinarum genere, omni literarum cultu nostra ætate longe præstans JACOBUS SADOLETUS collega meus.

Idem Epistolarum Fam. lib. VI.
ad Franciscum Molsam.

SUbinvideo tibi mi Molsa primum, quod ab Apennini radicibus Romam usque una cum SADOLETO iter, ut scribis, confecisti. O jucundos vestros, & festivos dies! Neque enim vereor, quin te ille optatissimum ejus vitæ comitem habuerit, æque atque illum tu: deinde quod te ad Romani cœli temperiem hac hyeme contulisti, eaque frueris, dum nos hic nivibus obruti, pene obriguimus gelu: postremo quod in ea luce hominum versaris, quæ aliquanto est nunc, quam antea fuerit, clarior, propter eorum splendorem, quos ad Urbem Paulus Pont. Max. evocavit, quibuscum te fre-

* *Loquitur de eo Sadoleti libro, qui* de laudibus Philosophiæ *inscribitur.*

frequenter esse non dubito, SADOLETO ipso meo, Federico Episcopo Salernitanorum, Reginaldo Polo, quo est uno longe Britannia illustrior, Gregorio Cortesio optimo doctissimoque viro cive tuo, Priolo etiam nostro, cujus te consuetudine, literis, moribus delectari majorem in modum cognovi. Quibus cum viris esse tibi quotidie cum liceat, miror te eam ægritudinem, quam Medicis tui morte contraxeras, adhuc non abjecisse. Sed de eo tu videris. Illud tot, atque tantis bonis frui te, quis omnino tibi non invideat? Præsertim cum hoc tempore pauci sint, qui unum modum, tantulumque bonum teneant &c.

DES. ERASMUS ROTERODAMUS

Dialogo qui inscribitur Ciceronianus.

SADOLETUS fere æqualis Bembo, in Commentario, quem elegantissimum edidit in Psalmum L. non adeo affectat haberi Ciceronianus, ut non personæ decorem tueatur (est enim Episcopus Carpentoractensis) ut non materiæ serviat, ne in Epistolis quidem abhorrens a vocibus Ecclesiasticis.

Idem Epistolar. lib. XXVII. *ep.* 38. *ad Dam. a Goes.*

COmmentarios in Epistolam ad Romanos edidit illud eximium hujus ætatis decus JACOBUS SADOLETUS admirabili sermonis nitore & copia plane Ciceroniana; nec deest affectus Episcopo Christiano dignus. Fieri non potest, quin tale opus a tali viro profectum bonorum omnium suffragiis approbetur: vereor tamen ne apud complures ipse phraseos nitor nonnihil haberet aculeos ad pietatem.

REGINALDUS POLUS

In vita Christophori Longolii.

PLurimum vero ex omnibus detulit (*Longolius*) JACOBO SADOLETO, & Petro Bembo viris cum authoritate & gratia inter eos, qui tunc Romæ erant maximo

xime florentibus, tum vero doctrina & omni politiore humanitate prope singularibus. Quorum opibus & gratia quamdiu Romæ fuit in omnibus rebus usus est.

Idem Epistola ad Gasparum Cardinalem Contarenum. *

EX meo animo judicium facio, qui jamdiu desiderio teneor de te aliquid audiendi, non minus te habere, ut de me etiam aliquid litterarum accipias, qui non minus amare soleas tuos, quam ipse sis dignissimus, qui ab omnibus colaris. Meo vero desiderio magna ex parte satisfactum est ex his litteris tuis, quas Reverendissimus Collega noster SADOLETUS ad se scriptas mihi legendas dedit, ex quibus hoc primum summa cum voluptate intellexi, te commoda valetudine frui, id quod maxime significabant, quæ tua manu in extrema Epistola sunt descripta, cum te animi causa in Villam Reverendissimi SADOLETI concessurum ad aliquot dies dicas. Reliquæ vero tuæ Epistolæ partes, in quibus sententiam tuam profers de eo libro, quem idem Reverendissimus Collega *de Substructione Ecclesiæ* scriptum, tuo, & aliorum amplissimorum virorum judicio examinandum Romam misit, cum per se gratæ fuerunt, quæ mirificum illum animi tui candorem, omnibus amabilem in judicandis aliorum scriptis expressere, tum vero, quod eædem mihi occasionem dedere, non minorem animi æquitatem experiundi in eo, ad quem scripsisti, mirabiliter fuerunt jucundæ. Nec vero judicare possum, utrum majore animi æquitate, quædam in illo libro notaveris, de quibus admonendum hunc doctissimum virum judicaris, an ille, quæ abs te amanter, & prudenter sunt admonita, amantius & majore cum judicio, & animi æquitate acceperit; adeo ut sæpe apud me de tanto viro, cujus judicium maxime æstimat, quocum tanquam secum de rebus maximis loqui, & conferre posset, plurimum sit gratulatus; de eo vero ma-

* *Extat inter editas ab Ang. Mar. Quirino Card. tom. 2. pag.* 147.

maxime, quod cum in aliquibus locis ex verbis ejus perperam interpretatis, aliqui occasionem accepere, secus quam rei veritas se habet, & ejus sententia cum scriberet, judicandi, oculo tuo columbino in ipsam rei veritatem, & authoris ipsius sententiam penetrasti. Quales vero illi loci sint, ex ejus litteris intelliges, cum fusius in omnibus suam sententiam, ut decrevit, est explicaturus. Interim vero hoc eum merito dolet, quod certe nobis omnibus non minus molestum esse debet, pro tanti viri fama, & Collegii conjunctione, quosdam esse inventos, qui ex eodem libro, de quo ipse nondum firmum judicium fecerat, quem paucis communicandum, & his solis, quorum judicium exquirebat, esse voluit, nescio quæ excerpsere, & in vulgus protulere, quæ nec cum illius sententia cum scriberet, conveniunt, & hanc infamiam apud ignaros rei veritatis inurere posset, tanquam novi & alieni a consueta Ecclesiæ doctrina dogmatis author esse vellet. Quod quo magis sit alienum ab ejus pietate & doctrina, atque judicio, quæ omnes in eo eximia esse novimus, eo certe gravius ferendum est, impune hæc spargi, vel in infimum nostri ordinis, nedum in eum, quem inter præcipuas columnas habemus. Me certe tanta rei indignitas ita movet, ut licet minime omnium tu sis in tali causa pro tanto viro, & Collega rogandus, ut omni ratione, qua fieri possit, quantum in te est procures, ne talia spargantur, quæ in communem etiam Collegii amplissimi infamiam redundent, si aliquid ejusmodi de eo credatur, quem non tam a Collegio honorem accipere, quam eidem reddere maximum novimus, ubique, & apud omnes, atque apud ipsum Pontificem, si opus sit, defendas; si, inquam, injuriam quasi facere videor pietati tuæ, cum hoc rogo, tamen, ut non rogem, pietas mea, & in hunc tantum virum observantia non patitur. Quare ignosces, si id facias, quod abs te tua divina natura impetrabit, &c.

PAULLUS JOVIUS

Vitæ Leonis X. lib. III.

ANte omnia (*Leo X.*) ab epiſtolis ſingulari judicio ſibi deſumpſit Petrum Bembum & JACOBUM SADOLETUM, qui ceteros omnes literatos Romanæ eloquentiæ laudibus anteibant.

Idem in Elogiis virorum literis illuſtrium.

TEnemus enim adhuc, (ſi fas eſt vel modeſte gloriari tota pene libertatis poſſeſſione ſpoliati) ſinceræ & conſtantis eloquentiæ munitam arcem, qua (ſi caſtis muſis placet) ingenuus Romani candoris pudor, adverſus externos inexpugnabilis conſervatur atque defenditur. In hac enim ſtatione ad perenne decus, optimo cuique civi intente vigilandum erit, ut Bembo SADOLETOQUE ſigniferis, quod reliquum eſt è tanta majorum ſubſtantia tueamur, &c.

COSMUS GHERIUS

Fanenſis Epiſcopus.

Epiſt. ad Card. Contarenum.

UNiverſam Eccleſiam majorem in modum tibi devinxiſiſti, eique juſtiſſimam lætitiæ cauſam attuliſti. Quis enim non recte ſentiens ex Theatini, SADOLETI, Poli ſumma dignitate, ſumme non lætetur, &c.

L. GREGORIUS GYRALDUS.

Dialogo I. de Poetis ſuorum temporum,

Poſtquam dixiſſet neminem meliora attuliſſe de eam diem Joviano Pontano ita Julium Sadoletum JACOBI *fratrem alloquitur:*

NIſi ſi quis fratrem tuum, Juli, JACOBUM SADOLETUM attulerit, cujus poemata Laocoon, Curtius, nec non ocii & tranquillitatis carmen, mirabilem

bilem illius gravitatem ac singularem modestiam declarant: quem in hac facultate auxerunt, & reliqua bonarum artium & sapientiæ studia, quæ ab unguiculis ille pleno pectore hausit. Neque enim in præsentia ejus solutam orationem, in qua supra ceteros excellit, commemoro.

JOANNES CASA

In vita Petri Bembi.

PRoficiscitur Romam Bembus, cum annos natus esset tres & quadraginta; præponiturque epistolis Pont. Max. nomine scribendis; eoque in munere gerendo datur illi socius & tamquam collega JACOBUS SADOLETUS is, qui postea Cardinalis factus est. Scripsit eorum uterque eas epistolas cum plane Latine...... tum vero summa a doctissimis exercitatissimisque hominibus adhibita est elegantia, summaque dignitas, &c.

Idem loc. cit.

CUltus est Romæ Bembus cum a bonis plerisque omnibus Contareno, SADOLETO, Cortesio, Morono Cardinalibus amplissimis, hominibusque eruditissimis, &c.

Idem in vita Gasparis Contareni Card.

ELegit igitur (*Paulus III.*) quem ad Cæsarem in Hispaniis tunc degentem mitteret Gasparem Contarenum, & ad Gallorum Regem ire voluit JACOBUM SADOLETUM; ambos viros probos, atque omni ingenii laude florentes, &, ut collegas in amplissimo Sacerdotio, ita multis honestis artibus inter se conjunctos, ac maxime bonis omnibus probatos.

HENRICUS STEPHANUS

Præfat. ad Epistolas Petri Bunelli, & Paulli Manutii, &c.

JAm vero ut non de Manutio tantum, sed etiam de reliquis duobus Italis (*Bembo nimirum &* SADOLETO) verba faciam, eorum unicuique suum esse nævum, vel potius suos nævos, ex nonnullis, qui multum judicio hac in re valerent, me audire memini. Sed audebo ne, cui illorum primas interim tribuerent, profiteri? Audebo sane. Quisnam igitur ille est? JACOBUS SADOLETUS. Sed nec rationem, ob quam eum ceteris duobus (*Bembo scilicet & Paullo Manutio*) anteferrent, dubitabo adjungere. Dicebant igitur hunc luculentiorem illis esse, plusque varietatis suo in sermone habere: denique liberius animi sui sensa explicare. Manifestum enim esse, illos, quod vocibus Ciceroni dignis distitui sibi viderentur, plerumque non plane mentem suam aperuisse. Sed mihi istud illorum de SADOLETO placere judicium, ideo dicere non ausim, quod ejus etiam, quæ illi debetur laudis, partem sibi aliquam Gallia, quæ tamdiu eum cum aliis plerisque viris doctis in sinu suo fovit, non petere, sed poscere videatur.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

De Imitatione lib. secundo.

SEd jam redeo ad eos, qui nobiscum adhuc feliciter agunt, quorum ope & studio eloquendi ratio & facultas maxime viget ac floret. Ex quorum numero ii mihi occurrunt, quos summe probem tres, qui cumulate scribendo quotidie de eloquentia optime merentur, JACOBUS SADOLETUS, Petrus Bembus, Polus Britannus Cardinales.

Idem lib. II. *pag.* 455. *edit. Basileæ* .

HUjus (*h. e. Ciceronis*) item duo libri sunt de divinatione diviniſſime conſcripti : ad horum rationem SADOLETUS ſuæ philoſophiæ defenſionem optime inſtituiſſe videtur .

Idem lib. III. *pag.* 495.

PRæterea cur, ſi ita eſt , tot optimi cives atque adeo Principes latinæ civitatis, nullum verbum temere in ſuam civitatem admittere ſunt auſi, Bembus, SADOLETUS , Romulus, Bonamicus, totus denique Senatus latinus,iis vocibus latine agentes utuntur , quas uſus & conſuetudo majorum eis reliquit, nullam novam ii ad iſtam rationem admiſcentes .

PAULLUS MANUTIUS
Epiſt. ad Paullum Sacratum .

NEc mihi veniebat in mentem , Avunculi tui Cardinalis JACOBI SADOLETI præceptis , & conſuetudine domeſtica, aditum tibi ad omnem gloriam eſſe patefactum . Nam cum ille cunctis virtutibus, quas laudabit poſteritas omnis, aſſequetur fortaſſe nemo, bonorum ac ſapientium judicio virorum excelluerit : hac tamen in primis latine ſcribendi laude ita floruit , ut veteres illos propemodum æquaverit ; nos quidem per eandem viam cupientes excurrere , longe reliquerit : ſed , ut ex epiſtola tua conjicio conſervabis hoc quaſi patrimonium familiæ veſtræ proprium , & hæc tibi communis hæreditas erit cum patrueli fratre tuo Paullo Sadoleto , quem omnes homines ad egregia quæque natum intelligunt .

Idem ad Stephanum Saulium Epiſtolar. lib. I.

EQuidem , ut , quod res eſt , aperiam , fateor a prima pueritia ita me in litteris eſſe verſatum , ut unam maxime ſpectarem eloquentiam , unam colerem ,

unam admirarer, atque hoc me studio satis mea sponte flagrantem, acriter inflammabant ii, qui tum homines vivebant, Bembus, SADOLETUS, Bonamicus: quorum nomina per orbem terrarum celebrata sermonibus & scriptis, extingui nulla vetustate posse intelligebam.

CAROLUS SIGONIUS

In notis ad Hortensii Ciceroniani fragmenta.

NOstra ætate JACOBUS SADOLETUS Cardinalis vir amplissimus tum omni litterarum cognitione clarissimus, cum argumenti hujus præstantiam animo cogitaret, dedit operam, ut quantum in se fuit, eo tractando, Hortensii Ciceroniani desiderium æquiore animo perferremus. Scripsit enim libros duos, unum, in quo Philosophiæ studium accusavit, alterum, in quo defendit. Quorum utrumque tanta cum ingenii ac judicii laude, tanta demum verborum ac sententiarum copia est adsequutus, ut, acriusne ab eo reprehensa, an ornatius laudata Philosophia sit, haud facile indicare possis.

DANIEL RANSTIUS

Epist. nuncupatoria operum SADOLETI *editionis Moguntinæ, ad Ascanium Cardinalem Columnam Regni Aragoniæ Proregem.*

MEmoria teneo, Amplissime Cardinalis, duos insignes eloquentia Cardinales aureum illud Leonis X. Pont. Max. seculum, (quo existere potissimum in Italia ac renasci litteræ, barbarie dudum oppressa, in exterasque gentes propagari cœperunt) extulisse: JACOBUM SADOLETUM, ac Petrum Bembum; Venetum hunc & poeticæ atque Etruscæ linguæ inprimis studiosum, illum vero Mutinensem, quique Philosophiæ studio, sacras etiam litteras, ut Præsulem decebat, adjunxit. Carpentoracti enim Episcopus, omnes eo cogita-

gitationes vigiliasque retulit, ut a fide religioneque majorum aberrantes; ac depravatarum opinionum æstu abreptos, quoad ejus fieri posset, salubri consilio in viam revocaret, ad obedientiamque uni in terris pastori uno in ovili præstandam, omni eloquentiæ vi hortaretur.. Hominis enim piam eloquentiam, atque eloquentem pietatem, cum a Ciceronis lectione discessero, jam inde a puero admirari & admirando adamare animum induxi meum, suadente Gasparo Charlæo Jureconsulto eruditissimo propinquo meo, Ciceronianæ dictionis studiosissimo; ut relictum ejus nobis *Myrothecion Ciceronis*, grandius longe, quam Marii Nizolii opus, testatur.

JACOBUS AUGUSTUS THUANUS

Historiar. lib. III. *ad annum* CIↃ. IↃ. XLVII.

ROmæ sub id obierunt Petrus Bembus patricius Venetus, & JACOBUS SADOLETUS Mutinensis Carpentoracti Episcopus, uterque versu & pedestri oratione politissimus scriptor: verum illius multa licentiosius, ut temporum nequitia, & domini, cui serviebat, mores ferebant, scripta extant: hujus contra seria fere omnia, & digna persona, quam sustinebat. Utriusque in dispari morum instituto, fortuna tamen par fuit. Nam & ambo simul a Leone X. ut primum summum sacerdotium inivit, ex omni doctorum numero delecti, quorum in conscribendis epistolis opera & ingenio uteretur: dein & in Collegium Cardinalium eodem anno a Paulo III. allecti sunt *, sub quo & fatis concessere. Bembus ex vulnere in latere ad parietem accepto, dum equo veheretur, anno ætatis LXXVII. Sadoletus sub autumni tempus, Bembo scilicet septennio minor. Atque

* *Falsum omnino quod* SADOLETUS *&* *Bembus eodem anno fuerint in Cardinalium Collegium cooptati. Constat enim ex Actis Consistorialibus Jacobum Sadoletum die* XX. *Decembris an.* 1536. *a Paulo III. Cardinalem fuisse renunciatum; Petro vero Bembum biennio post, hoc est die* XX. *Decembris an.* 1538.

que illi quidem Hieronymus Quirinus Ismerii F. qui omni officio vivum coluerat, statua nobili artificio ex marmore facta, inque celeberrima S. Antonii æde Patavio locata, parentavit. Hunc Joan. Petrus Carafa Sabinorum Episcopus, quo die primum post ejus obitum Senatus habitus est, coram Pontifice, & mox Jacobus Gallus civis Romanus in Laurentii æde, luculenta oratione laudavere. Sepultus est sine ulla funeris pompa, ita enim testamento præscripserat, in æde B. Petro in exquiliis sacra.

PHILIPPUS LABBEUS

Chronolog. Hist. part. 3. ad an. 1547. p. 256.

ITem interiit mense Octobri Septuagenarius JACOBUS SADOLETUS eloquentissimus Cardinalis Episcopus Carpentoractensis, cujus extant scripta omni laude majora.

JANUS NICIUS ERYTHRÆUS

Pinacotheca III in imagine Joan. Franc. Perandæ.

NEc minorem sunt gloriam adepti (*in Epistolis scilicet conscribendis*) JACOBUS SADOLETUS ac Petrus Bembus, quibus auctoribus pene pristinus latinæ eloquentiæ honor est redditus.

JOANNES IMPERIALIS

Musæo hist. pag. 24.

SI poemata ipsius (SADOLETI) nonnulla, & orationes varias, & Epistolarum volumen, & commentatiunculas in Psalmos, & D. Pauli Epistolas æquus rerum æstimator advertat, solidam prorsus eruditi, suscipiendique ingenii laudem attigisse fateatur.

OLAUS

OLAUS BORRICHIUS

De Poetis pag. 104.

CElebrior (*Fausto Sabæo Brixiano*) fama JACOBUM SADOLETUM Episcopum Carpentoractensem sub initium seculi decimisexti commendat, qui non modo aliis clarus operibus, sed & insigni epico carmine de statua Laocoontis, atque altero de Marco Curtio: utrumque enim maturi judicii opus.

JAN. JACOBUS BOISSARDUS

Icon. tom. 1. num. XLIV. *pag. 263.*

JACOBUS SADOLETUS Mutinæ urbe Italiæ natus est, parentibus nobilibus ac locupletibus, primaque auctoritate & gloria inter suos præditis. Hic quum inter Italos fama singularis doctrinæ qua pollebat, celebris esset, a Leone X. Pont. Max. Romam vocatus * & Episcopatu Carpentoractensi in Gallia donatus est: in cujus administratione cum aliquot annis integre & fideliter sese gessisset, poscentibus omnibus Romani Senatus Patribus, a Clemente Septimo * * in ordinem Cardinalium receptus est, magna totius Collegii Apostolici lætitia, & congratulatione. Scripta reliquit plurima: librum de pueris recte ac liberaliter instituendis: De laudibus Philosophiæ, de regno Hungariæ a Turcis capto: Homiliam, cum oratione exhortatoria ad bellum contra Turcas: Commentaria in Epistolam Pauli ad Romanos lib. 3. Interpretationem aliquot Psalmorum: Homiliæ aliquot, & Epistolarum lib. 16. & duo Poemata *Curtius* & *Laocoon*. Cum annum ætatis septuagesimum attigisset, in febrim lapsus, magno omnium bonorum dolore & tristitia, diem postremum obiit Romæ, &c.

JA-

* *Quum Leo dictus est Pontifex*, SADOLETUS *Romæ jam ab an.* 1503. *morabatur*.

* * A Paulo III. *dicere debuit*.

JACOBUS GADDIUS
De Scriptoribus Tom. II. pag. 316.

JACOBUM SADOLETUM Bembo Cardinali parem a Scaligero præteritum in Poetis miror, cum excellens fuerit judicatus poeta, & scriptor fuerit multiplex, multiplicisque doctrinæ, ut indicant opera.

Diu vixerat JACOBUS in aula Cardinalis Oliverii Caraffæ magnanimi literatorum mæcenatis, quo abrepto aulam incoluit Frederici Fregosii * Archiepiscopi Salernitani, mox purpurati insignis, quem defunctum gratus orator celebravit. Fuit a secretis Summi Pontificis Leonis, a quo electus Episcopus Carpentoractis exhibuit se perfecti præsulis exemplar, si charitas in pauperes munifica, vitæque integritas eloquentiæ, doctrinæ, prudentiæ excellenti conjuncta spectetur. Hinc jure meritoque Paulus III. Pontifex prudentissimus optimum Episcopum evocans, Ostro Romano sapienter exornavit. Legatus in Galliam proficiscitur SADOLETUS ad sedandum bellum inter Cæsarem Galliæque regem infeliciter excitatum.

Jacobi opera ad eloquentiam, & eruditionem, nec non ad Philosophiam atque Theologiam spectantia prætereo, ut nota satis, & relata minute a Ghilino, e cujus eleganti theatro hæc postrema nunc excerpo, ac mutuabor elogium sepulchrale, quod Romæ in æde S. Petri ad Vincula curiosis legitur **. Nicolaus Sadoletus J. Consult. fuit Orator Herculis primi Ducis Ferrariæ & locum tenentis Generalis Sereniss. Luigæ Regis Ferd. Ducis Mediolani, Reique pub. Flor. an. 1480. ita ut Nicolaus potuerit esse pater, vel patruus JACOBI ***.

SCE-

* *Haudquaquam incoluit* SADOLETUS *aulam Friderici Fregosii, sed usus eo familiarissime, commune cum eodem Romæ habuit domicilium.*

** *Heic adfert Gaddius sepulchrale illud* SADOLETI *elogium, quod habes superius pag.* CV.

*** *Patruus potius, nam Patri Joannis nomen erat, teste Florebello in vita pag. 2. utque patet ex ejus epitaphio pag.* CVII.

SCÆVOLA ET LUDOVICUS SAMMARTHANI

Galliæ Christ. Tom. 2. pag. 497. edit. vet.

JACOBUS SADOLETUS Cardinalis S. Petri ad Vincula tituli Eudoxiæ, Mutina oriundus an. 1478. patre Joanne Sadoleto Juris Civilis & Pontificii cognitione insigni: qui prima adolescentia filium in quo capessendarum omnis generis literarum specimina elucebant, sedulo curavit imbuendum liberalibus omnibus artibus & disciplinis, præceptore usus Nicolao Leoniceno, sub quo philosophiæ tyrocinium fecit, cum Græcas, Latinasque linguas apprime calleret. Romam profectus in Oliverii Caraffæ Cardinalis contubernium admissus, tunc doctissimis viris innotuit juvenis; præsertim vero Petro Bembo, qui una cum SADOLETO nostro, inter eruditos viros, quorum opera Pontifex a scribendis epistolis uteretur, a Leone X. deligitur. Eam quidem functionem adeo feliciter obivit, ut nemo ætate sua scribendi facultate & elegantia antiquos æquasse videatur: erat enim multis titulis doctus, nempe Theologus, Orator, Philosophus, Poeta, & in omni scientiarum genere excellens. Cum autem ab omni cupiditate Sacerdotiorum esset alienus, tametsi valde gratiosus Pontifici apud eum plurimum posset, ea semper repudiavit, donec profectus voti causa ad Lauretanam Virginis ædem, vacante tum Carpentoractensi Ecclesia, ei ultro non postulante, imo aliquandiu recusanti commendata est. At post Leonis Pontificis transitum,curia abscessit,statim Carpentoractem migrans,magna ubique gratulatione exceptus in diœcesi. A Clemente VII. invitus iterum accersitus fuit, quem cum impense diligeret, ejus votis obsecundavit, ne ultra triennium a sua Ecclesia abesset. Romæ ergo intimam Pontificis amicitiam & familiaritatem sibi promeruit, ejus consiliis sæpe usus in administranda Republica Christiana: cumque triennium suum exegisset, ex officio Episcopali urbem suam regressus SADOLETUS, commisso sibi populo vigilanter incu-

incubuit, ac salutaribus documentis & institutis divinis gregem suum informavit. Per id temporis a Francisco I. Lugduni comiter & honorifice exceptus, gravitate, prudentia, & eruditione viri perspecta, eum collaudavit. Paulo III. ad Apostolicam Sedem promoto, Romam iterum SADOLETUS gravissimis de rebus evocatus, Niceam sequutus est Pontificem, cum ad conciliandos Franciscum regem & Carolum V. eo profectus est: paulo mox bello inter eundem Cæsarem, & regem recrudescente, deligitur a Paulo Legatus, qui Franciscum in Galliam conveniret, & pactis firmissimis ad concordiam revocaret, in quo munere singularis ejus animi vis, auctoritas, & solertia emicuit. Post multa alia nomine Reipublicæ Christianæ cum laude obita, ab eodem Paulo III. in Purpuratorum Collegium cooptatus jam ab anno 1536. ingravescente ætate fatis cessit Romæ anno 1547. mense Octobri. Cadaver sine funeris pompa, uti præscripserat, conditum est in æde S. Petri in Esquiliis sacra, a Paulo nepote cœnotaphio honestatus & sequenti epithaphio *.

JANUS VINCENTIUS GRAVINA

De conversione doctrinarum, Operum t.2.p.150. edit.Neap.

PORRO cum hi, horumque similes, (*scilicet* Erasmus, Reuclinus, Budæus, Morus, &c.) illustrandæ antiquitati operam darent, extitere in Italia Bembus, SADOLETUS, Bartholomæus Riccius, Jovius, Julius Camillus, Majoragius, Navagerius, Sigonius, Paullus Manutius, in Germania Longolius, in Gallia Muretus, aliique complures, qui præ ceteris studiis latinam eloquentiam complexi sunt, ac Ciceronis in dicendo divinitatem ita suspexerunt, ut ei se totos dediderint, ac in eorum ore temporibus alienissimis non modo germana & nativa latinitas, sed vox etiam Tulliana resonarit.

Ibem

* *Habes hoc epitaphium superius pag.* cv.

Idem della ragion poetica lib. I. §. XLII.

NE men sublime e rotonda (*cioè di M. Antonio Flaminio, e di Baldassar Castiglione*) è la tromba del Cardinal SADOLETO, che la grandezza degli antichi sentimenti, locuzioni, e numeri, come da natia e libera vena profonde.

JOANNES ANTONIUS VULPIUS

In vita Andreæ Naugerii præfixa ejus operibus pag. XXV.

ROmæ fuit aliquando (Naugerius) ibique Petro Bembo & JACOBO SADOLETO viris eo tempore omnium eloquentissimis, valde familiariter usus est.

ANTONIUS PAGI

In Breviar. Gestor. Pontific. Romanor. tom. VI. *pag.* 27. *edit. Venet.*

JACOBUS SADOLETUS Mutinensis vir piissimus, doctissimus, & eloquentissimus, Carpentoractensis Episcopus, ingenii monumentis clarissimus.

PHILIPPUS CARDINALIS DE MONTIBUS

In Elogiis S. R. E. Cardinalium pag. 121.

JACOBUS SADOLETUS, &c. Viri hujus æquæ literis ac virtutibus cultissimi, consilio & opera Leo X. in conscribendis Epistolis, & Clemens VII. in administranda difficillimis temporibus Christiana Republica usi sunt. Paulus III. cum pro condendis legibus ad restituendam Cleri disciplinam sanctioremque gerendi Pontificatus rationem ineundam accerseret undique quos doctrinæ, integritatis, & prudentiæ maximam opinionem habere intelligeret, SADOLETUM Carpentora-

cten-

ctensem Episcopum Romam evocavit, ut ejus potissimum sententia quæcumque aut statuenda, aut antiquanda essent, niterentur, in R. E. Senatum summa bonorum ac literatorum omnium comprobatione delectus, nullum in ea dignitate præter Reipublicæ commodum & Sedis Apostolicæ majestatem propositum unquam habuit. Hinc sententiam suam ea, qua decuit libertate, ac constantia, nullius unquam humanæ rei ratione reticuit. Legatus ad Franciscum Galliæ Regem, animum ejus, viribus suis fidentissimum, ad pacem cum Carolo V. ineundam flexit. Vir religiosissimus, tantoque in Sedem Apostolicam studio incensus, ut constans sensus fuerit auctorum ejus vitæ, qui eum penitus norunt: plus illum doloris semper ex malis communibus, contraque ex publicis commodis plus gaudii hausisse, quam ex rebus suis vel secundis, vel adversis. Claris ingenii monumentis, dignis persona, quam sustinebat, cum iis, quos mirata est antiquitas comparandis, Italiam, Galliam, atque adeo omnem posteritatem illustravit. Sepultus est in Titulo Eudoxiæ.

PETRUS LAZERI S. J.

Diatr. de vita & scriptis Petri Joannis Perpiniani pag. 85.

IN manibus est omnium eloquentissimi viri JACOBI SADOLETI liber *De laudibus Philosophiæ*.

Idem pag. 548.

CIrcumferuntur ejus generis (*scilicet puerilis institutionis*) plurimi libri, quorum nonnullos ab Heterodoxis præsertim hominibus scriptos Thomas Crenius * collegit, Joachimi scilicet Camerarii, Joannis Fungeri, Arnoldi Clapmarii &c. quibus omnibus anteferendus JACOBI SADOLETI nostri libellus *de liberis recte instituendis*.

PHI-

* De eruditione comparanda *Lugduni Batavorum* 1699.

PHILIPPUS BONAMICUS

Libro de claris Pontificiarum Epistolarum Scriptoribus pag. 108.

ETiam in JACOBO SADOLETO, qui Bembi Collega fuit & amicus, plurimæ erant literæ, vis summa ingenii, scribendi autem ratio, si non ita limata, & nitida, ampla tamen satis & copiosa, & in Epistolis Pontificiis colore illo quodam Ecclesiastico, quo Bembus omnino caruit, leviter tincta. Ita Bembo Ecclesiastici sermonis sanctitas, SADOLETO perfectio illa & latinæ dictionis veluti flos, quumque summus uterque fuerit scriptor Pontificiarum Epistolarum, duæ res maximæ altera alteri defuit.

Idem pag. 112.

ILlud miror potius, cur in mentem Hieronymo Nigro venerit, Accoltum hunc, Collega SADOLETO quum esset in eo scribendi munere a Clemente Septimo datus, ipsius Sadoleti Bibulum subadsurde falseque nominare: quasi quemadmodum Cæsar nihil agere Bibulum, suum in Consulatu Collegam, sic nihil Accoltum scribere SADOLETUS siverit. Tantum enim abest, ut Sadoletus vir optimus invidere cuiquam potuerit, ut ingenue fateri non dubitaverit, epistolas nonnullas quæ suæ ferebantur fuisse Francisci Binii: quem hominem ingeniosum, atque industrium in Pontificiis Epistolis conscribendis, ut ego, Bonamice, Te, asciverat adjutorem sibi. Atque ipsum Binium video, Sadoleti commendatione *, in hunc scriptorum numerum pervenisse aliquot annis post, Julio Tertio Pontifice.

Idem

* *Pauli fortasse Sadoleti commendatione, non* JACOBI *Cardinalis, qui ann.* 1547. *Paulo adhuc III. superstite extremum diem obiit.*

Idem pag. 114.

QUam laudem (*in utraque scilicet tum solutę, tum numeris ligatæ orationis excellendi facultate*) ne a nostris recedamus, maximam in Bembo, ne in SADOLETO quidem mediocrem video fuisse.

Idem pag. 225.

DE JACOBO SADOLETO Mutinensi eadem fere, quæ de Bembo fama doctrinæ. Quibus Pontificibus, quandiuque *Secretarius* fuerit Apostolicus, ipse narrat in Epistola, cujus partem, quæ ad illustrandam hominis notitiam valet, afferimus. Hæc Epistola lecta est a nobis manuscripta, atque haud scimus, an unquam antea in lucem prodierit. *Cupienti mihi*, &c. * Multa, quæ reliquit, ingenii sui monumenta doctis omnibus & nota & probata sunt. Vitam SADOLETI Florebellus scripsit eleganter, in qua specimen mihi videtur esse docti atque integri Cardinalis. Hanc ei dignitatem contulit Paulus III. Pontifex sapientissimus, quum doctos viros etiam latentes etiam nolentes, ad Rempublicam vocarit. Mortuus est Romæ an. MDXLVII. quum vixisset annos LXX. menses III. dies VI. sepultusque est in Templo S. Petri ad Vincula, cum hac inscriptione, quæ vitio vel hominum vel temporum nusquam apparet. D. O. M. S. &c. **

JA-

* *Eam habes superius pag.* CIX.

** *Vide supra pag.* CV.

JACOBI SADOLETI
EPISTOLÆ
PONTIFICUM ROMANORUM
NOMINE SCRIPTÆ.

ANONYMI

EPISTOLA NUNCUPATORIA

Ad Præsulem Florentinum, nunc primum edita *.

Epistolæ Leonis X. Summi Pontificis nomine scriptæ a Jacobo Cardinali Sadoleto viro doctrina & pietate insigni, tibi omnis virtutis amantissimo, jure debentur, Præsul excellentissime. Cum enim eis patronum illarum dignitati non inferiorem quærerem, tu mihi potissimum occurristi, qui muneris hujus vices merito posses implere. Amant conciliari inter se virtutes & merita, gaudentque viri probi in his rebus, quæ ad veram gloriam conducunt, similibus consociari. Sed hoc nec justius nec opportunius accidere poterat, quam in te: & dum tanti viri opera cedro digna, quæ diu cum blattis & tineis colluctata fuerant, te adjutore & auspice in publicam lucem prodeunt; nec habent amplius quod de sua infelici hactenus sorte querantur, cum te unum omnium præclarissimarum rerum æstimatotem dignissimum invenerint protectorem. Sed ut scias, vir præstantissime, quem & qualem virum tibi offeram, magno præsuli omnibus animi dotibus præcellenti, magnum sisto Cardinalem & præsulem, cujus eximiam erga populos hujus provinciæ charitatem, tu ipse videris æmulari, dum tam amanter plebis necessitatibus subvenis, indefesso labore annonæ provides, imminentesque nuper motus difficillimis temporibus prudentia atque amore populorum erga te cohibes. Hunc ergo moribus suavissimis atque integerrimis præditum, non solum recta religio, cognita erga principem fides, & vitæ innocentia (quod tibi cum eo commune est) sed multæ aliæ virtutes, quæ liberalem hominem decent, commendarunt: summa eruditio, omnium bonarum artium

* Hæc Jacobi Sadoleti Epistolarum Pontificiarum dedicatio extat in fronte illius codicis manuscripti Bibliothecæ Collegii Romani Soc. Jesu, ex quo Pontificias ipsas Epistolas tom. 1. suorum Miscellaneor. edidit. vir cl. Petrus Lazeri ex eadem Societate: cujus humanitate factum est, ut ejusdem epistolæ describendæ, inque publicam lucem proferendæ habuerimus facultatem.

tium cognitio & eloquentia cum ea quæ est mirata antiquitas comparanda. Tale fuit hoc Leonis X. popularis tui judicium, a quo una cum Petro Cardinali Bembo adscitus est, ut ab Epistolis & secretis esset: cumque ambo apud eum eodem munere fungerentur, multas ad diversos Principes & Europæ Reges nomine hujus Pontificis Epistolas conscripserunt. Quas Bembus scripserat subinde cum aliis ejus operibus in lucem prodierunt; quas autem Sadoletus, nunquam hactenus apparuerunt, sed post centum & viginti circiter annos in Propalæ apotheca, inter vastam papyrorum molem, quæ vestiendo halec aut piperi destinata fuerat, reperta sunt cura & studio viri de re litteraria benemeriti, quas ab imminenti periculo non minus curiose quam feliciter eripuit, & ab interitu vindicavit. Has igitur jure tibi offero, vir sapientissime, quas ne æstimes & ne in pretio tibi sint, fore non despero, cum innatus tuus in litteras & erga Sanctam Sedem Apostolicam amor mihi notus sit. Imo hæ & aliæ multæ rationes eam in spem me adduxerunt tibi hoc munus gratissimum fore; & quod Summorum Pontificum erga varios principes orbisque moderatores de gravissimis rebus consilia explicent, in quibus majores tui ut plurimum interfuere, & quod in purpura, quæ tibi gentilitia est, natæ sint. Habes enim in domo tua Angelum Cardinalem Nicolini virum undequaque eminentissimum, cujus virtutem in Aula Romana celebrem tam sedulo imitaris: habes Othonem tribus maximis Legationibus pro Republica Florentina ad varios Reges & Principes tam feliciter quam sapienter functum, cujus vestigiis insistis, suntque alii multi inter majores tuos in omni laudis genere viri præstantes, qui dum tuam nobilitatem asserunt, non leve tibi ad grandia quæque capessenda onus imponunt, eorumque, ut facis, virtutes imitandi, quibus fretus non æques modo illustris familiæ decora, sed etiam longo intervallo superes, ut meritos dudum paratosque tibi a justissimo principe honores consequi valeas. Hujus igitur operis dignitas & summa tua humanitas cum singulari in litteratos homines propensione conjuncta, mihi dant animos & efficiunt, ut studium meum probes, & si quid erratum fuerit ignoscas.

IN-

INDEX

Eorum ad quos datæ Epistolæ Pontificiæ.

Romanus numerus Epistolam, Arabicus paginam denotat.

A

Actio Syncero Sannazario. CXIX. 202.
Ægidio Matthæo, vide *Card. Ægidio*.
Aleandro, vide *Hieronymo*.
Aloysiæ a Sabaudia. XLI. 55. XCVIII. 139. XCIX. 141.
Antonio Januario Neapolitano. VII. 9.
Archidiacono Florentino, vide *Pro Archidiacono*.
Archiepiscopo Trevirensi. CXIII. 188.
Ariosto, vide *Ludovico de Ariostis*.

B

Balthassari Castilioneo. XXIV. 34.
Baroni, in genere. CVI. 158.
Beroaldo, vide *Philippo*.
Borbonio, vide *Duci Borbonio*.

C

Cæsari, vide *Regi Hispaniæ*.
Cardinali Ægidio Matthæo. LVI. 71. LVII. 72. LVIII. 73. LIX. 76. LX. 77. LXI. 78. LXII. 79. LXIII. 79.
Cardinali Campegio. LIII. 67.
Cardinali Eboracensi. XL. 53. XLVII. 62. XCIV. 131. XCV. 132. XCVI. 133.
Cardinali Episcopo Nobili. LXXII. 101.
Cardinali Moguntino. XCVII. 136.
Cardinali S. Sabinæ. XXVIII. 38.
Carolo Duci Sabaudiæ, vide *Duci Sabaudiæ*.
Carolo Castellæ & Legionis & Aragonum Regi. XLII. 56.
Carolo V. Imp. vide *Regi Hispaniæ*.
Carthusiæ, vide *Priori Carthusiæ*.
Chieregato, vide *Francisco Chieregato*.
Comiti, vide *Joanni Corbariæ*.
Ad *Concilium*. CXIV. 190.

Confessori Regis Hispaniæ. LXXVIII. 110.

D

D*Es. Erasmo Roterodamo*. LXX. 94. XC.126.
Duci Borbonio. XLIII. 57. CIII. 154.
Duci Engolismensi. XIX. 126.
Duci Genuæ. XCIII. 130.
Duci Sabaudiæ. XVI. 21. LXVII. 87.
Duci Saxoniæ, vide *Georgio*.

E

E*Boracensi*, vide *Cardinali Eboracensi*.
Electori. LXXVII. 108. CVII. 159.
Engolismensi, vide *Aloysiæ a Sabaudia*.
Episcopo Lavellino, vide *Petro Episc. &c.*
Episcopo Parisiensi. XXXII. 41.
Episcopo Verulano. XXIX. 39.
Episcopo Vesprimiensi. XXXVII. 51.
Erasmo, vide *Desiderio*.

F

F*Erdinando*, vide *Regi Catholico*.
Francisco, vide *Duci Engolismensi*.
Francisco Chieregato, & *pro eo*. LXXXI. 114. LXXXII. 115. LXXXIV. 118. LXXXV. 119. LXXXVI. 119. LXXXVII. 120. LXXXVIII. 121. LXXXIX. 122.
Francisco I. Francorum Regi. XXXVI. 45. XCII. 128.
Francisco de Rosis. LIV.

G

G*Aleatio Butrigario*. LXIV. 81.
Georgio Duci Saxoniæ. IV. 3. LXXX. 113.
Gubernatori Urbis. XXXIX. 53.

H

H*Elvetiis*. CXI. 182.
Henrico Regi Angliæ. XLVI. 60. LXXXIII. 116. XCV. 127.
Herculi Gonzagæ. CIV. 155.
Hieronymo Aleandro de Motta. CXVII. 197.
Hieronymo de Medicis. LXXXI. 114.

I

J*Acobo Sabello*. XXIV. 36.
Imperatori. XXXIII. 42. vide *Regi Hisp.*
Joanni Corbariæ. XXXVIII. 52.
Joanni Galeatio. I. 1.
Joanni Lascari. III. 2.

Lau-

L

Laurentio de Medicis. XXVII. 37.
Ludovico de Ariostis. CXV. 193.
Ludovico Comiti Palatino. LXV. 81. LXVI. 85.
Ludovico de Franco. XXX. 40.
Ludovico Regi Francorum. X. 21. XI. 12. XVIII. 24. XXI. 31.

M

Marchioni Brandeburgensi. LXXIV. 103.
Marchioni Mantuæ. VIII. 10. CV. 157.
Marchioni Montisferrati. II. 2.
Margaritæ Austriacæ. CI. 146.
Margaritæ, vide *Reginæ Scotiæ*.
Massimiliano, vide *Imperatori*.
Mutinensibus. XXIII. 33.

N

Nobili, vel Prælato, in genere. LXXIII. 102.
Nunciis in Hispania. LV. 70.

O

Octavio Ursino. LXXXIX. 122.
Officiali Trevirensi. LXXV. 105.
Oratori Florentino in Gallia. XXXI. 40.

P

Patriarchæ Maronitarum. XVII. 21.
Petro electo Lavillino. XLVIII. 63.
Philippo Beroaldo Juniori. CXVI. 195.
Præsidenti Tolosæ. 61. 67.
Priori & Conventui S. Marci Florentiæ. XLIX. 65.
Priori Magnæ Carthusiæ. LXIX. 93.
Pro Archidiacono Florentino. XI. 20.

R

Regi Angliæ, vide *Henrico* VIII.
Regi Catholico Ferdinando. XII. 16. XIII. 18.
Regi Francorum Ludovico, vide *Ludovico*.
Regi Francorum Francisco, vide *Francisco* I.
Regi Hispaniæ Carolo. XLIV. 58. XLV. 60. LXXI. 95. LXXVI. 106. C. 144. CII. 148. CVIII. 161. CIX. 173. CXII. 184. vide *Carolo*.
Regi Poloniæ, vide *Sigismundo*.
Regi Portugalliæ. XX. 27. CX. 174.

Regi Scotiæ . XXXIV. 43.
Reginæ Scotiæ . XXXV. 44.
Reipublicæ Venetæ . LXVIII. 90.
Rostanio Cantelmo . VI. 8.

S

SAnnazario , vide *Actio Syncero* .
In Scotiam . XXXV. 44.
Sedunensi , vide *Card. Sedunensi* .
Sigismundo Regi Poloniæ . V. 5.

T

THomæ Eboracensi , vide *Cardinali Eboracensi* .
Trojano Principi Melphis . IX. 10.
Troilo Sabello . XXVI. 37.

V

VEnetæ Reip. vide *Reip. Venet.*
Viceregi Neapolitano . XIV. 19. L. 65. LII. 67.
Universis & singulis &c. CXVIII. 300.

SE-

SERIES
ET
ARGUMENTA
EPISTOLARUM PONTIFICIARUM

(*Quæ asterisco notantur, ceteris nunc primum accessere.*)

LEO X.

EPIST. I. JOHANNI GALEATIO COMITI.

R*Espondet Epistolæ, quam scripserat ipse Pontifici creato.* pag. 1.

II. MARCHIONI MONTISFERRATI.

Idem argumentum. pag. 2.

III. JOHANNI LASCARI.

Respondet epistolæ quam ipsi scripserat Pontifici creato, eumque Romam arcessit. pag. 2.

IV. GEORGIO DUCI SAXONIÆ.

Respondet binis litteris, quas Georgius Prædecessori suo Julio II. scripserat, ne quid in

in Misnensi Ecclesia novatum vellet, & ut Thomam. de Vio Cajetanum Ordin. Prædic. Generalem Magistrum Procuratorem suum esse sineret in Concilio Lateranensi. pag. 3.

V. SIGISMUNDO REGI POLONIÆ.

Sacrum ensem & pileum, ut Julius II. prædecessor statuerat, ad eum mittit, ejusque laudes celebrat. pag. 5.

VI. ROSTANIO CANTELMO.

Respondet gratulationi acceptæ de Pontificatu. pag. 8.

VII. ANTONIO JANUARIO NEAPOLITANO.

Idem argumentum. pag. 9.

VIII. MARCHIONI MANTUÆ.

Idem argumentum. pag. 10.

IX. TROJANO PRINCIPI MELPHIS.

Idem argumentum. pag. 10.

X. REGI FRANCORUM.

Gratias agit, quod Bartholomæum de Alviano, ex arcta custodia, qua detinebatur, eduxerit. pag. 11.

LU-

XI. LUDOVICO FRANCORUM REGI.

Inducias cum Ferdinando rege Catholico ad annum factas laudat, eumque rogat, ut pacifice lites componat, Italiam ab omni metu liberet, & in Turcas arma convertat. pag. 12.

XII. REGI CATHOLICO.

Ejus pietatem laudat, suamque in eum benevolentiam officiosis verbis testatur. pag. 16.

XIII. REGI CATHOLICO.

Petit ab eo, ut Burgensis Ecclesiæ possessionem tradat Arborensi Cardinali Episcopo Albanensi. pag. 18.

XIV. VICEREGI NEAPOLITANO.

Troilum de Rubeis ei etiam atque etiam commendat. pag. 19.

XV. PRO ARCHIDIACONO FLORENTINO.

Mandat suarum Provinciarum atque urbium præsidibus, præfectis, gubernatoribus, magistratibusque, ut Franciscum Minerbettum Archidiaconum Florentinum suorum negotiorum causa iter habentem, omnibus officiis prosequantur. pag. 20.

XVI. DUCI SABAUDIÆ.

Andræam commendat nescio quem, de quo etiam

etiam in alia Epistola se egisse significat. pag. 21.

XVII. PATRIARCHÆ MARONITARUM.

Petentem confirmationem dignitatis suæ mitram & cetera ornamenta, hortatur, ut litteris authenticis & nuntiis eum de sua suæque Nationis ad Catholicos ritus S. R. E. conformatione, instruat. pag. 21.

XVIII. REGI FRANCORUM.

Ludovico Regi commendat Ludovicum de Rubeis, ut Abbatiam in minori Britannia positam adipiscatur. pag. 24.

XIX. DUCI ENGOLISMENSI.

Idem argumentum. pag. 26.

XX. REGI PORTUGALIÆ.

Emanueli regi gratias agit pro magnificentissimis muneribus missis. pag. 27.

XXI. REGI FRANCORUM.

Jacobum de Saulis patruelem Bandinelli de Saulis Cardinalis, Ludovico regi commendat. pag. 31.

XXII. CARDINALI SEDUNENSI.

Ei commendat etiam atque etiam Galeatium, & Antonium M. de Pallavicinis, quos laudat, affinesque suos dicit. pag. 31.

Mu-

XXIII. MUTINENSIBUS.

Eos laudat, quod egregiam operam navaverint, ut civitatis possessio facilius acciperetur a suis. pag. 33.

* XXIV. BALTHASSARI CASTILIONEO.

Nubilariæ castrum a Francisco Maria Vrbini Duce illi concessum, eidem confirmat. pag. 34.

XXV. JACOBO SABELLO.

Præfecturam equitum LXX. *ei confert.* pag. 36.

XXVI. TROILO SABELLO.

Ne Senarum civitatem turbet, eum hortatur. pag. 37.

XXVII. LAURENTIO DE MEDICIS.

Hortatur illum, ut studium suum ad ea conferat, quibus Senensis Reipublicæ status incolumis & illæsus conservetur. pag. 37.

XXVIII. CARDINALI S. SABINÆ.

Ei, hoc est Renato seu Reginaldo de Prie Episc. Bajocensi scribit, ut Elzearius Genesius Bajocensis Ecclesiæ Canonicatum adipiscatur. pag. 38.

XXIX. EPISCOPO VERULANO.

Ei, hoc est Ennio Philonardo mandat, ut res cum Helvetiis Ecclesiasticæ libertatis defensoribus administrare pergat. pag. 39.

XXX. LUDOVICO DE FRANCO.

Ne Firmanam urbem pertubet, hortatur. pag. 40.

XXXI. ORATORI FLORENTINO IN GALLIA.

Petit det operam apud Ludovicum Regem Francorum, quo Ludovicus Card. tit. SS. Quatuor Coronatorum Ecclesiæ Venetensis possessionem assequatur. pag. 40.

XXXII. EPISCOPO PARISIENSI.

Ei, nimirum Stephano de Poncher mandat, ut in ejusdem Card. SS. Quatuor negotio conficiendo, omne studium ac diligentiam adhibeat. pag. 41.

XXXIII. IMPERATORI.

Massimiliano Imperatori gratias agit, quod Malespinis affinibus suis feudum restituerit. pag. 42.

XXXIV. REGI SCOTIÆ.

Jacobo V. Scotiæ Regi gratulatur, quod Procerum suorum consensu Rex fuerit salutatus. pag. 43.

XXXV. IN SCOTIAM.

Margaritæ Reginæ Scotiæ Jacobi IV. viduæ, quæ cum duobus Proceribus regnum regebat, petenti, ut nominationes regias Leo reciperet, respondet se Archiepiscopatum S. Andreæ, Andreæ Forman Scoto Archiep. Bituricensi multis de causis contulisse, hortaturque ut, provisionem Apostolicam de persona præ-

præfati Archiep. factam libenter admittere velit. pag. 44.

XXXVI. REGI FRANCORUM.

Gratulatur Francisco I. Valesio, qui Ludovico mortuo Kal. Jan. an. 1515. successerat, de regno accepto, petitque ut assentiatur Julio Mediceo fratri patrueli suo Ecclesiam Narbonensem dari. pag. 48.

XXXVII. EPISCOPO VESPRIMIENSI.

Eum laudat de his, quæ in Hungaria Turcarum terrore perculsa, pro republica Christiana gesserat. pag. 51.

XXXVIII. COMITI JOANNI CORBARIÆ.

Ejus munera grata sibi extitisse testatur; eique DC. *ducatus auri condonat, ut castra, quæ in finibus prope Turcas habet, munire possit.* pag. 52.

XXXIX. GUBERNATORI URBIS.

Mandat ei, ut una cum urbis Vicario; Laurentii Crassi Canonici Lateranensis causam expediat. pag. 53.

XL. CARDINALI EBORACENSI.

Quid in colloquio cum Francisco Gallorum Rege pro bello Turcico suscipiendo egisset, eum certiorem facit, hortaturque ut Regem Angliæ ad opus perficiendum inducat. pag. 53.

XLI. Dominæ Engolismensi.

Aloysiæ a Sabaudia, Francisci I. Gallorum Regis matri, multa de Hungariæ periculis scribit. pag. 55.

XLII. Carolo Castellæ et Legionis ac Aragonum Regi.

Gratias agit, quod Hieronymum de Frescobaldis commissarium super exigendis proventibus occasione Indulgentiarum admiserit, illumque eidem commendat. pag. 56.

XLIII. Duci Borbonio.

Ejus, hoc est Caroli III. Gilberti Proregis olim Neapolitani & Claræ Gonzagæ filii, pro Francisco Maria de Ruvere Urbini Duce commendationi, benigne respondet. pag. 57.

XLIV. Regi Hispaniæ.

Caroli, qui paullo ante accepta avi morte Hispaniarum Regem se dixerat, litteris respondet, eumdemque laudat. pag. 58.

XLV. Regi Hispaniæ.

Eidem Regi id a Leone postulanti, ut Episcopum Cameracensem Cardinalem crearet, respondet; necesse sibi esse hujusmodi creationes in longius aliquanto tempus differre. pag. 60.

XLVI. Henrico Regi Angliæ.

Ludovicum de Rubeis affinem suum Coadjutorem Abatis S. Martini Tornacensis factum, Hen-

Henrico commendat; ut concessum munus assequatur. pag. 60.

XLVII. THOMÆ CARDINALI EBORACENSI.

Idem argumentum.

XLVIII. PETRO ELECTO LAVILLINO.

Illi, hoc est Petro Prisco Guglielmuccio de Amandula Episcopo Lavellensi renunciato, facultatem tribuit possessionem illius Ecclesiæ per se vel per Procuratorem suum apprehendendi, fructusque exigendi, antequam provisionis litteras sub plumbo expediat. pag. 63.

XLIX. PRIORI ET CONVEMTUI S. MARCI FLORENTIÆ.

Ecclesiæ S. Marci tertia Dominica Quadragesimæ stationem sacram & peccatorum Indulgentias concedit, quas anno superiore quum Florentiæ esset, concesserat. pag. 65.

L. VICEREGI NEAPOLITANO.

Eum etiam atque etiam hortatur, ut milites aliquot sine certo imperio ac lege vagantes, in officio contineat. pag. 65.

LI. P. TOLOSÆ.

Petit ab eo, ut Nicolaum Cantorineum liberet a fide, quam obstrictam eidem habebat super navi, cui præerat. pag. 66.

LII. VICEREGI NEAPOLITANO.

In idem argumentum. pag. 67.

CAR-

LIII. CARDINALI CAMPEGIO.

Thomam Campegium ſuum apud Cæſarem, ut dicitur, Nuncium, Cardinalem renunciatum, Romam revocat. pag. 67.

* LIV. FRANCISCO DE ROSIS RHAVENNATI.

Ei quoddam Ariſtotelis opus, Theologia, ſeu Philoſophia myſtica inſcriptum, quod typis imprimere volebat, ne alibi excudatur, amplum privilegium tribuit. pag. 68.

LV. NUNCIIS IN HISPANIA.

Mandat eis apud Regem inſtent, ut Cardinali SS. Quatuor Coronatorum, Laurentio Puccio ſcilicet, beneficia quædam reſtituantur. pag. 70.

LVI. ÆGIDIO MATTHÆO CARDINALI.

Marii de Vrſinis & fratrum res ei commendat; quos arcto ſibi cognationis vinculo conjunctos affirmat. pag. 71.

LVII. EIDEM LEGATO.

Franciſcum & Rodericum de Rubeis fratres illi commendat. pag. 72.

LVIII. ÆGIDIO MATTHÆO.

Mandat ei, ut Carolum V. ad bellum contra Turcas ſuſcipiendum inflammet. pag. 73.

LIX. EIDEM.

Alexandrum de Lecanis & Benedictum de Cripellis eidem commendat. pag. 76.

EI-

LX. EIDEM.

Gaudet inducias quinquennales a se indictas, fuisse a Carolo V. approbatas. pag. 77.

LXI. EIDEM.

Mandat ei, apud Carolum V. instet, ut Martino de Molina insignia habitus S. Jacobi de Spata ordinis regii tradat. pag. 78.

LXII. EIDEM.

Idem argumentum. pag. 79.

LXIII. EIDEM.

Eum hortatur, instet apud Carolum V. ut annuat cessioni regressus ad Ecclesiam Conchensem Raphaelis Ostiensis. pag. 79.

LXIV. GALEATIO BUTRIGARIO.

Mittit ad eum exemplar litterarum, quas Leo ad regem Catholicum scripserat, pro habendo delectu præstantium virorum, qui Legato suo adessent. pag. 81.

* LXV. LUDOVICO COMITI PALATINO.

Hortatur, ut eum Maximiliani in Imperio Successorem eligat, qui pietate & viribus religioni Christianæ prodesse possit. pag. 81.

EI-

* LXVI. EIDEM.
Idem argumentum. pag. 85.

LXVII. CAROLO DUCI SABAUDIÆ ET PHILIPPO FRATRI.

Hortatur eos, ne instaurationem impediant Monasterii Cælestinorum in oppido Annesiaci. pag. 87.

* LXVIII. REIPUBLICÆ VENETÆ.

De rebus Orientis, deque bello in Turcas suscipiendo multa scribit, petitque ut classem & triremium copiam in procinctu habeant. pag. 90.

LXIX. PRIORI MAGNÆ CARTHUSIÆ.

Ei scribit, ut Joannem Baptistam Priorem Trisulh ad Pontificis negotia peragenda dimittat. pag. 93.

LXX. DESIDERIO ERASMO ROTERODAMO.

Erasmi litteris respondet, quibus se optima in Sedem Romanam voluntate esse significabat. pag. 94.

LXXI. CAROLO REGI CATHOLICO.

Hortatur ut Apostolicas Bullas *contra Lutherum, ejusque fautores executioni mandari curet, hæreticosque plecti.* pag. 95.

LXXII. CARDINALI EPISCOPO NOBILI.
Ejus pietatem laudat, hortaturque ut in suc-

ce-

ſceptam ſemel fidei Catholicæ, atque Sedis Apoſtolicæ propugnatione, omne in poſterum ſtudium cogitationemque adhibeat. pag. 101.

LXXIII. NOBILI VEL PRÆLATO.

Idem argumentum. pag. 102.

LXXIV. MARCHIONI BRANDEBURGENSI.

Idem argumentum. pag. 103.

LXXV. OFFICIALI TREVIRENSI.

Idem argumentum. pag. 105.

LXXVI. CÆSARI.

*Carolum laudat, quod in Comitiis Wormatiæ ſententiam tulerit adverſus Lutherum, qua cavit, ne palam concionaretur, neve populo prava ſua dogmata inſtillare pergeret, ſtatuitque adverſus eum agere tamquam no*torium hæreticum. pag. 106.

LXXVII. ELECTORI.

Hortatur ut in Lutherana hæreſi profliganda omne ſtudium atque operam conferat. pag. 108.

LXXVIII. CONFESSORI.

Quod Cæſarem ad hæreſim evertendam excitaverit, ei gratias agit. pag. 110.

LXXIX. TUDENSI.

Ejus ingenium ac doctrinam laudat, eumque hor-

hortatur, ut Lutherum ejusque nomen penitus ac totis viribus persequatur. pag. 112.

LXXX. GEORGIO DUCI SAXONIÆ.

Idem argumentum. pag. 113.

LXXXI. CHIEREGATO ET HIERONYMO DE MEDICIS.

Mandat eis, ut Parochialis Ecclesiæ possessionem adeant pro Franc. Chieregato, cui illam contulit. pag. 114.

LXXXII. UNIVERSIS ET SINGULIS, &c.

Universitatibus, civitatibus, locorum gubernatoribus, &c. mandat, ut Franciscum Chieregatum cum suis famulis, liberum ab onere transire patiantur, eique si opus fuerit, de scorta & salvo conductu provideant. pag. 115.

LXXXIII. HENRICO ANGLIÆ REGI.

Commendat Henrico Polidorum, (cui commissum munus pecunias nempe pro Romana Ecclesia colligendi) & Cardinalem Hadrianum Castellensem. pag. 116.

LXXXIV. UNIVERSIS ET SINGULIS, &c.

Commendatia pro eodem Francisco de Chieregatis. pag. 118.

LXXXV. FRANCISCO CHIEREGATO.

Mandat ei, ut in Angliam quamprimum transeat. pag. 119.

EI-

LXXXVI. EIDEM.

Ejus diligentiam in Anglica procuratione obeunda; laudat. pag. 119.

LXXXVII. UNIVERSIS ET SINGULIS. &c.

Commendatitia pro eodem Franc. Chieregato Hispaniam versus contendente. pag. 120.

LXXXVIII. FRANCISCO CHIEREGATO.

Mandat ei, ut a Rege Hispaniarum celeriter expediri curet causam super Aoripaldi Marchionatu pro Roberto & Camillo de Ursinis. pag. 121.

LXXXIX. FRANCISCO CLERECATO ET OCTAVIO URSINO.

Exortis Fabriani turbis ad eas sedendas illos cum ampla potestate Commissarios mittit. pag. 122.

* XC. ERASMO ROTERODAMO.

Ejus litteris, quibus se bono in Romanam Sedem ipsumque Pontificem animo esse profitebatur, benigne respondet. pag. 126.

* XCI. HENRICO VIII. ANGLIÆ REGI.

Erasmum Roterodamum in Anglia commorantem ei commendat. pag. 127.

CLEMENS VII.

XCII. REGI CHRISTIANISSIMO.

Joannem Matthæum Gibertum Datarium suum, Legatum ad eum mittit. pag. 128.

DU-

XCIII. Duci Genuæ.

Eumdem Matthæum Gibertum Legatum Reipublicæ quoque Genuensium mittit. pag. 130.

XCIV. Eboracensi.

Thomæ Vulcæo Cardinali Eboracensi ordinem Fratrum S. Francisci de Observantia commendat. pag. 131.

XCV. Eidem.

Ejus epistolæ respondet; qua ille sua erga Clementem officia significaverat. pag. 132.

XCVI. Eidem.

Hortatur ut det operam, quo Rex Angliæ conventionem & fœdus concordiæ a Carolo V. factum, approbet, pag. 133.

XCVII. Cardinali Moguntino.

Albertum Cardinalem Moguntinum ad perturbatam in Germania Catholicam Religionem tuendam, multis verbis excitat. pag. 136.

XCVIII. Matri Regis Christianissimi.

Eam ob filium Franciscum I. a Carolo V. captum, multis verbis solatur. pag. 139.

XCIX. Matri Regis Christianissimi.

Querenti, quod Joan. Salviatum Legatum ad Carolum V. missum, maritimum iter suscipere

pere jussisset, multis rationibus satisfacit, deque asserendo in libertatem filio nonnulla habet. pag. 141.

C. CÆSARI.

De victoria, quam de Francisco I. Rege Galliæ retulerat, gratulatur, præsertim quod ea ratione facilius pax constitui possit. pag. 144.

CI. DOMINÆ MARGARITÆ.

Margaritam Austriacam Maximiliani Imp. filiam ad coercendos Lutheranos hæreticos hortatur. pag. 146.

CII. CAROLO ROMANORUM IMP.

Diligentissime de pace scribit, & quod a Turcis periculum immineat, & quod turbis hæreticorum ferveat Germania. pag. 148.

CIII. DUCI BORBONIO.

Nuncianti ea quæ acciderant, officiose respondet. pag. 154.

CIV. HERCULI GONZAGÆ.

Eum de Sigismundi patrui Cardinalis morte, verbis officii ac benevolentiæ plenis consolatur. pag. 155.

CV. MARCHIONI MANTUÆ.

Idem argumentum. pag. 157.

CVI. BARONI.

Contra Solimanum ad sustinendum bellum in Hungaria, pecuniarium subsidium mittit. pag. 158.

ELE-

CVII. ELECTORI.

Agit de iisdem Hungariæ periculis, quum Spiræ conventus habendus esset. *pag.* 159.

CVIII. CAROLO V. ROMANORUM IMP.

Multis ostendit, quo usque ab initio Pontificatus studio, quibusque curis & actionibus tum pacem communem totius Christiani nominis, tum privatam ejus amicitiam & conjunctionem procuraverit atque appetierit. *p.* 161.

CIX. CÆSARI.

Hortatur ut ad Baldasarem Castilioneum Nuncium Apostolicum de magni momenti negociis secum acturum auscultandum, animum & curam adhibeat, utque publicæ saluti consulere, pace æquis conditionibus amplectendo, continendisque suorum cupiditatibus ac injuriis intra legum & æquitatis fines, velit. *pag.* 173.

CX. REGI PORTUGALLIÆ.

De calamitatibus a Turcarum Rege Christianis importatis strictim; uberius vero atque accuratius de Romana clade, quæ hoc anno 1526. *contigit, narrationem instituit.* *pag.* 174.

CXI. HELVETIIS.

Ennium Philonardum Episcopum Verulanum Nuncium suum ad eos mittit. *pag.* 182.

PAU-

PAULUS III.

CXII. CÆSARI.

Cæsari ex iis, quæ sibi a Joan. Antonio Pulleono Nuncio scripta fuerant de Hungariæ periculis narrat, commemoratisque ipse quæ fecerat, Carolum ad æmulationem quamdam misericordiæ virtutisque excitare conatur. *pag.* 184.

CXIII. ARCHIEPISCOPO TREVIRENSI.

Joanni Ludovico ab Hagen Archiepiscopo Trevirensi scribit, ut Carolum V. in bello hæreticis inferendo adjuvet. *pag.* 188.

CXIV. AD CONCILIUM.

Tridentinæ Synodi Patribus scribit, quæcumque ab iis rite atque ordine fuerint circa reformationem statuta, (etsi aut juri communi, aut aliorum Conciliorum ordinationibus, aut etiam privilegiis ab Apostolica Sede concessis aliqua in parte videantur repugnatura) se rata habiturum, ita ut plenam & perpetuam retineant roboris firmitatem. *pag.* 190.

APPENDIX.

LEO X.

* CXV. LUDOVICO DE ARIOSTIS.

Primum veterem ejus erga se familiamque suam observantiam commemorat, postea ne quis

quis absque suo jussu & concessione ullis in locis, ejus libros vernaculo sermone & carmine Orlandi Furiosi *titulo inscriptos, imprimere, aut imprimi facere, aut impressos venundare, vendendosve tradere audeat; amplum privilegium tribuit, idque sub excommunicationis pœna, librorum omnium amissione, ac ducatorum centum.* *pag.* 193.

* CXVI. PHILIPPO BEROALDO JUNIORI.

Eum Bibliothecarium Palatii Apostolici creat. *pag.* 195.

* CXVII. HIERONYMO ALEANDRO DE MOTTA.

Idem argumentum. *pag.* 197.

* CXVIII. UNIVERSIS ET SINGULIS &c.

Joanni Mazocho Bergomati edenti libros Xenophontis de factis, & dictis Socratis a Bessarione S. R. E. Cardinali Niceno latine versos, idem ferme privilegium ad septennium tribuit. *pag.* 200.

CLEMENS VII.

* CXIX. ACTIO SYNCERO SANNAZARIO.

Quod librum de Dei & Domini nostri Jesu Christi rebus scriptum, ad se miserit, gratias ei summa benevolentiæ significatione multas agit. *pag.* 202.

JA-

JACOBI SADOLETI
EPISTOLÆ
LEONIS X. CLEMENTIS VII. ET PAULI III. NOMINE SCRIPTÆ.

EPISTOLA I.

JOHANNI GALEATIO COMITI.

DILECTE Fili. Accepimus a multis id quod nobis gratum vehementer fuit, te ex hac nostra ad Apostolatus apicem assumptione summum quoddam gaudium & incredibilem cœpisse lætitiam; quod quidem nos ita fore speravimus. Vel enim noster erga te, dum in minoribus essemus, amor, vel tua perpetua in nos observantia dabat nobis tale testimonium tuæ voluntatis. Nunc, quando in eum honoris gradum divina providentia sublati sumus, ex quo homines de virtute, de religione, deque nobis benemeritos liberaliter accipere possimus; debes existimare, in iis rebus, quæ ad commodum tuum, & honorem pertinebunt, omnia nos propense & libenter esse facturos. Te itaque in Domi-

no hortamur, ut illi agas gratias, qui omnium bonorum auctor, & largitor est: ceteris in rebus quæ a nobis erga te, salva Romanæ Ecclesiæ majestate, proficisci poterunt, omnia tibi parata esse confidas. Datum Romæ anno primo.

II. MARCHIONI MONTISFERRATI.

DIlecte Fili. Gratæ litteræ tuæ fuerunt, quæ declararunt tuum gaudium, summamque lætitiam, quam ex nostra ad Apostolatus apicem assumptione cœpisti; quæ res tamen nec nova nobis, nec inexpectata fuit. Nostra enim, dum in minoribus essemus, erga Nobilitatem tuam affectio, tuaque in nos observantia, hoc nobis de te promittebat, ut quæ ad nostram dignitatem pertinerent, ea tibi tantæ lætitiæ esse existimaremus, quantæ alicuique. Quare nobilitas tua existimet, nostrum erga te animum talem esse, qualem antea semper intellexisti, quæque ad commodum, & dignitatem pertinebunt, omnia nos libenter, & propense esse facturos. Datum Romæ anno primo.

III. JOHANNI LASCARI.

DIlecte Fili. Cum hæc ad te scribenda mandavimus, jam fore existimabamus, ut tu, bona parte itineris confecta, ad nos appropinquares; tamen voluimus has litteras ire tibi quasi obviam, significantes, te, quod scribis gaudere & gratulari vehementer hac amplificatione nostræ dignitatis, jure ac merito id agere: non enim amiciorem, vel tibi ipsi

ipsi nominatim, vel iis artibus optimis atque honestissimis, quibus tu egregie præditus, atque ornatus es, audire potuisti sublatum esse ad summum fastigium tantæ potestatis. Quare, si Deus, cui omnia nostra semper accepta tulimus, nostris cogitatis adfuerit, intelligent omnes boni, fortunam atque potentiam bene institutis mentibus rectisque animis dare facultatem benignitatis potius, quam temeritatis exercendæ. Sed hæc speramus nos coram propediem collaturos. Tu si valebis, nosque cito invises, rem pergratam nobis feceris. Datum Romæ anno primo.

IV. GEORGIO DUCI SAXONIÆ.

DIlecte Fili. Binas a te litteras quas ad felicis recordationis Julium II. Prædecessorem nostrum Nobilitas tua direxerat, nobis post eundem in apice Apostolatus, licet immeritò constitutis, reddidit dilectus filius Thomas de Vio Cajetanus Ordinis Prædicatorum Generalis Magister, idemque suo sermone mirifice subsecutus est humanitatem, & prudentiam litterarum tuarum, necnon animum tuum integrum ac fidelem, perpetuamque in hanc Sedem voluntatem plane exposuit. Quæ omnia nobis grata admodum fuerunt, atque hoc etiam magis, quod eadem nomini, & nobilitati tuæ sint consentanea. Quanquam enim, & splendore majorum tuorum, & animi virtute, amplissimisque fortunis abundes, & polleas; tamen nullam habemus quam tibi justiorem, & veriorem tribuamus laudem, quam hanc in summum Deum pietatis, & in sanctam matrem Ecclesiam ve-

nerationis. Quare quod alteris litteris ab eodem Prædecessore nostro suppliciter postulas, ut ne quid novetur quod ad Misnensem Ecclesiam pertineat, neve a vetere consuetudine ejus civitatis, & a jure per Capitulum Antistitis eligendi recedatur; præsentique Episcopo, si contra fas moremque majorum, successorem sibi a S. Sede coadjutoremque concedi postulaverit, ut ne concedatur; nos hac tota de re te animo soluto & pacato esse volumus, nihilque omnino a nobis iniquæ novitatis expectare: quod etsi omnibus in rebus, Deo largiente, observaturi sumus, tamen in hac ipsa causa tua, quò libentius id agamus, facit persona tua virtusque animi tui singularis, necnon nostra erga Nobilitatem tuam paterna affectio, quam tibi omnibus in rebus, quæ ex Deo erunt perpetuam tribuemus. Alteris vero in litteris quod scribis, audita fama Concilii Lateranensis, quamquam tibi nihil nominatim de eo indictum & denuntiatum fuerit, tamen a Congregatione fidelium, & cœtu eorum Principum, qui de Ecclesiæ unitate recte sentiunt, abesse nolle, teque idcirco, & Procuratorem constituere, & litteras mittere obedientiam ac fidelitatem tuam eidem sacro Concilio indicantes; plane cognoscimus omni ex parte fidem, & religionem tuam, teque in Domino valde commendamus; nec solum egregiam hanc tuam voluntatem, sed & Procuratorem tuum nobis dilectum Filium Fratrem Thomam supradictum, alioquin etiam nobis propter virtutes suas, & excellentem litterarum scientiam vehementer gratum, litterasque tuas benevolo animo suscipimus, quas & in proxima sessione, postquam

quam pervenerint, si Deus permiserit, legi, divulgarique curabimus, tuamque optimam mentem sacro Concilio præsente, digna commendatione prosequemur. Te quidem hortari & paterno affectu monere non desinimus, ut in hac bona voluntate, & erga hanc sanctam Sedem devotione perseveres, eaque agas semper, & cogites, quæ a tua virtute, tuoque genere, quæque a Dei maximi honore non sint aliena; a nobis ea speres, & expectes, quæ ab indulgentissimo Patre sperare debet is, qui neque iniquum quidpiam petiturus, & omnia honesta impetraturus est. Datum Romæ anno primo.

Sadoletus.

V. SIGISMUNDO REGI POLONIÆ.

CHarissime in Christo Fili noster. Cum more majorum nostrorum, & solemni ritu S. R. E. institutum sit, ut quotannis in sacratissima die Dominici Natalis ensem, & pileum benedictum Romanus Pontifex, cui visum fuerit ex Christianis Principibus, aliqua tamen præstanti virtute, aut meritis erga hanc sanctam Sedem insignito, jubeat destinari; eosque, qui proximis Domini Nostri Jesu Christi natalitiis consecrati fuerunt, felicis recordationis Julius II. Prædecessor noster tuæ Serenitati dicaverit, nec tamen miserit: nos qui nuper divina providentia ad summum Apostolatus fastigium provecti sumus, ejusdem Prædecessoris nostri voluntatem, & judicium attendentes, tuamque animi magnitudinem maximis in rebus cognitam intuentes, nullam moram interponendam putavimus,

mus, quin ipsos ensem, & pileum transmitteremus tibi, vel tamquam præmium tuæ virtutis, vel tamquam testimonium nostræ in te opinionis. Quanquam quidem tuæ res gestæ, quarum fama per omnes gentes, nationesque pervagata est, eo gloriæ, & celebritatis provectæ sunt, ut humanis præmiis non apte decorari posse videantur, quæ sunt semper in divinis honoribus augendis, fideque, & religione nostra propaganda fortiter simulque feliciter versatæ. Sed tamen si non tam munus ipsum, quam muneris mysterium interpretari volueris, intelliges profecto nihil esse tam amplum a magna virtute expectandum, quod non tibi in eo ipso dono aut aperte datum aut mystice significatum sit. Nos enim qui vicariam Dei potestatem in terris obtinemus, pileo, te quasi in participationem Sacerdotalis dignitatis adsciscimus, tibique nobiscum una patronum, ac defensorem adoptamus: ensem vero cum porrigimus, satis aperte denunciamus, ut eo uti velis, tum ad propugnationem eorum, qui tibi fide, ac religione, veroque Dei cultu conjuncti sunt, tum ad excisionem illorum, qui obsint ipsi sanctæ Fidei, & omnibus fidelibus hostes inimicique sunt, ac semper fuerunt: ita, quod ad meritum tuæ pietatis pertinet, te in Dei omnipotentis sinu, ac patrocinio collocamus; quod ad fortitudinis laudem, tibi propugnationem sanctissimæ Fidei committimus: in altero te a Deo, in altero nos a te adjuvari velle significamus, & poscimus. Sed hujus totius doni atque mysterii vim atque sententiam sic pro tua prudentia facile cognosces. Nos quidem una cum supradicto Præ-

de-

decessore nostro, cur te potissimum in hoc munere tradendo ceteris antetulerimus, facilis ad reddendum ratio. Nam ut omittamus nobilitatem generis & sanguinis, qua tibi pares multi sæpe extiterunt; ut nihil de regia potestate dicamus, quæ fortunæ plerumque est, non virtuti debita; illa certe nullis laudibus æquari possunt, quæ tu adversus Scythas Christianæ Fidei hostes pro vero Dei honore atque gloria magna præclaraque egisti, agisque, ut audimus, prope quotidie; ita aures nostræ crebris atque insignibus victoriis tuis jam caluerunt; ea porro propria sunt tui; a Deo tamen auctore omnium bonorum ad te profecta, cui tu soli, nec ulli præterea debes. Nam, & is fecit, ut præclare de eo posses promereri, & idem faciet, ut laborum, & periculorum omnium, quæ pro illius nomine defendendo subiisti, sint tibi, & in cœlo, & in terris parata præmia sempiterna. Nos ad Serenitatem tuam Patris affectu, & nova quadam charitate erga virtutes tuas inflammati, perscripsimus, ut te in Domino nostro Jesu Christo hortaremur, nihil deflectere ab instituto itinere tantæ virtutis, & pietatis, sed considerare Deum, eaque agere, quæ illi grata, & probata esse intelligas. Dilecto quidem filio Paulo electo mandavimus, ei qui ad te ensem, & pileum supradictos attulit, ut in eis consignandis, Missa solemniter celebrata, plenariam indulgentiam omnibus qui præsentes adfuerint de nostra, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli auctoritate confisus concedat, & largiatur. Ceteris in rebus, quod ad dignitatem & commodum Ma-

jestatis tuæ pertinebit, nostram cum Domino sanctæ Apostolicæ Sedis liberalitatem, & benignitatem tibi paratissimam fore prompto animo pollicemur. Datum Romæ anno primo.

Sadoletus.

VI. Rostanio Cantelmo.

Dilecte Fili. Non erat dubium nobis, pro pristina nostra, dum in minoribus essemus, erga virtutes, & nobilitatem tuam dilectione, quin omnino nostræ dignitatis amplificatio tibi esset futura jucundissima; sed tamen hunc animum tuum erga nos, plenum amoris & devotionis, dilecti filii Sanctius, & Fabricius Nuncii tui, quos nobis nomine tuo gratulaturos misisti, suis verbis declaraverunt; quos nos quidem libentissime vidimus, grateque suscepimus. Neque enim obliti sumus, nec vero unquam obliviscemur nostram veterem inter nos benevolentiam, atque adversis aliquando in rebus maximorum periculorum societatem. Nunc, quando divina providentia, licet immeriti in tanto culmine constituti sumus, potes existimare, quæ ad tuum commodum, laudem, honorem pertinebunt, modo si eadem sanctæ Romanæ Ecclesiæ honesta, & utilia sint, nos tua causa libenter propenseque facturos. Sed nostrum animum erga te bonamque voluntatem iidem Nuncii ad te referent, qui nobis multa de te retulerunt. Te nos in Domino adhortamur, ut valetudini consulas, tuamque istam senectutem diligenter conserves. Datum Romæ anno primo.

Sadoletus.

AN-

VII. ANTONIO JANVARIO NEAPOLITANO.

DIlecte Fili. Etsi dubium nobis non erat, quin hæc nostra per divinam providentiam, licet impares essemus, ad summum culmen Apostolatus provectio tibi magnam lætitiam esset allatura; tamen jucundum nobis fuit ex tuis litteris agnoscere, & quamdam in illis quasi effigiem intueri veteris tuæ erga nos observantiæ perpetuique amoris, cujus nos quidem præteritis temporibus non mediocria multis in rebus testimonia accepimus. Quapropter, si eo animo sumus, quo debent esse ii, qui ad omnem fortunam præsidia in se ipsis habuerunt parata, ut profecto esse cupimus; potes existimare nos nequaquam oblitos esse veterum necessitudinum, neque horum hominum, quorum nobis opera, & benevolentia fidelis præsto semper fuit. Itaque quantum cum Domino licebit, neque bonorum virorum vetera erga nos merita immunerata patiemur, neque nova promereri nostra liberalitate cessabimus: tantum omnipotentem Deum deprecamur, ut quemadmodum nobis nihil tale meritis maximum beneficium tantæ potestatis præbuit, ita facultatem tribuat ea cogitandi, eaque agendi, quæ ad bonorum virorum utilitatem atque decus cum ipsius honore, & sanctæ Sedis Apostolicæ dignitate sint conjuncta. Datum Romæ anno primo.

Sadoletus.

VIII. MARCHIONI MANTUÆ.

DIlecte Fili. Nihil ad nos novi, atque inexpectati attulit dilectus filius Aloysius Gonzaga tuæ Nobilitatis Orator, qui ut litteras tuas nobis reddidit, & ipse dexteritate, & prudentia sua expressit plane nobis effigiem amoris erga nos, ac veteris observantiæ tuæ; quantumque ex hac nostra ad summum culmen Apostolatus per divinam providentiam assumptione, gaudii lætitiæque suscepisses, nobis exposuit: nos vero memores tuorum erga nos officiorum, quæ nobis variis nostris temporibus multa, & magna præstitisti, tuamque mentem paterna benignitate prosequentes, quam semper cognovimus huic sanctæ Sedi Apostolicæ devotam, & deditam fuisse, tibi his nostris litteris significavimus, jure te ac merito lætari omni amplificatione nostra, quæ ad tuum commodum, quantum cum Domino, in honorem sanctæ Sedis Apostolicæ poterimus, reditura sit: teque adhortamur, ut, servata tua pristina erga nos, & S. R. E. voluntate, ex nobis expectes, quæ justus gratusque Princeps, bene de se, & privatim, & publice merito potest tribuere. Datum Romæ anno primo.

Sadoletus.

IX. TROIANO PRINCIPI MELPHIS.

DIlecte Fili. Gratæ nobis admodum fuerunt litteræ tuæ: nam, & animum amicissimum tuum, studiosissimumque nostri, & non mediocrem, quam circa nos suscepisti,

læ-

lætitiam nobis ſignificaverunt, quorum utrumque nobis admodum jucundum fuit. Neque enim obliti ſumus, quemadmodum nos, dum in minoribus eſſemus, amaveris ſemper, atque obſervaveris; nec vero tibi in dubium venire poteſt, te a nobis diligi, & paterna in Domino charitate amari. Illud quidem etiam recordamur, nos in noſtris adverſis fortunis ſocium habuiſſe, non te quidem, ſed effigiem animi atque ingenii tui filium tuum: cujus infeſti, quoad Deo placuit, caſus & eventus noſtri recordatio, ſi non mediocre vinculum eſſe ſolet benevolentiæ conſervandæ, exiſtimare debes, nos & conſuetudine noſtra, & tuis plurimis officiis adductos tibi fore ſemper propitios: quam quidem erga te mentem noſtram, paternamque voluntatem dilectus filius Caracciolus, qui nobis tuo nomine gratulatus eſt, tibi viciſſim referre, & ſignificare poterit. Datum Romæ anno primo.

Sadoletus.

X. Regi Francorum.

Dilecte Fili. Poſtquam nobis renuntiatum fuit, dilectum filium Bartholomæum de Alviano, quem antea Majeſtas tua ſub diuturna cuſtodia retinuerat, a te propemodum reſtitutum eſſe in libertatem, latioreſque illi, & liberiores fines ad vagandum eſſe conceſſos; quamquam illi forti viro, nobiſque multis rationibus conjuncto, omnia ſemper optavimus, quæ illius commodum honeſtatemque attingerent, tamen in hoc tuo facto, non minus in gerendo modus, quam ipſa res geſta nobis lætitiæ ac jucunditati fuit. Sic enim ad

nos fuit allatum; te, cum ultro admonente nemine, illius liberandi mentem induxisses, tum addidisse, nostra præsertim causa te & sedulo, & libenter id facere; ut quem nobis gratum esse intelligeres, omni indignitate custodiæ liberares. Hæc tua singularis, & regia liberalitas a nobis intellecta, facile declaravit cum magnitudinem animi tui, tùm erga nos optimam voluntatem, quorum alterum commendatione, atque laude, alterum grata tanti officii memoria prosequimur. Quod si ii sumus, qui quidem esse cupimus, ut imitatione Salvatoris nostri nihil majoris æstimemus, quam bonam voluntatem, potes existimare, nos tuum hoc non mediocre munus, non solum hominis nobis cari, atque grati nostra causa liberati, sed multo magis animi tui adversum nos in optimam partem spectati & cogniti, pari aliquando munere, cum Dominus dederit, repensuros. Illud quidem interea Majestati tuæ significandum duximus, hoc tuum beneficium in hominem esse collatum dignum tua omni humanitate, non modo propter virtutem, & fortitudinem, verum etiam propter fidem atque constantiam. Quacumque enim tibi conditione fidem suam obstrinxerit, in ea eum certe confidimus permansurum esse. Datum Romæ anno primo.

Sadoletus.

XI. Ludovico Francorum Regi.

Dilecte Fili. Ex eis litteris, quas Julianus de Medicis noster secundum carnem germanus ab Oratore Florentinorum, qui apud Majestatem tuam Legati officio fungitur,

ad se scriptas nobis misit, intelleximus id, quod nobis maximæ lætitiæ ac jucunditati fuit, inducias inter te, & carissimos filios nostros Ferdinandum Aragoniæ, & Siciliæ Regem Catholicum ad annum factas, in quibus Massimilianus electus Romanorum Imperator, & Henricus Angliæ, & Jacobus Scotorum Reges, aliique nonnulli Principes comprehenderentur; pactaque ac capitula, quæ inter vos convenissent, ad nos missa studiose legimus. In quibus illud optimum, & sanctissimum exordium (vos scilicet idcirco laborare, ut, ad unitatem Christiani nominis conficiendam, sanguinisque fidelium nimis diu, ac largiter effusi rationem habendam, perfidosque Turcas comprimendos, ut sepulchrum Domini nostri Jesu Christi aliquando ex impiis infidelium manibus eripiatur, viam nobis, atque aditum aperiatis) nostrum animum ita affecit, ut sublatis continuo in cælum manibus Deo omnipotenti gratias infinitas ageremus, qui diuturnas Christianorum inter se discordias, & dissensiones, in viam aliquando speratæ atque exoptatæ pacis perduceret. Itaque in tantam spem venimus concordiæ universalis constituendæ, ut vix gaudii nostri atque lætitiæ modum inveniremus. Nam, si, dum in minoribus essemus, quantum potuimus semper, non solum consilio atque sententia, sed votis precibusque institimus, ut arma inter Fideles Principes ponerentur, adversus impios sumerentur; postquam illius providentia sine cujus nutu, ne folium quidem in arbore moveri credimus, in hunc altissimum gradum sumus evecti, quid nos agere, aut quantum hujus rei causa labo-

laborare oportet, non solum nostro perpetuo judicio ac desiderio accensos, sed etiam Dei ipsius maximo beneficio obligatos? Hanc tamen, ut vere fateamur, spem nostram, lætitiamque conceptam, illud imminuit, quod sequebatur, Majestatem eamdem tuam a domesticis periculis vacuam tandem & liberam, conversuram arma ad Italiam, suumque jus, ita enim scribitur, in suis rebus ablatis bello recuperandis persecuturam, neque existimaturam in eo, aut cuiquam injuriam, aut nobis molestiam aliquam posse inferri. Denique (ea enim aliquantum a supradicto capitulorum exordio discrepabant) non omnino Majestas tua velle arma deponere, sed potius transferre videbatur, ut cum una ex parte, otio, & quieti tuæ prospexisses, libentius altero bello indulgeres. Sed per summi Dei bonitatem, & erga te beneficentiam, qui tibi tantum potentiæ & dignitatis tribuit, ut populo suo fideli defendendo, ac conservando esset aptior; confer te parumper in eam curam, & cogitationem, ut intelligas, si arma tibi tantopere placeant, longe honoratiorem, & gloriosiorem militiam a te expectari. Nam in rebus quidem Italiæ, si quemadmodum credimus, a jure, & æquitate discedere non cogitas, quanto facilior ratio atque explicatior ad tuum jus perveniendi, per viam tractatus, & honorificæ compositionis proponitur; in qua nos utilitatem, & commoditatem tuam non modo adjuvare, sed omni nostro studio, quantum cum Domino & justitia poterimus, procurare sumus parati: neque id solum commodo, sed honori etiam tuo atque existimationi vehementer consulere: per

per vim vero, atque arma rem velle gerere, tumultusque denuo maximos concitare, non solum a Dei voluntate alienum longe esse, sed etiam ab optimi Regis dignitate. Ac nos quidem, quoniam in memoria versantur ea, quæ tot annos continuos magno cum dolore vidimus, misera, & calamitosa detrimenta Italiæ, nihil mirum est, si & pro pastorali officio, quod sustinemus, & pro amore patriæ, cui tanquam homines, & non ingrati alumni affecti sumus, metu impendentium malorum commovemur. Vidimus enim, nec commemorare possumus sine dolore, maximas sæpe cædes, atque strages Christianorum fieri, virginibusque, & matronis nefariam vim inferri, urbes non paucas prædæ gladiisque subjici, templa Deo immortali consecrata, sanguine, & acerbissimis rapinis violari; quæ talia, & tam acerba qui perpessi sunt, perpetuum mœrorem; qui vero egerunt, brevem adepti sunt lætitiam. Atque hæc si iterum expectanda, & perpetienda essent, quæ armis rursum commotis, instare, & imminere necesse esset, sane miseram, & calamitatibus nimium addictam existimaremus esse Italiam, quæ cum propter nobilitatem, & principem inter omnes nationes Imperii ac veræ Religionis gloriam, immunis omnium malorum esse deberet; tantis ultra cladibus, & calamitatibus est afflicta, ut nihil addi ad deteriorem conditionem posse videatur. Quare iis omnibus rebus adducti, & quæ dictat nobisque inspirat maximus auctor pacis, & charitatis Deus, tibi quoque persuadere cupientes, Majestatem tuam quanto possumus studio, per viscera misericordiæ Dei nostri adhor-

hortamur, & enixe oramus, ut suum Christianissimum nomen cogitet, velitque sua in Deum pietate, nostraque erga ipsum benevola & propensa voluntate, imitari illum summum Regem, qui se inter cetera nomina pacificum appellari voluit; armisque omissis sibi periculosis, Italiæ perniciosis, legitimam juris, & honestissimam compositionis viam persequi: in qua nos illi non modo æquitatem nostram, si eam requisierit, sed etiam benevolentiam paratam fore promittimus, ut intestinis inimicitiis dimissis, ea consilia quæ inchoata sunt omnino communis concordiæ conciliandæ, sanctissimique in crudelissimos Christi hostes belli suscipiendi ad debitum, & optatum finem perducantur. Quibus nostris paternis, & amantissimis monitis si Majestas tua animum adhibuerit, cum ceteris quoque Principibus agere non cessabimus, ut hujusmodi optatæ pacis societate, non solum Italia, sed omnes, quæ ubique crucem Christi agnoscunt gentes nationesque conjungantur. Datum Romæ anno primo.

Sadoletus.

XII. REGI CATHOLICO.

Dilecte Fili. Jucundissima nos delectatione affecerunt tuæ binæ litteræ, quarum una die 6. Aprilis, altera 26. ejusdem mensis die scriptæ fuerunt. Pertulerunt enim ad nos tanquam vivam quandam, & loquentem effigiem, cum maximi, & præstantissimi Regis, tum nobis amicissimi, & in sanctæ Sedis Apostolicæ observantia, totiusque Christianæ Religionis propugnatione cum summa virtute glo-

gloriaque verſati: quæ omnia non quidem nova nobis, ſed tamen grata, & peroptata acciderunt. Itaque eas libentiſſime legimus, veteremque amorem tuæ erga nos Majeſtatis, cujus jam plurima, & maxima indicia ad nos profecta ſunt, in eis recognovimus; teque abſentem, tanquam præſentem noſtra benevolentia, noſtro animi ſtudio, & paternæ charitatis affectu ſumus amplexi. Memores enim ſumus, quod a tua Majeſtate acceperimus; & quantum tibi debeamus non obliviſcimur. Atque hoc privatum noſtrum officium eſt: publico vero Chriſtianæ Reipublicæ nomine; cui pro boni Paſtoris, & communis omnium Parentis officio magis affecti eſſe debeamus, quam tibi, habemus profecto neminem. Nunquam enim fruſtra, neque hæc ſancta Sedes, ſuis difficilibus temporibus; auxilium tuum, nec Fides Chriſti univerſa patrocinium requiſivit. Sed hæc clara ſunt, neque teſtimonio egent: quæ vero ad nos ſcribens, amantiſſime & ſapientiſſime admones, ſunt penitus infixa in curis, & cogitationibus noſtris; quæ quamquam ſua ſponte placerent, tamen tua auctoritate majorem nobis curam injecerunt: quare omnem noſtram operam, & voluntatem ad illa convertemus. Quod vero ſucceſſus habeamus ſecundos, Deus ille ſcrutator cordium, & ſublimator humilium, qui nos nihil tale meritos, nec opinantes ad ſummum honoris gradum advocavit, efficere pro ſua clementia dignetur: quanto enim minus nos & virtute, & ſapientia valemus, tanto erunt manifeſtiora opera Dei Altiſſimi. Verum hæc, re magis, quam verbis præſtanda ſunt. Illa vero, quæ extra litteras tuas commu-

mu-

municavit tuo nomine dilectus Filius Hieronymus de Vicht tuæ Majestatis apud nos Orator, studiose audivimus, planeque intelleximus, tibique vicissim per eumdem Oratorem tuum, & Nuncium nostrum nonnulla significanda mandavimus, cui omnem fidem poteris adhibere. Quod reliquum est, Majestatem tuam certiorem facimus, nos erga te ita affectos esse, ut quantum cum Deo nobis licuerit, nihil sit neque in amore tam magnum, quod non tibi debeamus, debiturique perpetuo simus. Datum Romæ anno primo.

Sadoletus.

XIII. Regi Catholico.

Dilecte Fili. Licet intelligamus ex hoc summi Pontificis, & omnium Pastoris loco, ad quem, quamvis immeriti, divina providentia vocati sumus, patrocinium justitiæ & æquitatis nobis ante omnia suscipiendum; tamen libentius id facimus, cum vel eorum hominum quibus prodesse cupimus dignitas, vel eorum apud quos auctoritatem nostram interponimus, nota & multis in rebus spectata in hanc sanctam Apostolicam Sedem voluntas, nobis fiduciam dat ipsius obtinendæ æquitatis: quod quidem Nobis nunc accidit, tùm in persona Ven. fratris nostri S. Episcopi Albanensis, Cardinalis Arborensis, Ecclesiæ Burgensis perpetui Commendatarii, cui hujus Ecclesiæ Burgensis possessionem ad hunc illi diem interdictam, & prohibitam, tradi, & concedi, postulamus; tùm verò in tua, qui nihil quod justum æquumque esset nobis, & Prædecessoribus nostris ne-

negare consuevisti. Quapropter, si hujus supradicti Ven. Fratris Episcopi Albanensis, & vitæ integritas, & sacrarum litterarum scientia, & in primis senectutis veneranda quædam antiquitas, quibus omnibus honorificum S. Romanæ Ecclesiæ membrum existit, nos valde moverunt, ut illius commodi curam cogitationemque susciperemus, Serenitatem tuam paterna affectione requirimus, ut te eadem ipsa moveant, adjuncta præsertim nostra intercessione, velisque homini in extrema ætate constituto, meritis, & virtutibus eminenti, antequam ei ex hac vita migrare necesse sit, dare hanc lætitiam sui optati juris, & captæ Burgensis Ecclesiæ possessionis: hoc nec justius quidquam, nec nobis gratius efficere potes. Datum Romæ anno primo.

Sadoletus.

XIV. VICEREGI NEAPOLITANO.

DIlecte Fili. Dileximus semper etiam cum in minoribus essemus constituti dilectum filium Troilum de Rubeis propter illius quidem erga nos observantiam perpetuamque voluntatem, quam omnibus nostris in rebus promptissimam ostendit; sed non minus etiam ob multas egregiasque virtutes. Quare quòd altiori in gradu positi sumus, majorem quoque rationem habere debemus nunc, cum accepimus, quod nobis valde molestum fuit, cum quibusdam tuorum venisse graves in controversias, ita ut periculum sit, ne tuorum militum conspiratione, & impetu gravius aliquid in bona, & fortunas antedicti Troili comparetur. Quocirca nos, & homini nobis

caro

caro consulere cupientes, & tui quoque honoris non minus, quam illius salutis habita ratione, petimus a te, quanto possumus studio, ut respectu ad nos habito ipsum Troilum nostra causa velis salvum atque incolumem esse. Quamquam hoc fortasse abs te non est difficile impetrare; neque enim tibi, & laudi tuæ quicquam aptius quam nobilibus viris favere. Sed illud etiam, quod aliquanto majoris est negotii, tamen te facturum confidimus, ut milites tuos a direptione bonorum dicti Troili contineas, neve permittas ejus res atque fortunas prædæ, & rapinæ esse. Hoc nobis gratius Nobilitas tua facere nihil potest. Datum Romæ anno primo.

Sadoletus.

XV. Pro Archidiacono Florentino.

Universis, & singulis, ad quos hæ nostræ litteræ pervenerint salutem. Propter quædam negotia nostra, ut ea recte & prudenter administrentur, destinamus dilectum filium Franciscum Minerbettum Archidiaconum Florentinum Camerarium nostrum secretum, cujus fidei, & dexteritati valde confidimus. Cupientes autem, ut munus, & iter sibi mandatum commode faciat, reliquos hortamur, & requirimus in Domino, nostrarum vero provinciarum atque urbium Præsidibus, Præfectis, Gubernatoribus, Magistratibusque mandamus, ut hunc ipsum Franciscum ita recipiant, atque tractent, ut nostram in eo gratiam possint promereri; eumque & commodis diversoriis, & ducibus, si opus

opus fuerit, directoribusque itinerum, equis etiam commutandis, quò celerius, & melius, si ei videbitur, iter suum peragat, studeant adjuvare, nullamque ei moram quovis in loco ulla ratione inferant: quod sub nostræ indignationis pœna volumus diligenter observari. Datum Romæ 1513 anno 1.

Leo X. Sadoletus.

XVI. Duci Sabaudiæ.

Hortamur in Domino Nobilitatem tuam, pro nostra reverentia, & Apostolicæ Sedis honore, ut per te gratiam, ac beneficium, quod dicto Andreæ contulimus, illi stabile, ac pacificum obveniat; ne lis eidem vel Procuratori ipsius ad capiendam dictæ Præposituræ possessionem inferatur, ad eamque pacifice, remotis impedimentis omnibus, obtinendam, tuam & humanitatem, & operam præsidio atque adjumento velis esse: in quo faciet nobis Nobilitas tua rem gratissimam, & ei observantiæ, quam semper S. R. E. præstitisti maxime convenientem. Datum Romæ 1513 anno 1.

Leo X. Sadoletus.

XVII. Patriarchæ Maronitarum.

Vener. Frater. Ex litteris dilecti filj Marci de Florentia Ordinis Minorum Observantiæ loci S. Salvatoris Siruthi in Syria Guardiani, cognovimus ea, quæ nobis summo gaudio, & incredibili lætitia fuerunt, te unum præsidem nationis Maronitarum gentis

tis Christianæ, atque Catholicæ, & a vero Dei cultu, quem sancta Romana servat Ecclesia in nullo aberrantis, regere eos populos non solum prudentia; sed integritatis, & probitatis, & Religionis exemplo illos ad verum iter salutis dirigere: cujus tuæ in Domino nostro Jesu Christo rectæ voluntatis magnum indicium habemus, quod tu misso ad nos data opera nuncio tuo, nos tanquam Dei Vicarios in terris, Beati Petri Apostolorum Principis successores, in capite universalis per totum orbem terrarum Ecclesiæ divina providentia, licet imparibus meritis, constitutos, quemadmodum decet, venerari, & debita tuo ac nationis illius nomine obedientia recognoscere te velle, cupereque a nobis confirmationem hujus dignitatis, in qua nunc es, ostendis; atque ut ejusdem Guardiani litteræ significabant, petis, ut tibi mitram & cetera ornamenta elargiamur. Nos Fr. noster charis. simul atque hoc intelleximus, frugemque illam tantam fidelium animarum, quam veteres illi sanctissimi viri, Deo inspirante, seminaverunt, nostris diebus nos collecturos speravimus; sustulimus manus ad cælum, ac pro zelo Fidei, & Dei omnipotentis amore, cujus honorem & gloriam multo vita nostra cariorem habemus, egimus ipsi Deo, & Domino nostro Jesu Christo gratias, qui in eisdem pene locis, in quibus ut nos salvos faceret, ipse nec saluti suæ, nec corpori pepercit, & ut nos ad æternam vitam vocaret, ipse temporalem mortem suscepit, non permiserit penitus suum sanctissimum, & gloriosissimum nomen aut aboleri omnino, aut perversa superstitione coli; sed te Fr. nostrum

po-

populosque illos, qui, te præsidente in Fide Catholica illius nomini deserviunt, voluerit veræ cognitionis divini nominis in eis ipsis locis esse successores. Cum igitur inflammati ardore Religionis, & amore erga Fraternitatem tuam; omnesque illos Maronitas populos fideles atque Catholicos in gremium nostræ paternæ charitatis, ut dilectos filios accipientes, vellemus ac cuperemus non solum ea, quæ idem Guardianus suo nomine a nobis postulat, tradere, & concedere, sed etiam augere autoritatem, & dignitatem tuam, re in Concilio Ven. nostror. S. R. E. Cardinalium multum agitata; quoniam hujus sanctissimæ Sedis gravitas ex more Majorum & institutis solemnibus, nihil nisi mature & summo consilio agere solet, & ne quoque temere prolabatur, multis in tantis rebus decernendis & testibus, & rebus, & argumentis niti; tuas autem litteras nullas habebamus: & is homo, quem ad nos misisti, licet & bonus, uti possumus judicare, & prudens, tamen unicus, plenam nobis fidem ex inviolabili cærimonia Sedis Apostolicæ non faciebat; visum est nobis, & eisdem Fratribus nostris remittere eum nuncium ad Fraternitatem tuam, & has litteras nostras conscribere, quibus tibi plurimam salutem, & Apostolicam benedictionem nostram impartiamur. Deinde te Frat. nost. charissime de hac mente & optima in Deum voluntate summopere commendamus. Postremo te in Domino adhortamur, ut rem Spiritu Sancto cooperante bene per te cœptam omni studio perficias, teque ut membrum Dei Ecclesiæ sanum, & integrum, capiti, & nobis, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ universali adjun-

adjungas. Et quoniam nos ardemus desiderio, non solum ornandi Fraternitatem tuam eis bonorum insignibus, quæ a nobis petita sunt, sed aliquanto majora elargiendi, ut id salvo more, & instituto majorum nostrorum tutius, & uberius faciamus, nos, & litteris authenticis, etiam lingua tua conscriptis (in hac enim urbe Orbis principe, & omnium doctrinarum studiis florentissima multos habemus Arabicarum notarum peritos interpretes) & Nunciis, plenissime de tua & nationis illius tuæ ad Catholicos ritus S. R. E. conformatione instruas, quibus etiam de rebus omnibus ad supradictum Guardianum scribimus; is enim, si difficilis tibi erit, aut periculosa tuorum Legatorum missio, per Fratres suos ad Capitula generalia convenientes nos poterit instruere, ad quem Fraternitas tua omnia poterit sua consilia, & desideria transmittere. Nos eo animo sumus, ut si Fraternitas tua adhæserit, sicut jam cœpit, eis consiliis, quæ orthodoxæ Fidei congruunt, & ad salutem animarum sunt necessaria; omnes Sedi Apostolicæ divinitus datos ex Spiritu Sancto thesauros tuis honoribus, & commodis patefacturi simus, Deumque oraturi, ut te nobiscum una incolumem in sua sancta Ecclesia, atque in bono proposito perseverantem conservet. Datum &c.

Sadoletus.

XVIII. Regi Francorum.

Cum superioribus diebus, laborante in extremis quondam Petro de Brignac Monasterii Sancti Salvatoris de Rotono Ordinis San-

Sancti Benedicti Redonensis Diœcesis perpetuo Administratore, nos dictum Monasterium nostræ, & Sedis Apostolicæ dispositioni in pectore reservavissemus, ac deinde ipsum, ejusdem Petri obitu extra Romanam Curiam defuncti vacans, de quo tunc nullus præter nos ullo modo poterat disponere, dilecto filio Ludovico de Rossis, nostro secundum carnem consanguineo, & Camerario Secreto, motu proprio perpetuo commendavissemus, existimavimus semper nostram ejusmodi provisionem rite, & canonice factam, pro nostra, & hujus sanctæ Sedis auctoritate, & reverentia, nullum non modo impedimentum, sed nec retardationem quidem ullam habituram. Itaque ob hanc causam scripsimus antea Majestati tuæ tùm provisionis nostræ prosecutionem, tùm ipsius Ludovici consanguinei nostri, quem paterno affectu diligimus, commodum commendantes. Nunc autem cum, præter nostram nobis expectationem eveniat, ut ejus Monasterii possessio, & fructuum provenientium perceptio ipsi Ludovico adhuc assignata, traditaque non fuerit, Majestate tùa, non uti speravimus, & optavimus, favente, ac dilecto filio Guillelmo, Confessore, ut intelleximus, tuo, impediente; non possumus non aliquantum mirari, præsidium, ac liberalitatem Majestatis tuæ, quam nos in maximis rebus promptissimam sperabamus, in his, quæ non ita magna sunt, nobis esse interclusam. Ipsum autem Guillelmum credidissemus pro sui Ordinis professione, & virtutibus aliis, quibus ornatus esse dicitur, non iturus obviam nostris, & Sedis Apostolicæ decretis, quibus ipse melius quam ceteri obtemperare de-

debuit, cum & nos non parvam alias ipsius meritorum habituri essemus rationem. Hoc autem in negotio, cum & nos alio modo deliberaverimus, & ipse ex alieno Ordine existat, dolemus nostram de illo opinionem esse aliquantulum labefactatam. Ac si nulla inter nos ipsos atque te alia officia ac merita intercederent, tamen erat pietatis, & virtutis tuæ; habere respectum ad nostram, & sanctæ Sedis Apostolicæ dignitatem auctoritatemque, & quæ per nos decreta fuissent inviolata esse jubere. Nunc in tanta nostra conjunctione atque amicitia, nihil minus expectari debuit, quam quicquam nobis a charissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum Rege Christianissimo esse negatum. His de rebus omnibus locuti sumus largiter cum dilecto filio Joanne de Rupeforti nuncio tuo a nobis ad te redeunte, cui etiam mandamus, ut ad te nostrum hujus rei desiderium perferret. Majestatem tuam hortamur in Domino, & enixe requirimus, ut hac in re gratificari nostræ voluntati studeat; cum, & apud Regem nobis conjunctissimum, & pro homine charo, atque grato affine nostro, de nobis benemerito, optimis ornato partibus, tuæque amplitudinis studiosissimo postulemus: erit hoc nobis vere gratissimum. Datum Romæ 1514. anno secundo.

Leo X. Sadoletus.

XIX. Duci Engolismensi.

Cum superioribus diebus &c. &c. *ut supr.* Itaque ob hanc causam, & scribimus ad charissimum Francorum Regem Christianissimum,

mum; & ad Nobilitatem tuam ſcribendum duximus, te in Domino plurimum hortantes, ut pro noſtra, & hujus ſanctæ Sedis reverentia, & ex pietate ac Religione tua, ex qua valde commendaris, velis adeſſe & favere, ut dictus Ludovicus affinis noſter, quem propter ejus merita paterno affectu diligimus, charumque habemus, remotis omnibus obſtaculis, pro debito juſtitiæ, ejus monaſterii pacificam poſſeſſionem, tua Nobilitate interveniente, conſequatur: quod erit omnino nobis gratiſſimum, noſtraque erga Nobilitatem tuam liberalitate compenſandum. Sed de hac re tota cum dilecto filio Joanne de Rupeforti regio apud nos nuncio ſumus locuti, cui mandavimus, ut rediens, tecum noſtrum ejus rei deſiderium communicaret. Ei Nobilitas tua fidem circa hoc adhibebit. Datum Romæ 1514. anno ſecundo.

Leo X. *Sadoletus.*

XX. Regi Portugaliæ.

POſtea quam Serenitas tua, ſuis Legatis, viris lectiſſimis ad nos miſſis, id, quod Regi Chriſtianiſſimo fuit conſentaneum, veram & ſinceram obedientiam Deo optimo maximo, nobiſque Dei in terris vices, licet immeritis, gerentibus, ac Sedi Apoſtolicæ præſtitit; cum munus eorum publice cum magna dignitate actum, habitamque luculentam orationem læti auſcultaviſſemus, & quæ viſa nobis fuerunt ad tuam ſingularem laudem, & commendationem pertinere, reſpondiſſemus; fuimus ab iiſdem Legatis tuis appellati, ut privatim eis copiam, & poteſtatem noſtri fa-

ceremus, quod habere se dicerent mandata, & munera, de quibus tuo nomine essent nobiscum acturi: quod nos cum illis libenter concessimus (antecesserat autem rumor, & hominum expectatio non mediocris, propter famam, & nobilitatem eorum munerum, quæ abs te missa esse dicebantur, quo esset tua liberalitas testatior) die constituta advocavimus nobis Venerandum Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium cœtum universum; magnamque præterea multitudinem & copiam ornatorum ac præstantium virorum tanti spectaculi celebritas concitarat. Itaque constituti in Conventu pleno summæ dignitatis excepimus adeuntes Legatos tuos, eorumque orationem de tua erga nos benevolentia, de muneribus missis, de animo in sanctam Sedem Apostolicam, ac in Dei fidem egregio & præstanti jucundissime accepimus, neque mediocri cum voluptate, munera ipsa aspeximus, Elephantum unum Indicum incredibili corporis magnitudine, & Pardum unum aliquanto specie ipsa venustiorem virgato corpore, & maculis distincto: sed in Elephanto omnium admiratio major, vel propter memoriam antiquitatis, quod apud veteres hæc bellua Romæ frequens, tanto seculorum intervallo visa non fuerit, postquam videlicet hujus maximæ, & nobilissimæ civitatis veteres illæ imperii, & potentiæ opes conciderunt; vel propter docilitatem belluæ atque disciplinam, ita obtemperantis monitis, & præceptis rectoris sui, ut fides fieret non falso fuisse a gentilibus nostris, litteris proditum, esse quandam illi belluæ cum genere humano societatem. Atque hæc hujusmodi animantium pro-

productio, & nobis jucunditati fuit, & popularem in primis habuit admirationem. Sed cum hoc spectaculo transacto, in medio eorumdem Fratrum nostrorum, & in gravissimorum, atque ornatissimorum hominum corona consedissemus, explicaverunt eo in loco ministri Majestatis tuæ vestem destinatam rebus divinis, ac vere tantummodo dignam, quæ in thesauris Dei omnipotentis censeatur; cum nemo mortalis tam sit arrogans, qui se tanto illo ornatu dignum putare queat. Sed ejus fulgor simul atque, involucris rejectis, ad oculos intuentium est oblatus, silentium primum, & tacita admiratio omnes tenuit: neque enim aut oculi ad aspectum, aut vox ad laudem sufficere posse videbantur; idque non injuria. Erat enim ea species, ea pulchritudo nobilissimi operis, qualem nec vidissemus antea unquam, nec videre expectavissemus; is splendor, qui ex candore, & copia tot gemmarum esse debebat; artem autem in eo, & varietatem operum omnes plane confitebantur etiam pretiosiorem esse materia, cum diuturnus labor nobilitatem summi artificii, ordine, & contextu mirabili margaritarum, antecellere omnibus Indicis, atque Arabicis opibus coegisset. Hoc dono conspecto, in quo, & magnitudo animi tui, qui dedicasses, & summi Dei, cujus honori dedicasses, erga te beneficentia perspiciebatur; lectæ sunt litteræ tuæ, scriptæ incertum elegantius, an religiosius; te, quod primitiæ omnium rerum Deo dicandæ sunt, primitias Lybiæ, Mauritaniæ, Æthiopiæ, Arabiæ, Persidis, atque Indiæ in Dei honorem, nobis ipsius vices sustinentibus dare, ac de-

dicare. Quorum omnium, & verborum, & operum magnificentia, a tanto & tam illustri Rege profecta, inusitata quidem nobis & mirabilis visa est, animo percurrentibus, quas tu provincias, quas regiones, quas oras tam terrestres quam maritimas virtute ac victoria, Deo comite, peragrasses; ut te præstantissimum Regem non solum nostra, sed etiam antiquitatis memoria præbuisses. Sed multo clarior, atque admirabilior visa est in tanto Rege, & optima erga Deum voluntas, & summa Religio: animus vero, & benevolentia erga nos, ceterarum rerum omnium nobis accidit jucundissima. Quamquam enim maximas, ac præclarissimas res nobis dono misisti, tamen multo habemus gratiorem amorem erga nos tuum, quam cunctarum opum, & divitiarum apparationem. Itaque munera quidem tua, ut nobis charissima, in sacrario nostri delubri Palatini conservaturi sumus, te vero ipsum ac præstantissimas virtutes tuas in corde, atque animo nostro perpetuo conservabimus. Utinam quas vellemus gratias tuæ Serenitati agere possemus: agimus quidem maximas; sumusque, si occasio feret, aliquando relaturi. Sed referet Deus ipse, qui nec pietatem tuam cœlestibus suis præmiis, quæ maxima sunt, irremuneratam, nec nostram cupiditatem referendæ gratiæ, ut confidimus, irritam esse sinet. Nos quidem, quod nostræ est potestatis, & singularem benevolentiam tuæ erga nos voluntati perpetuo habituri sumus, & summum honorem virtuti. Datum Romæ die XI. Maji 1514. anno secundo.

L. o X. Sadoletus.

XXI. RE-

XXI. REGI FRANCORUM.

CHariss. &c. Cum ad nos allatum sit, inter ceteros Genuenses cives, qui Lugduni jussu Majestatis tuæ detenti fuerunt, dilectum quoque filium Jacobum de Saulis, dilecti filii nostri Bandinelli Cardinalis de Saulis patruelem fuisse; statim, & dicti Cardinalis, & ipsius Jacobi causa commoti, quos ipsorum merito paterne diligimus, suscepimus curam scribendi ad Majestatem tuam: & quoniam Jacobi salus nobis admodum cordi est, te in Domino enixe adhortandi, ut cum nobis persuadeatur, nullam gravem hujusmodi detentionis in eo subesse causam, neque ipse de Majestate tua tam male commeritus sit; velis eum intuitu nostri, qui hoc abs te studiose petimus, ut tamen tuæ Majestati convenire arbitremur, esse clementem adversus quidem omnes, sed præsertim eos qui abs te cives tui creati, & in numero tuorum habiti sunt, ex quibus est omnis Saulorum familia, quæ non magis Genuensis naturaliter, quam tuo beneficio Gallica facta est, & est omnis tibi dedita. Denique Majestas tua, si hunc liberum nobis, & salvum condonaverit rem nobis gratissimam faciet. Romæ 1514, anno secundo.

Leo X. Sadoletus.

XXII. CARDINALI SEDUNENSI.

DIlecte Fili noster. Amavimus semper dilectos Filios Galeatium, & Antonium Mariam, eorumque Fratres de Pallavicinis,

totamque illam domum & familiam, tum propter splendorem generis, hominumque virtutem, quod ipsi inter primos Italiæ ornatissimi, ac in rebus gerendis strenui semper existimati sunt; tum vero quod nos ipsos etiam ante constitutos in minoribus, domumque nostram non mediocri benevolentia sunt prosequuti. Accessit ad illum amorem pristinum, etiam affinitas nobis cum ipsis Pallavicinis per nostros conjunctissimos contracta, quod vinculum benevolentiæ etiam alienas voluntates conciliare ad conspirationem amoris atque amicitiæ solet, veteres autem amicitias arctiore nodo adstringere. Quare, si hæ causæ graves ad illos fovendos, & a nobis nostra ope, ac patrocinio complectendos tuæ Circumspectioni videri debent, potes etiam existimare, quo animi studio petere a te instituerimus, ut illos omnibus eorum in rebus, ac negotiis, quæ non modo commodum illorum, sed honestatem etiam, dignitatemque familiæ attingant, habere velis commendatissimos. Quod, ut nobis postulantibus sedulo ac libenter tribuas, confidimus, nos quidem in tua egregia erga nos maximis in rebus perspecta voluntate meritisque singularibus, quæ tu pro tui animi virtute, atque constantia velle augere quotidie debes; sed tamen arbitramur amplitudini quoque tuæ convenire, habere in fide & clientela tam illustrem familiam, quæ quali studio te sibi propitium, & propugnatorem adoptat, tali animo sese, opus, vires, ornamentaque sua omnia tam dignitatis quam fortunæ tuis honoribus commodis, temporibus offert, ac pollicetur. Nos quidem qui

tuam

tuam erga illos inclinatam, & propitiam voluntatem, & studiose petimus, & concupiscimus vehementer, affirmamus Circumspectioni tuæ, te quid in illos studii, operæ, liberalitatisque tuæ contuleris, in hominibus gratissimis tibique deditissimis positurum, futurumque id tibi non modo honori, sed etiam commodo, ac jucunditati; nobis vero rem ita gratam facturum, ut ad multa tua & præclara erga nos officia hoc in primis charum, & jucundum simus habituri. Datum Romæ 1514.

Leo X. Sadoletus.

XXIII. MUTINENSIBUS.

Dilecti Filii. Multis nunciantibus, sed præcipue dilecto filio Fabiano de Lippis Juris utriusque doctore, Commissario nostro ad nos scribente cognovimus; vos singulari quodam studio, & amore status Ecclesiastici incitatos egregiam operam navasse, ut istius nostræ civitatis nobis charissimæ possessio, quam nonnullorum fraus ac improbitas tergiversando impediebat, a nostris facilius acciperetur: quod fuit nobis admodum gratum. Nam cum civitatem ipsam nostro, & S. R. E. imperio accessisse optabile nobis est, tum vestram tantam hujus rei voluntatem, & studia flagrantia erga dignitatem nostram prospexisse etiam jucundius. Quamquam quid Sedis Apostolicæ causa vos semper volueritis, nos non latet. Commendamus itaque in Domino devotionem vestram, & hortamur, ut perseverare in eodem animo studioque velitis, detisque operam pro vestra parte, ut illa civitas a

nobis, quemadmodum optamus & cupimus, pacifice, & recte gubernari possit; nos enim pro nostra erga vos paterna charitate sumus curaturi, ut tam benemeritis de nostra dignitate civibus, omnia a nobis cum Domino & justitia, jucunda, & commoda procedant; quod ita intelligetis, ut vos, nec status Ecclesiastici, nec nostræ erga vos voluntatis pœniteat. Datum Romæ 1514.

Leo X. Sadoletus.

XXIV. Leo Papa X.

(*Ex Commentariis Matthæi Castilionei p.122.*)

Dilecte fili, salutem, & Apostolicam benedictionem. Nihil est in hoc honore ad quem impares meritis, divina providentia vocati fuimus, quod nobis gratius aut magis jucundum accidere possit, quam esse quandoque apud nos præmia fortibus & bonis & præstantibus viris constituta: fit autem hoc idem jucundissimum, cum illæ quæ nos invitant ad liberalitatem caussæ ita consentiunt, ut ad peculiarem sensum benevolentiæ nostræ, communis quoque utilitatis ratio accedat, ut uno, atque eodem facto, & præmium spectatæ virtuti, & speratæ exempli imitationem proponamus. Cum itaque te etiam antea in minoribus cognoverimus ipsi, egregie ornatum eis dotibus, quæ ad præstantem virum efficiendum accommodatæ sunt, cum genere natus honestissimo, & litterarum studiis antecellas, & bellica ex laude non mediocre nomen sis consecutus, quodque ante omnia nos movet, singulari erga nos & Sanctam Sedem

Apoſtolicam fueris voluntate atque obſervantia, dignitatis & meritorum tuorum rationem habere volentes, Nubilariæ caſtrum agri Piſaurienſis, nobis & S. Romanæ Eccleſiæ directi dominii jure ſubiectum, quod dilectus filius nobilis vir Franciſcus Maria de Ruvere, Dux Urbini, Almæ Urbis noſtræ Præfectus, S. Rom. Eccleſiæ Generalis Capitaneus noſter, in dicta civitate perpetuus Vicarius, tibi, liberis, poſteriſque tuis maſculis, qui ex te legitime orientur, cum arcibus, hominibus, juribuſque omnibus ejuſdem, in fidei tuæ præmium, & ſuæ benevolentiæ teſtimonium tradidit, & titulo irrevocabilis inter vivos donationis conceſſit, ſicut in dicti Ducis litteris uberius continetur, tibi tenore præſentium litterarum confirmamus; eamque ipſam donationem tam in univerſum, quam partes omnes, & ſingula in ea contenta approbamus, Apoſtolicæque noſtræ confirmationis, atque approbationis robore communimus; ſupplentes omnes defectus tam juris, quam facti, ſi qui forſitan interveniſſent in eadem: nec non quatenus opus ſit, Caſtrum ſupradictum cum omnibus juribus, arcibus, bonis, & pertinentiis, ac vaſallis ſuis, meroque & mixto imperio, & omnimoda juriſdictione, ac gladii poteſtate tibi, liberis, poſteriſque tuis maſculis, qui ex te legitime orientur de novo concedimus, in perpetuumque condonamus: contrariis etiam, de quibus ſpecialis & expreſſa mentio, ac forſitan de verbo ad verbum habenda eſſet, non obſtantibus quibuſcumque. Volumus autem apud Ven. Fratrem R. Epiſcopum Oſtienſem Camerarium noſtrum fidelitatis ſolitum per alios feudatarios noſtros

hujusmodi præstes juramentum, quodque in die SS. Petri & Pauli in recognitionem directi dominii, quod Sedes Apostolica obtinet, Cameræ nostræ Apostolicæ cereum unum e cera candida libræ unius annuum censum, tu & successores tui prædicti in perpetuum persolvatis. Datum in Villa nostra Manliana sub annulo Piscatoris die vigesima secunda Maii millesimo quingentesimo quartodecimo, Pontificatus nostri anno secundo.

Jac. Sadoletus.

A tergo. Dilecto Filio Balthassari Castilioneo Castri Nubilariæ Domino.

XXV. JACOBO SABELLO.

Dilecte Fili. Quod, & virtus tua, & genus pollicentur, te in honore sanctæ Matris Ecclesiæ, ac nostro, ubi opus fuerit, defendendo egregiam fidem, & fortitudinem præbiturum; idcirco Præfecturam equitum septuaginta cum titulis, & præeminentiis dari consuetis, tenore præsentium concedimus, atque te cum eo ipso equitum numero ad nostra, & ejusdem Ecclesiæ stipendia conducimus, cum aliisque nostris Præfectis, & Ductoribus equitum annumeramus, te in Domino hortantes, ut fide, & virtute tua promereri studeas, quo nostra erga te liberalitas his terminis contenta esse non possit: volumus autem quod hujusmodi Præfecturæ tuæ tempus a data præsentium inchoare intelligatur. Datum Romæ Julii XI. 1514.

Leo X. Sadoletus.

XXVI. TROI-

XXVI. Troilo Sabello.

Dilecte Fili. Venit ad aures nostras, te una cum quibusdam aliis ea agere, & moliri parantem, quæ minime sunt æqua; statum civitatis Senæ, & dilecti filii Burgesii Petruccii, ac illius Reipublicæ pacem, & quietem perturbare velle; quod nequaquam credere possumus. Hujus enim pravi consilii nullam videmus esse rationem; nec vere quicquam est hoc tempore, quod gravius, & molestius accidere possit. Quamobrem primum quidem optamus falsa esse ea, quæ ad nos de te sunt perlata; sin autem in ea cogitatione, & apparatu verseris, denunciamus tibi, nos ea acturos per quæ hujus te consilii pœniteat. Nam cum dictam civitatem, & Burgesium ipsum in nostra fide, & cura habeamus, honoris nostri potius, quam alienæ temeritatis ducemus rationem. Te monemus igitur, sub pœna acris indignationis nostræ, tibique mandamus, ut hac cura, & apparatione omnino desistas. Datum Romæ 1514.

Leo X. Sadoletus.

XXVII. Laurentio de Medicis.

Dilecte Fili. Moleste admodum, & graviter ferimus, si modo, quod non credimus, vera sunt, quæ nunciantur, dilectos filios Troilum Sabellum, & Ludovicum Comitem Petiliani conspirantes cum exulibus Senæ, eum qui nunc est istius Reipublicæ statum velle perturbare. Cum autem Rempublicam illam, & dilectum filium Burgesium Petruc-

truccium in nostra fide habeamus, existimemusque, non solum honori nostro conducere, sed etiam utilitati istius Reipublicæ & civitatis Florentinæ nobis patriæ charissimæ conferre, habere finitimos amicitia, & benevolentia conjunctos; idcirco Nobilitatem tuam summopere hortamur, ut omni studio, atque opera intervenire velis, quo dilectissimi filii Priores libertatis Florentinæ Reipublicæ, ceterique Magistratus, quorum hæc cura erit efficere, velint, quo Senensis civitas, & is status, qui nunc est, incolumis & illæsus conservetur, omnibusque subsidiis etiam militum, & armorum, si opus fuerit, defendatur; in quo Nobilitas tua rem faciet se dignam, nobisque admodum gratam. Anno sec. 1514.

Leo X. Sadoletus.

XXVIII. Cardinali S. Sabinæ.

Dilecte Fili. Dudum cupientes, ut dil. fil. Elzeario Genesio familiari nostro, ac capellæ nostræ Magistro, de Canonicatu, & Præbenda Ecclesiæ tuæ Bajocensis providere posses, tibi ut de Canonicatu, & Præbenda hujusmodi, quæ tunc post unius mensis spatium vacare contingeret, juxta illius, olim Pont. fel. rec. Gregorii VIII. Prædecessoris nostri ad tunc Episcopum Novionensem directæ, quæ incipit, *Mandatum*, & aliarum duarum illam immediate sequentium Decretalium formas provideres, per alias nostras litteras mandavimus, prout in illis plenius continetur; cumque postea non absque admiratione acceperimus nonnullos Canonicatus, &

Præ-

Præbendas Ecclesiæ tuæ vacasse, quæ præfato Elzeario juxta tenorem earum litterarum conferre non curasti; hortamur te, ut intuitu nostro, qui præfatum Elzearium, propter ipsius virtutes, & nobis assidue impensa servitia non mediocri prosequimur amore, de Canonicatu & Præbenda hujusmodi providere cures: quod erit nobis gratissimum, & majori erga te, cum occasio fuerit, liberalitate compensandum. 1514.

Sadoletus.

XXIX. Episcopo Verulano.

Venerabilis Frater. Concessimus dilecto filio nostro de Pistoris, qui istic tecum negotia, & commissa gerebat, ut ratione valetudinis, qua affectus est, redire suo arbitrio posset. Cum autem de Fraternitate tua eamdem, quam prius, fiduciam in Domino habeamus; volumus, ut tu optimo animo, & alacri studio nostras & hujus sanctæ Sedis apud dilectos filios Helvetios res gerere, & tractare non desistas, in omnibusque dilecto filio nostro Julio Cardinali de Medicis, & dilectis item filiis nostris secundum carnem fratribus, eorumque litteris, & informationibus obedias, & quæ ipsi tibi denunciabunt exequaris, dareque perseveres diligentem operam, ut dicti Helvetii nostram erga eos optimam voluntatem, & paternam dilectionem in dies cognoscant. Datum Romæ 1514.

Leo X. Sadoletus.

XXX. Ludovico de Franco.

Dilecte Fili. Mirati admodum ſumus, te, qui noſter, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubditus exiſtis, ac dilecto filio nobili viro Franciſco Marchioni Mantuæ deſervis, relicto eo ad cujus latus honeſtius adhærebas, ac nullo reſpectu ad nos & Sedem Apoſtolicam habito, eo animo adveniſſe, ut quietem, ac tranquillitatem civitatis noſtræ Firmanæ perturbare coneris: ſi modo ea vera ſunt, quæ nobis de te nunciantur. Quod cum nos permiſſuri nullo modo ſimus, neque velimus pacificum ſtatum illius civitatis turbari, aut carere domo quemquam, & propria ſatisfactione, niſi auctoritas noſtra, & culpa demerentis intercesserit; monemus te, ut hoc conſilio, atque hac opera deſiſtas. Quod ſi tibi injuriam aliquam factam, aut te ulla re violatum eſſe putas, ſi nobis ſignificaveris, ea remedia adhibebimus, quæ tibi, & incolumitati tuæ fuerint opportuna: ſin autem ulterius, quod non credimus, tumultus ac turbas concitare proceſſeris, erit nobis neceſſe id agere, quo te hujus temeritatis pœniteat. Datum Romæ 1514.

Leo X. Sadoletus.

XXXI. Oratori Florentino in Gallia.

Dilecte Fili. Quo ſtudio ſcribamus ad chariſſimum Ludovicum Regem Francorum Chriſtianiſſimum, ut Majeſtas ſua favere dilecto filio noſtro Ludovico Cardinali Sanctorum Quatuor, & ejus Procuratori in apprehendenda

denda possessione Ecclesiæ Venetensis velit, ex intercluso nostrarum litterarum exemplo poteris cognoscere. Cum autem ipsum Cardinalem singulari nostra dilectione merito prosequamur, resque ipsius non secus ac nostras cordi habeamus, devotionem tuam hortamur in Domino, petimusque instanter, ut omni studio, ac diligentia dare operam apud præfatum Regem velis, quo dictus Cardinalis sui justi desiderii compos efficiatur; sicut ex litterarum nostrarum ad eum missarum copia poteris instrui: erit hoc nobis gratissimum. Datum Romæ 1514.

Leo X. Sadoletus.

XXXII. Episcopo Parisiensi.

VEnerabilis Frater. Nota sunt Fraternitati tuæ virtutes, ac merita dilecti filii nostri Ludovici Cardinalis Sanctorum Quatuor, quibusque nos illum plurimis, ac justissimis causis adducti impensius in Domino diligamus. Cum igitur cupiamus eum Ecclesiæ Venetensi, cui de ipsius persona per nos fuit provisum, favente Rege, consequi liberam, & expeditam possessionem; Oratoresque præfati Regis apud nos existentes, Majestatem suam contentam esse, assensumque præstitisse dicant, unum est adhuc, quod deesse videtur, videlicet, ut Rex ipse regias suas litteras ad Consiliarios Ducatus Britanniæ mittat, eosque moneat, ut Procuratori dicti Cardinalis opem, & operam in apprehendenda possessione præbeant opportunam. Cum autem intelligamus quanta sit authoritas tua apud ipsum Regem, & quantum tu ipsius Lud.

Card.

Card. causa, qui Fraternitati tuæ studiosus admodum, & benevolus est, debeas, eamdem Fraternitatem tuam hortamur in Domino, ut sua prudentia, & apud ipsum Regem dexteritate efficere velit, quo & ipsius Ludovici Cardinalis justo desiderio, & nostris intercessionibus satisfiat; quod erit, & Fraternitatis tuæ bonitate, & prudentia dignum, & nobis valde gratum. 1514.

Leo X. Sadoletus.

XXXIII. IMPERATORI.

CHarifs. &c. Majestatis tuæ litteræ scriptæ humanissime, quibus dilectos filios nobis secundum carnem affines, fratres Malaspinos per te restitutos in fraternum & familiare feudum, ac, quod potius multo est, in gratiam tuam, nobis significasti, gratissimæ nobis fuerunt. Nam cum eorum commodum, quos charos, & acceptos habemus, tum vero nobis quidem non incognitam, sed jucundam tamen summam, ac singularem clementiam Imperatoriæ Majestatis tuæ in se continebant; ob quam gratias agimus Serenitati tuæ quas possumus magnas. Etsi enim gratum nobis admodum est, nostros affines, & domesticam utilitatem, & Principis sui obtinere benevolentiam; tamen quia ita aperte prætefers, id te dare illorum quidem fidelitati & virtuti; sed etiam magis auctoritati & intercessioni nostræ; videtur nobis hoc beneficium directe abs te erga nosmetipsos proficisci. Quare illi quidem tuo nomini, & imperio devoti semper futuri sunt; habent enim causas, & plurimas, & maximas: sed quod ad nos pertinet, quibus

bus Majestas tua etiam eos, qui sese rei Ecclesiasticæ dediderunt, affines nostros commendat; nos ad eam voluntatem, quam erga ipsos habemus, dabimus operam, ut Majestatis tuæ commendatio magnum momentum attulisse videatur; quod data opportunitate cognoscent. Datum Romæ x. Septembris 1514. Anno secundo.

Leo X. Sadoletus.

XXXIV. REGI SCOTIÆ.

CHarissime in Christo Fili noster: Ex litteris tuis quinta Octobris datis cognovimus, Celsitudinem tuam de suorum omnium Procerum consensu ad regni regimen evectam & in solio regali stabilitam fuisse, accedente ad id quoque charifs. in Christo fil. nost. Henrici Angliæ Regis Fidei defensoris avunculi tui auxilio, quem nos semper cupidum status, & amplitudinis tuæ agnovimus; quod nobis auditu perjucundum fuit. Nam cum tuæ favemus dignitati, quam justam & debitam in te, Majorum quoque tuorum præclaris virtutibus, & erga hanc sanctam Sedem officiis responsuram non dubitamus; tum gaudemus omni nomine pacis atque concordiæ, cujus fundamenta inter duo ista regna Angliæ & Scotiæ jam esse jacta, & firmata jucundo accepimus nuncio. Utinam ea quoque in universa reliqua Christianitate constitui, & componi posset; in quo nos equidem ita laboramus, ut neque diurnæ quietis partem ullam, neque nocturnæ capiamus. Sed adhuc durioribus animis bellantium, nostris consiliis, & paternis monitionibus non est obtemperatum:

pro

pro quo, ut Deus, & Dominus noster sua cælesti providentia actionibus nostris tendentibus ad pacem favere dignetur, tuæ quoque Celsitudinis est, & orare eum, & orandum ceteris tuis omnibus mandare. De te vero, quanquam existimemus, tua sponte recte, ac juste acturum omnia, innixum cum præstanti natura tua, tum ejusdem avunculi tui Angliæ regis prudentissimi consiliis; tamen nostrum quoque est, monere, atque hortari, ut in hoc regni tui primordio gratus primum illi summo Regi, & regnorum omnium largitori Deo studeas esse; deinde te ita temperate geras, ut justitiam tuam, necnon in meritos beneficentiam omnes intelligant; pacemque in primis retineas, sine qua nihil stabile & tutum tenere potes. De tuis vero, & Majorum tuorum quæ ad nos perscribis privilegiis, nihil sumus, nisi quod erit rectum & debitum, facturi; & cum in illis conservandis; tum in ceteris omnibus, ad status tui firmitatem pertinentibus ita acturi, ut Celsitudo tua intelligat, curæ nobis esse & salutem, & dignitatem tuam. Datum Romæ die XXIII. Novembris 1514.

Leo X. Sadoletus.

XXXV. In Scotiam.

CHarissima in Christo filia nostra, & dilecti filii. Accepimus per manus dilecti filii Thomæ Nudiæ Notarii, & Cubicularii nostri vestras litteras XXII. die Junii proxime datas, quibus nobis, & Sedi Apostolicæ supplicatis, ut, servatis Majorum vestrorum privilegiis (quod felic. memor. Romanos Pontifices prædecef-

decessores nostros fecisse, & nos pollicitos esse, affirmatis) Ecclesiam Sancti Andreæ, ac reliquas deinceps Ecclesias, ex petitione, & postulatione vestra, in personas vestris litteris comprehensas transferre, & nominationes vestras admittere vellemus; inque ea re, & vestræ & totius regni saluti commoditatique consulere. Quibus nos litteris respondemus; nos ab initio nostri Pontificatus, cum eam personam a Deo nobis impositam suscepissemus, ut tanquam communis, & universalis omnium fidelium pater curam salutis filiorum nostrorum gereremus, spectasse semper, & cogitasse, quonam modo maxime illius regni commodis, & utilitati consuleremus. Admonebat autem nos, & ad peculiarem quandam, erga vestram nationem, benevolentiam incitabat virtus, & pietas, & in hanc sanctissimam Sedem Fidemque Christi universam, claræ memoriæ Jacobi Regis quondam vestri voluntas, ac observantia, quem & nos vivum patrio amore dileximus, & defunctum sumus pio dolore, & misericordia prosecuti. Cum autem is, sicut Deo placuit, excessisset rebus humanis, ac mox Ecclesia S. Andreæ vacavisset, existimavimus, cum eam dilecto filio nostro Innocentio Sanctorum Cosmæ & Damiani Diacono Cardinali, nostro secundum carnem nepoti commendaremus, futurum illud vinculum quoddam majoris conjunctionis inter nos, & vestram nobis dilectam & charam nationem, quo ad majorem erga vos benevolentiam suscipiendam incitaremur; sicut nos ad vos tum scripsisse recordari potestis. Sed illius provisionis, & commendationis nostræ effectu circa possessionem non secuto, cum intelli-

telligere nobis videremur, vos malle dictam, & alias istius regni Ecclesias vestræ nationis hominibus conferri, vertimus curam, ut ea in re, & desiderio vestro, & honori Sedis Apostolicæ consuleremus, qui bene de se meritis, gratam se, & beneficam solet exhibere; nec diu tamen cogitandum nobis fuit, quin Venerabilem Fratrem Andream Archiepiscopum tunc Bituricensem hoc honore dignum statueremus; cum præsertim ad illius dignitatem, & merita, multa accederent extrinsecus adjumenta, quæ nobis id maxime suaderent. Nam & quanto amore illum Rex vester defunctus, ob fidem, & integritatem in eo cognitam, semper dilexerit, in memoria habuimus (ejus autem Regis judicium, & voluntas magni a vobis fieri debet) & quia de ejusdem Andreæ Archiepisc. prudentia, & virtute conscii eramus, sciebamusque quantum ille pro communi pace, & bono Sedis Apostolicæ laborasset, aliquam gratiam per nos, & Sedem Apostolicam illi debere fatebamur. Tertio cum hominem vestræ nationis vestris Ecclesiis, & Prælatis præficiendum esse videremus, non habuimus hominem, qui & sua virtute potior, & nobis gratior, & vestro isti regno, ac nationi utilior esse possit. Quin pro amore erga vos, & illam patriam nostro; ut ad eam longe a nobis sitam benevolentia, & beneficiis propius accederemus, præter dictam Ecclesiam S. Andreæ, & alia Monasteria, quæ præfato Archiepiscopo contulimus, etiam nostrum de latere Legatum in isto regno Scotiæ eum creavimus cum iis facultatibus, quas vobis proficuas, & salutares fore ob spirituales gratias, & emundationes vestrarum conscientiarum

tiarum non dubitamus. Atque hæc omnia egimus de Ven. Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium conſenſu, & conſilio, in quibus ſi ex veſtra natione aliquis promovendus fuit; hic, præterquamquod veſter eſt, & veſtra ex natione, nobis quoque & Sedi Apoſtolicæ gratiſſimus ſemper fuit. Si fides quæſita eſt, hic ſicut Regi veſtro defuncto uſque ad mortem fideliſſimus extitit, ita vobis ſummam fidem præbiturus eſt; ſi iſtius regni utilitas ſpectata, habere non poteſtis hominem uſu, & experientia rerum, & gratia, & auctoritate ſua vobis & ibi in regno, & hic in curia ad veſtra commoda procuranda utiliorem. Quare ſi hæ cauſæ & rationes vobis, ut ſunt, etiam juſtæ videntur, & ſi intelligitis in his omnibus perficiendis illius regni honorem, & commodum nobis ante oculos fuiſſe propoſitum, debetis etiam vos, pro veſtra perpetua in ſanctam Sedem Apoſtolicam reverentia, noſtris, & ejuſdem Sedis ſanctis, & bene conſultis deliberationibus acquieſcere. Ac nos quidem, & hoc fecimus, ut dictas Prælatias ab hominibus veſtræ nationis non amoveremus; & in futurum, ſi veſtram voluntatem ad noſtram in hoc negotio conformabitis, oſtendemus vobis, magnæ curæ eſſe nobis, non ſolum ſervare privilegia veſtra, ſed majoribus in dies donis veſtram nationem honorare. Et hæc quidem translatio, & promotio noſtra præfati Archiepiſcopi ante erat in Conſiſtorio noſtro facta, quam nos veſtras litteras accepimus: ſed etſi integrum nobis fuiſſet, non potuiſſemus melius, & ex judicio noſtro, & ex utilitate veſtra providere; & cum jam res bis mutata ſit, pro honeſtate, & gravitate Sedis Apo-
ſtolicæ,

ſtolicæ, turpis jam eſſet alia permutatio. Itaque in hac ſententia perſiſtimus, ut bene per nos vobis conſultum, voſque gratulari potius ob hanc proviſionem noſtram, quam eam labefactare debere judicemus. Eos autem Prælatos, quos nobis nominatis, homines digniſſimos eſſe arbitramur: ſed, quod nunc non poſſumus, aliis occaſionibus libentiſſime ſumus facturi, ut eos, quibus Dominus dederit, muneribus illuſtremus. Nunc te hortamur chariſſima in Chriſto filia, & devotiones veſtras dilecti filii, in virtute illius ſanctæ obedientiæ, quæ cælum credentibus aperit, ut proviſionem Apoſtolicam de perſona præfati Archiepiſcopi factam libenter admittere, & acceptare velitis: in quo & rem Deo acceptam, & nobis gratiſſimam facietis, & magis etiam in poſterum noſtram erga vos paternam & ſingularem benevolentiam cognoſcetis. Sed de his latius ad vos ſupradictus Thomas de mandato noſtro referet, cui fidem indubitatam habebitis. Datum Romæ VIII. Decembris 1514.

Leo X. Sadoletus.

XXXVI. Regi Francorum.

Chariſſime. Etſi obitu claræ memoriæ Ludovici, tui nuper Prædeceſſoris audito, non mediocrem animi dolorem concepimus, quod magnum Regem, & nobis, ac Sedi Apoſtolicæ, præſertim extremis his temporibus, amiciſſimum judicabamus amiſiſſe; tamen, cum eſſet ad nos perlatum Majeſtatem tuam continuo, ut quidem decebat, ſumma omnium lætitia, & voluntate ad regale ſolium evectam fuiſſe,

fuisse, nova gratulatione mitigavimus dolorem. Itaque commoti nostra erga te paterna benevolentia & charitate, quam etiam, cum tu esses in minoribus, susceptam, magnis & mutuis inter nos officiis nos aucturos speramus, has ad tuam Majestatem litteras direximus, nuncias cum nostræ ex tua amplitudine susceptæ lætitiæ, tum singularis erga te studii, & amoris. Nos te, charissime fili, semper judicavimus cum ceteris virtutibus omnibus, quæ magno Principi conveniant, ornatum, tum præcipua quadam præditum erga summum Deum pietate, in illius sanctam Fidem, & Romanam ac universalem Ecclesiam religione & observantia; cujus quidem rei egregiam alias laudem, nunc maximum ab ipso Deo præmium es consecutus, cum ejus recens in te tantum beneficium possis agnoscere. Eo enim auctore, & largitore, Reges, & Principes nationum constituuntur, quos tam præclaro munere devinctos, ad referendam Deo gratiam, & illius sanctissimam propagandam fidem, omnis & diurna, & nocturna cura debet excitare. Hac igitur de te spe, & opinione imbuti, gratias agimus primum Deo, deinde tuæ Majestati gratulamur, omni affectu & amore hanc dignitatem tuam complectentes, quam non solum optamus, sed etiam speramus toti Christianæ Reipublicæ fore salutarem; nobis vero, qui te in nostræ visceribus charitatis gerimus, ac Sedi Apostolicæ, quæ in te filio suo primogenito acquiescit, jucundam etiam, & honorificam. Illud certe Majestatem tuam pro nostra affectione paterna breviter admonendam putamus, ut consideratis secum diligentius superiorum

temporum, & rerum eventibus, nullam actionem velit putare, nisi quæ cum Deo, ac pietate, & cum Christianæ Fidei commodo conjuncta sit, dignam Christianissimi Regis aut virtute, aut nomine: cum cetera, quæ ab hoc fine, consilia aberrant, & plena semper sint ingratæ sollicitudinis, & eventus plerumque non habeant secundos. Quamquam hæc tu, Deo inspirante, tua prudentia diligentius cogitabis. Nos nostri erga te amoris fiducia parem nobis tuam voluntatem repromittentes, hac primo in re abs te cupimus nobis satisfieri, ut de Ecclesia Narbonensi (quemadmodum nos destinavimus, & sicut ad claræ memoriæ Prædecessorem tuum scripseramus) velit Majestas tua libenter assentiri, ut dilecto filio nostro Julio Cardinali de Medicis provideamus; cum præsertim Prædecessor tuus recompensam Ecclesiæ Albiensis ei pollicitus, Vaurensem obtulisset, dictusque Cardinalis neutram sit assecutus, & utrumque illarum cedere in tuam gratiam sit paratus. Cujus quidem Cardinalis tum virtus, & integritas, tum erga Majestatem, & ipsius statum observantia, & affectio digna est, quæ hanc suam erga se cognoscat liberalitatem; nobis quidem, qui eum & pro suis summis virtutibus, & pro consanguinitate ipsa vehementer amamus, Majestas tua faciet rem gratissimam, cui perpetuam gratiam debebimus. Die XXI. Jun. MDXV. Anno secundo.

XXXVII. Epi-

XXXVII. EPISCOPO VESPRIMIENSI. *Baroni Croatiæ.*

VEnerabilis Frater. Retulit nobis Venerab. Frater Episcopus Octociensis Prælatus noster domesticus, Fraternitatem tuam in his periculis, & terroribus, quæ a perfidissimis Turcis, & patriæ tuæ, & universæ fidei Christianæ imminebant, ea opera gessisse, quæ & persona tua, & eo sacerdotii honore, quem geris, fuerunt dignissima. Sic enim intelleximus, tuis consiliis diligentiaque tua maxime effectum, ut res Christiana bene, & feliciter gereretur. Visum igitur nobis est, cum te de præteritis tuis laboribus commendare in Domino, tum ad futuros adhortari, ut in eodem perseveres, bene de Deo nostro, deque Fide Catholica promerendo, & studio, & voluntate; cui rei, etsi magna in cœlo præmia ab omnipotente Deo proposita sunt, tamen nos quoque quantum in Domino poterimus, tuo honori, & commodis indulgebimus. Quo vero meliore animo, qui tecum in Turcas militabunt obire pericula pro Deo possint, tibi ac omnibus tecum in Turcas arma capientibus, de Dei omnipotentis, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam elargimur, promittentes, si eos in bello tam pio obire contigerit, paratam illis fore gloriam cum Beatis sempiternam. Supradictum autem Episcopum, quem ob nostra negotia in eas partes mittimus, Fraternitatem tuam hortamur, ut studiose adjuvare velit, & ei de omni op-

portuno auxilio adesse. Datum Romæ die 1. Novembris 1515.

Leo X. Sadoletus.

XXXVIII. Comiti Joanni Corbariæ.

Dilecte Fili. Virtus tua, & animus in iis rebus excelsus & eminens, quæ ad verum honorem & Dei & tuum maxime pertinent, facit, ut te singulari in Domino benevolentia, & charitate complectamur. Quare & munera tua ad nos missa gratissimo animo accepimus, & de iis & tibi, & Deo nostro omnipotenti gratiam habemus, quam maximam possumus. Ac aliorum sæpe munerum pretia, aurum, & divitiæ faciunt; tua autem munera ob tuam virtutem pretiosiora fuerunt. Gratiam autem aliquam referre volentes, mandavimus Ven. Fratri Episcopo Octociensi Prælato nostro domestico, quem ad pecunias in iis locis ob fabricam B. Petri exactas ad nos comportandas mittimus, ut Nobilitati tuæ ex iis pecuniis DC. Ducatus auri condonaret, ut ea tua castra munires, quæ in finibus prope impios hostes sunt posita: atque etiam, ut de spiritualibus donis te honoremus, harum litterarum tenore, & Nobilitati tuæ, & eis omnibus, qui tecum una contra Turcas arma capient, adversusque eos pro fidei tutela belligerabunt, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, Dei omnipotentis, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi elargimur. Datum Romæ, *ut supra*.

Leo X. Sadoletus.

XXXIX. Gu-

XXXIX. GUBERNATORI URBIS.

VEnerabil. Frater. Commiſimus ſuperioribus diebus Venerabili Fratri noſtro F. Epiſcopo Tiburtino in alma Urbe noſtra, noſtro & Sedis Apoſtolicæ Legato, ut cum Fraternitate tua ageret, quo in cauſa dilecti filii Laurentii Craſſi Canonici Lateranenſis Venerabilem item Fratrem almæ urbis noſtræ Vicarium adjunctum haberes, ut cum eo pariter procederes: quod factum non eſſe miramur. Quare cum noſtræ conſtantis intentionis ſit, ut ambo ſimul, ac neuter ſeorſum cauſam eam cognoſcatis, mandamus tibi, & expreſſe præcipimus, ut juxta tenorem ſupradictarum litterarum noſtrarum præfato Legato directarum, adjuncto tecum Vicario noſtro, procedas juſque facias, non obſtantibus quibuſcumque. Datum Bononiæ XVIII. Decembris 1515.

Leo X. Sadoletus.

XL. CARDINALI EBORACENSI.

DIlecte Fili. Mittimus ad Cir. tuam exemplum litterarum, ad filium Regem chariſſimum, de congreſſu cum chariſſimo in Chriſto filio noſtro Franciſco Rege Francorum Chriſtianiſſimo per nos habito, deque deliberationibus noſtris ſcriptarum; in quibus, cum magna ſpe nobis oblata ſanctiſſimarum in Turcas expeditionum, ipſius Majeſtatem enixe adhortamur, ut ſuſcipere patrocinium pro parte ſua Chriſtianæ fidei velit; ſicut alias nobis benigniſſime pollicitus eſt. Tuam ergo

Circ. in cujus virtute, & erga nos benevolentia magnam ſpem hujus præclariſſimi operis perficiendi locavimus, ſummo ſtudio requirimus, & hortamur, ut, ſi unquam alias nobis rem gratiſſimam fecit aut factura eſt, & ſi Dei cauſa, & ſanctæ Matris Eccleſiæ, in qua ipſe tantam dignitatem obtinet, ſibi elaborandum eſſe putat; nunc illius Regis mentem, animum, ſtudium, voluntatem, opeſque, quibus abundat, virtutem, magnitudinem animi, qua ſumma præditus eſt, & omnibus aliis curis, & cogitationibus ad tam præclarum, & ſanctum opus revocare diligentia, auctoritate, precibuſque contendat, & denique efficere, ut nos hujus optimi, & ardentiſſimi deſiderii compotes efficiamur. Res longam orationem deſiderat, ſed noſter paternus amor erga te, & tua erga nos obſervantia paucis contenta eſt. Dedimus autem in mandatis Ven. Fr. Sil. Epiſcopo Unigorinenſi iſtius Regiæ Majeſtatis apud nos Oratori; ut ad tuam Circ. pleniſſime perſcriberet, cujus litteris fidem habebis. Nos, iterum enim repetemus, ſi tuum ſtudium in hac voluntate noſtra nobis reſpondere cognoverimus; quemadmodum tamen certe expectamus, omnem noſtram ſpem, & opinionem virtutis tuæ cumulatiſſime expletam reputabimus, tuæque Circ. hoc immortale officium in animo ſemper conſervabimus. Datum Bonon.

Sadoletus.

LXV. Do-

XLI. DOMINÆ ENGOLISMENSI.

Dilecta in Christo Filia. Etsi certi sumus, famam ipsam, quæ malarum præcipue rerum velox & festina est, ad ceteros tuos omnium rerum labores, gravem etiam nuncium de periculis Ungariæ ad paucos dies tibi allaturam..... Sed in tuam Nobilitatem in primis oculi, & mens nostra conversa est. Scimus enim, & novimus virtutem & Religionem tuam, quæ in difficilibus, & duris rebus exercitata, nusquam tamen a Deo pietateque deflexit, meritaque est, ut lætiore jam vultu divina benignitas res tuas respiciat. Nec tu certe hoc tempore ullum sacrificium sanctius, ullum obsequium gratius potes offerre, quam ostendere re, & factis, illius fidem sanctumque nomen, ne ab impuris violetur, maximæ esse curæ. Ac cernimus quidem ipsi, atque etiam a te, & isto inclyto opulentoque regno expectandum est, filia charissima, ut partem oneris in Religione Christi adjuvanda, & populis ab interitu fidelibus vindicandis, prompto, & alacri vultu suscipiatis; quo idem Deus omnipotens pristinam nobis felicitatem, id quod facturum confidimus, referat. Et quidem his ipsis diebus venerant rumores de pace satis constantes, quæ inter Cæsarem, & Christianissimum filium tuum conciliata diceretur, cujus optatissimi nuncii voluptas, si ut speramus, vera est (nam ad nos litteræ nullæ adhuc erant missæ) in ipso temporis articulo publicata erexit omnium mentes; ut cum ex una parte iracundiam, & severitatem summi Dei

metueremus; ex altera misericordiam, & benignitatem experiremur, qui in maximis periculis Christianitatis, haberet remedia suæ clementiæ tam parata. Hanc ergo pacem & concordiam inter eos, quam nos pro nostra parte semper procuravimus, atque suasimus intercessimusque apud Cæsarem pro ea tam sæpius; sive factam vehementer gratulamur; sive futuram esse non dubitamus: cujus fausto, & felici nexu, si modo nunc aliquantulum salus Ungariæ sustineatur, audemus sperare Deo freti, impium hostem, quæ consilia nunc versat, & in perniciem Ungariæ ac Christianitatis totius machinatur, ea propediem in caput suum conversa, esse sensurum: quod ut contingat, atque hujus singularis gloriæ atque virtutis maximam filius tuus, & idem noster ferat partem, eumdem Deum, misericordiæ Dominum supplices deprecamur. Datum Romæ die XI. Februarii 1516.

Leo X. Sadoletus.

XLII. Charissimo in Christo filio nostro Carolo Castellæ, et Legionis, ac Aragonum Regi illustri.

LEO PAPA X.

CHarissime in Christo fili noster, salutem & Apostolicam benedictionem. Devotionem tuam in nos & hanc sanctam Sedem Apostolicam plurimum in Domino commendamus; quod, prout litteris tuis nobis innotuit, dilectum filium Hieronymum de Frescobaldis civem & mercatorem Florentinum Com-

Commiſſarium ſuper exigendis proventibus, occaſione Indulgentiarum, pro reparatione aggerum locorum maritimorum tui temporalis dominii inferioris Germaniæ per nos conceſſarum, & decimarum in eodem dominio impoſitarum, nos & Cameram Apoſtolicam concernentibus, a nobis deputatum, ad requiſitionem noſtram, & juxta noſtrarum tibi ſuper hoc directarum litterarum tenorem libens admiſeris; quod profecto nobis gratiſſimum fuit, cum hujuſmodi proventus per eum cujus fides & probitas nobis nota eſt, ac ab eo deputandos dumtaxat exigi ſtatuerimus. Hortamur igitur Majeſtatem tuam, ut noſtra contemplatione eumdem Hieronymum nobis gratum & acceptum, ac ab eo deputandos circa hujuſmodi exactionem jugiter foveas, ac eis ſic tuo favore aſſiſtas, ut ſibi commiſſa, ſublatis quibuſvis impedimentis & perturbationibus, omnino exequi poſſint, noſque ad complacendum eidem Majeſtati tuæ in reliquis amplius invitemur. Datum Florentiæ ſub annulo Piſcatoris die 25. Februarii 1516. Pontificatus noſtri anno tertio.

XLIII. DUCI BORBONI.

DIlecte Fili. Credimus Nobilitatem tuam facere optimo animo, cum pro dilecto filio Franciſco Maria de Ruvere Urbini Duce affine ſuo apud nos intercedit, oratque ut cauſam ejus audire & cognoſcere velimus. Agnoſcimus enim, præſtare eam officium, & bonitati ſuæ, & affinitati debitum. Nos vero ejus cauſam ſtudioſe cognoſcemus, rationeſque audiemus: quæ utinam tales ſint, ut

eas nobis, salva nostra, & Sedis Apostolicæ dignitate, admittere liceat, aut saltem illatam contumeliam dissimulare. Amavimus enim semper ipsum Ducem, & sua, & Majorum suorum causa: idque multis, & magnis nostris erga illum beneficiis non destitimus declarare. Sed si nostra, & S. R. E. majestas ita aperte & graviter violata apparebit, ut nostro & ejusdem Sedis honori deesse non possimus, tunc erit & Nobilitatis tuæ, & charissimi in Christo filii nosttri Francisci Regis Francorum Christianissimi, ad propulsandam illatam nobis, & Ecclesiæ injuriam, omni vestra ope atque auxilio adesse, sicut conjunctio nostra, & vestræ religiosæ mentes postulant. Nos quidem eo animo sumus, ut hanc causam ex Deo & justitia, & non aliter terminaturi simus. Datum Florentiæ.

Leo X. Sadoletus.

XLIV. Regi Hispaniæ.

CHarissime Fili. Dilectus Filius Hieronymus de Wich tuæ Serenitatis apud nos Orator, vir & fide erga claræ memoriæ avum tuum præstans, & nobis ob virtutem, & prudentiam suam non solum charus, sed etiam maxime probatus, tuas nobis præbuit litteras 3. die Aprilis datas: atque ipse suo sermone diligentissime de tua probitate, erga nos benevolentia, in Deum Religione, multa adjunxit; ex quibus nos & litteris & sermonibus singularem quamdam & jucunditatem, & lætitiam animo concepimus, jam certius cognoscentes id., quod nos tamen tua præstanti indole, & majorum tuorum exemplo indu-

inducti semper expectavimus, te & virtute excellentem & pietate, quæ in Christiano Rege laus primaria est, eximia, ea Sedi Apostolicæ ac nobis tuæ erga nos voluntatis præbere testimonia, quæ & nostrum de te judicium non fallant, & sint tum nobis ac eidem Sedi optatissima, tum tuæ Serenitatis laudi, & nomini in primis accommodata. Etenim cum talis animus ac voluntas erga Sedem Apostolicam ipsa per se omni laude dignissima sit, cum nihil in magno Rege ad prudentiæ, & pietatis famam clarius unquam fuerit, quam habere in omni honore præcipuam sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritatem, sicut multa antiquarum rerum monumenta testantur; tum vero dubium non est, quin principibus tali virtute, & voluntate præditis, omnium actionum auspex, & fautor Deus adsit, sine cujus numine nulli unquam Reges prosperum rerum suarum cursum tenere potuerunt; quem tibi, si in hoc animo erga ipsius sponsam Ecclesiam perstiteris, non defuturum non modo speramus, sed etiam pollicemur. Paterna quidem erga te charitas nostra, etsi antea singularis & egregia semper fuit, tum tuis proximis litteris & d. Hieronymi relationibus, majorem in modum confirmata est; quam in omni occasione sumus tibi cum Deo declaraturi, sicut latius, & copiosius cum eodem Oratore tuo collocuti sumus; cui ad Serenitatem tuam nostro nomine scribenti fidem plenam adhibebis. Datum in Villa Manliana 20. Aprilis 1516. anno quarto.

Leo X. Sadoletus.

XLV. Regi Hispaniæ.

Egit nobiscum diligentissime dilectus Filius Hieronymus de Wich, Majestatis tuæ apud nos Orator, quod & tu per litteras tuas, ut Ven. Fratrem Episcopum Cameracensem hac proxime futura Domini nostri natalis festivitate crearem Cardinalem, & in amplissimi Sacerdotii honorem vocare vellemus: in quo respondimus ipsi Hieronymo Oratori tuo, quæ necessaria fuerunt, & quæ nos causæ, & quæ rationes cogant, ut differre creationes hujusmodi in aliquanto longius tempus compellamur; tuam vero Majestatem hortamur in Domino, & ab ea valde expetimus, ut æquo animo pati, & in bonam partem accipere hanc nostram cunctationem usque ad tempus tibi alias per nos promissum velit: quo tempore erit nobis curæ, concedente Altissimo; ut suæ tunc voluntati per nos largiter satisfiat, quod nos quidem semper & cupimus agere, & meditamur: de qua re tota ex litteris Oratoris præfati Majestas tua plene fiet certior, quibus fidem adhibebit. Datum &c.

Sadoletus.

XLVI. Charissimo In Christo filio nostro Henrico Regi Angliæ Illustri.

LEO PAPA X.

Charissime in Christo fili noster salutem & Apostolicam benedictionem. Alias dilecto filio, Joanne de Bois Abbate Monasterii S. Martini Tornacensis ordinis S. Benedicti, jam

jam in senecta ætate constituto de idoneo coadjutore, nobis homine gratissimo providere volentes, dilectum filium Ludovicum de Rossis, affinitate nobis arctissima conjunctum, qui nobiscum in omni varietate status nostri, adversis, secundis, angustis, amplisque rebus & studio, & fide, & benevolentia semper affuit illi in coadjutorem cum successione prædicti monasterii de ipsius consensu adjunximus & creavimus, ac deinde ipsi Joanni Abbati exemptionem & collectoriam in dicta civitate Tornacensi concessimus, prout in litteris super utraque re confectis plenius continetur. Cum autem vehementer nobis cordi sit pro nostra paterna in Ludovicum affinem nostrum charitate, quæ per nos vel consanguinitati, vel virtuti ipsius, vel perpetuis ejus erga nos meritis debetur, ut quæ tum in beneficium & commodum ipsius proprium, tum contemplatione ipsius in alterius personæ, hoc est Abbatis supradicti ornamentum & honorem data & concessa a nobismetipsis sunt, sine ullo impedimento optatum exitum consequantur; Majestatem tuam in Domino hortamur & quantopere possumus requirimus, ut ita tua regia illa benignitate eorum utrique velis, ut nostra in utrumque beneficentia & voluntas, per te non modo defensa, sed etiam cumulata videatur. Quod erit ita nobis gratum, ut expectare a Majestate tua eo in genere gratius nil possimus. Quamobrem cum & res justa sit, & persona in quam collatum beneficium, optime de nobis merita, & nos rei auctores, cujus acta tu pro Catholica voluntate tua, & in nos, Sedemque hanc Apostolicam observantia, proque item vere paterna charitate in te nostra,

rata

rata ſemper habere conſueviſti; expectamus intelligere deſiderium noſtrum nutu tuo expletum eſſe. Qua quidem expectatione ne fruſtremur, abs te etiam poſtulamus. His autem de rebus omnibus ex venerabilis fratris Epiſcopi Wingornienſis Oratoris apud nos tui litteris, cui mentem voluntatemque noſtram omnem aperuimus latius intelliges; quibus fidem ut adhibeas, Majeſtatem tuam enixe hortamur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 2. Novembr. 1516. Pontificatus noſtri anno quarto.

Jac. Sadoletus.

XLVII. Dilecto filio nostro Thomæ tituli S. Cæciliæ in Transtyberi Presbytero Cardinali Eboracensi.

Dilecte fili noſter ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Alias dilecto filio Joanni de Bois &c. ſine impedimento ullo optatum exitum conſequantur; intelligentes quantum tua auctoritas & gratia hac eis in re prodeſſe poſſit, Circ. tuam hortamur in Domino & toto animi affectu requirimus; ut quoniam quidem non dubitamus quantum cauſa noſtra velis, ita tuo favore & opera adeſſe utrique eorum ſtudeas, ut noſtra in utrumque beneficentia & voluntas per te non modo defenſa ſed etiam cumulata videatur. Quod erit ita nobis gratum & acceptum, ut tuam priſtinam & perpetuam erga nos obſervantiam ſummo amore conjunctam ſimus hoc facto recogniturі. Omnino cum honor noſter ac hujus ſanctæ Sedis in eo vertitur, ut quæ per

per nos facta sunt, inviolata permaneant; tum talis est hæc persona, ut quantum cum Deo nobis licet, ejus ornamenta & commoda tamquam nostra propria ducamus. Quamobrem, cum & res justa sit, & persona in quam collatum beneficium, optime de nobis merita, & nos rei auctores, cujus tu semper voluntatem & auctoritatem pro tua præstanti virtute plurimi fecisti; expectamus officium tale Circ. tuæ, tum apud illum clarissimum Regem ad quem etiam scribimus, tum vero apud temetipsum, ut quamprimum audiamus desiderium nostrum opera tua expletum esse: quod testimonium tuæ in nos benevolentiæ sumus inter alia multa & magna non minimum existimaturi. His autem de rebus omnibus ex venerabilis fratris Episcopi Wingorniensis, Majestatis istius apud nos Oratoris litteris, cui mentem voluntatemque omnem nostram aperuimus, latius intelliges: quibus ut fidem adhibeas Circ. tuam enixe hortamur. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo nostro Piscatoris die 2. Novembr. 1516. Pontificatus nostri anno quarto.

Sadoletus.

XLVIII. Dilecto filio Petro electo Lavellin.

LEO PAPA X.

Dilecte fili salutem & Apostolicam benedictionem. Cum nuper Cathedrali Ecclesiæ Lavellinensi, ex eo quod dilectus filius noster Franciscus tit. S. Marcelli Presbyter Cardinalis Surrentinus regimini & administrationi

tioni Ecclesiæ cui præerat, in manibus nostris sponte & libere cessisset, nosque cessionem ipsam duxerimus admittendam, vacanti, de persona tua, nobis, & fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, providerimus, teque illi in Pastorem præfecerimus, & in præsentia non valeas ob continua itinera, quæ de necessitate nos sequendo subis, & alia impedimenta, litteras provisionis hujusmodi sub plumbo expedire; nos volentes te præmissorum meritorum tuorum & virtutum intuitu speciali gratia prosequi, harum tenore tibi facultatem concedimus & auctoritatem, actualem possessionem dictæ Ecclesiæ per te, vel Procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum apprehendendi, illiusque fructus, redditus, & proventus exigendi levandique; mandantes propterea dilectis filiis Archidiacono, Canonicis, & Capitulo dictæ Ecclesiæ & aliis omnibus ad quos spectat sub pœnis & censuris Ecclesiasticis, quatenus te ad hujusmodi possessionem recipiant & admittant, ac in Episcopum, & Pastorem recognoscant; felic. record. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri quæ incipit „ Injunctæ „ & aliis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisque in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque. Volumus autem quod litteras Apostolicas provisionis dictæ Ecclesiæ intra sex menses expedire tenearis: alioquin lapso termino & litteris non expeditis, Ecclesia ipsa vacare censeatur eo ipso. Datum Florentiæ sub annulo Piscatoris die 30. Jan. MDXVI. Pontificatus nostri anno tertio.

Jac. Sadoletus.

XLIX. PRIO-

XLIX. PRIORI, ET CONVENTUI
S. MARCI FLORENTIÆ.

DIlect. Fil. Volentes vobis ea gratiose concedere, per quæ istius Ecclesiæ & domus vestræ, quam in visceribus caritatis gerimus decori, ac fidelis populi animarum saluti consulatur, ut eo ardentius ad bona opera & eleemosynas inducantur, quo dono cælestis gratiæ uberius se noverint refectos; vobis & Ecclesiæ vestræ in tertia Dominica Quadragesimæ proxime futuræ Stationem cum iis indulgentiis & concessionibus, qnibus anno superiore eandem Stationem, cum Florentiæ in nostra patria essemus, in eadem Ecclesia vestra indulsimus, pro porrigendis manus adjutrices tam pro se, quam pro defunctis suis, denuo concedimus & indulgemus, præsentibus d. Dominica tertia dumtaxat valituris. Romæ 1517.

Leo X. Sadoletus.

L. VICEREGI NEAPOLITANO.

DIlecte Fili. Sicut etiam heri ad te scripsimus, cum gravis animum nostrum vexet cura, ne milites tam Hispani, quam aliarum nationum, ad eorum numerum se aggregantes, qui sine certo imperio, & sine lege vagantur, maxima non solum damna, sed etiam pericula, non solum nostro & S.R.E. statui, sed cunctæ Italiæ, ac tibi quoque commissis regionibus afferant, idcirco ad Nobilitatem tuam scripsimus, ut eos secundum tra-

ctata

ctata inter nos, & chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum Regem Catholicum diſtinere tamdiu velles, quoad ab ipſo Rege debitæ proviſiones, quæ cito venturæ eſſent, ad te venirent. Nunc hoc magis idem ad tuam Nobilitatem repetendum duximus, ut tanto ſtudioſius, ac celerius id faceres, quod nos per alias hodie litteras præfato Regi conceſſimus, ut de pecuniis ex ſancta Cruciata provenientibus ſtipendia illis tradere poſſet, & pro communi Italiæ ſalute deberet. Quare cum videas propinqua celeriter tibi parata eſſe ſubſidia, ac ſtipendia etiam, ſi quid interea oppignorari oporteret, quando id cito redimi poterit; ut id faceres pecuniæque aliquantum quoquo modo reperire non ceſſares, hortabamur; quemadmodum ad Nobilitatem tuam latius dilect. fil. F. P. E. Syracuſanus ejuſdem Catholicæ Majeſtatis apud nos Orator perſcribet; cui fidem, etiam quod ad nos pertinet, adhibebis. Datum Viterb. 1517.

Leo X. Sadoletus.

LI. P. TOLOSÆ.

DIlecte Fili. Accerſivimus dilectum filium Nicolaum; iidem requirentes ut cum ea navi, cuius præfectus eſt, nobis deſervire vellet in rebus maximi momenti: quemadmodum Devotionem tuam intelligere confidimus. Sed is, ſua voluntate optime nobis declarata, aſſeruit, ſe ob eam cauſam, quominus id faciat impediri, quod habeat ſuam fidem tibi obſtrictam ſuper eadem navi. Nos ergo non dubitantes, te iis rebus, quæ magni noſtra interſunt, favere, Devotionem

tuam

tuam hortamur in Domino, & te enixe requirimus, ut noſtra cauſa liberare illius fidem velis, quo is ad negotia noſtra accedere quam primum poſſit: in quo facies nobis rem gratiſſimam. Datum Romæ 1517.

Leo X. Sadoletus.

LII. Viceregi Neapolitano.

DIlecte fili. Remiſimus dilectum filium Nicolaum Cantorineum, ut ſeſe apparet; qui liber & expeditus ad noſtra maximi momenti negotia revertitur. Hortamur Nobilitatem tuam in Domino, ut quibus in rebus favore, & patrocinio eguerit Nobilitatis tuæ, ei adeſſe noſtra etiam cauſa velis, & dare operam, ut is ad nos quamprimum licitum fuerit, redeat. Erit hoc nobis gratiſſimum. Datum *ut ſupra*.

Sadoletus.

LIII. Cardinali Campegio.

DIlecte Fili. Nos deputavimus dilectum filium Marcum Carracciolum hujus Sedis Notarium Nuncium noſtrum ad Cæſaream Majeſtatem, noſtra apud eum negotia tractaturum, quem dante Domino confidimus celeriter apud ipſum Cæſarem fore. Quod cum ita ſit, donec idonea ad iter faciendum tempeſtas eſt, nos Circ. tuam grato vultu atque animo inſpecturi, te hortamur in Domino, ut quamprimum cum bona Ceſareæ Majeſtatis venia, viam ingrediens, ad nos, & almam Urbem noſtram te conferas, ſubiturus nobiſcum eam ſollicitudinis partem, quam iſta amplif-

amplissima dignitas Cardinalatus in te merito collocata requirit & exigit. Datum Viterb. 1517. ann. v.

Leo X. Sadoletus.

LIV. LEO PAPA X.

Dilecte Filii, salutem & apostolicam benedictionem. Cum multi, & quidem præstantissimi rerum scriptores, qui non sine gravissima latinæ linguæ jactura delitescebant, nostro tempore e profundissimis quasi tenebris in lucem prodierint, non possumus non majorem in modum studiosis gratulari. Nam inter ceteras curas, quas in hac humanarum rerum curatione divinitus nobis concessa, subimus, non in postremis hanc quoque habendam ducimus, ut latina lingua nostro pontificatu dicatur facta auctior, & bonarum artium cupidis ad maximos in disciplinas progressus, non mediocrem apportatam fuisse opem. Idcirco nulli parcendum ducimus impensæ, ut veteres scriptores ubique gentium diligentissime inquirantur, & ad nos deferantur. Sic enim fit, ut neminem sui laboris pœniteat; multi sua sponte id oneris suscipiant, ut in remotissimas penetrent regiones ad antiquorum monumenta vel hominum invidia, vel temporum injuria suppressa, e tenebris eruenda; gnari conatus sui egregie præmia reportaturos. Ut tu nuper fecisti, dilecte fili, qui per tot barbaras, & dissonas gentes in Siriam usque, cum maximo dispendio, nec sine vitæ periculo pervenisti; neque id alia de caussa, quam ut a situ, immo interitu, nonnulla præ-

præstantissimorum Philosophorum scripta, vendicares. Inter quæ quoddam opus, quod Aristotelis Theologia, seu Philosophia mystica inscribitur (sic enim libri titulus innuebat) quandoquidem egregia doctrina refertum Arabicis litteris scriptum, e Greco translatum deprehendisti; quod latinum factum, nobis grato admodum munere obtulisti; idque formis ad usum communem excudendnm nostro etiam hortatu suscepisti. Qui ne irritus sit hic tuus labor, si statim post tuam editionem alii quoque excuderint, mandamus universis, & singulis per totum orbem terrarum ad quos hæ litteræ pervenerint, sub excommunicationis latæ sententiæ, his vero qui in nostra hac S. R. E. ditione degunt, præterea sub ducentorum ducatorum tibi applicandorum, & librorum quos impresserint amissionis pœna, ne post tuam editionem per decennium proxime futurum usque audeant imprimere absque tuo consensu. Absolutionem vero omnium & singularium huic nostræ voluntati contravenentium, nobis tantummodo reservamus; atque iisdem pœnis & imprimentes, & impressa volumina vendentes teneri volumus. Ne autem contra nostram hanc inhibitionem audeat quispiam contumaciter insurgere, mandamus, & præcipimus universis, & singulis Apostolicæ Sedis Legatis, Nunciis, Oratoribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prælatisque omnibus Ecclesiasticis, nec non eorum locum tenentibus, tum locorum omnium Gubernatoribus, ac Præsidentibus, & copiarum Ductoribus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub ejusdem excommunicationis incurrendæ pe-

pœna, ut requisiti abs te, omni auxilio prohibeant, ne quis contra nostrum edictum per prædictum Decennium audeat innovare. Ceterum, si quis tam audax, ac temerarius esset, qui nostras has litteras vel divulgari prohiberet, vel divulgatas, ex locis sacris, aut profanis amoveret; earundem pœnarum sit reus. Constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ceterisque quibuscumque contrariis non obstantibus. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXX. Decembris MDXVII. Pontificatus nostri an. V.

Jacobus Sadoletus.

A tergo. Dilecto filio Francisco de Rosis Rhavennati.

LV. Nunciis in Hispania.

VEnerabilis Frater, & dilecte fili. Institimus sæpe, ac diu, & litteris, & Nunciis cum charissimo in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum Rege Catholico super causa restitutionis Ven. Fratris Cardinalis Sanctorum Quatuor ad Ecclesias, & Beneficia, ut vel ex justitia, vel ex honorifica dicti Cardinalis, & hujus sanctæ Sedis concordia rem quandoque terminaret, & hujus sanctæ Sedis honori, qui exemplo Majorum, & Prædecessorum nostrorum, ac Domini Salvatoris præcepto dictam restitutionem fecimus, consuleret. Qua re in longum protracta, ad extremum præfatus Rex per suas ad nos, & Oratores suos litteras nobis significavit, se cum primum ad Hispaniæ regna appulisset, rem omnem ad optatum finem deducturum, causamque terminaturum: quod nos quidem desi-

desideramus, & nominis & æquitatis respectu, & dictum Ven. Fratrem Nostrum S. R. E. Cardinalem quotidianis de hac re precibus, flagitamus. Cum igitur speremus, Regem ipsum jam ad sua Hispaniæ regna pervenisse, aut cito esse perventurum, Fraternitati, & Devotioni vestræ mandamus, ut hanc rem, & causam præfati Cardinalis, in qua & honor hujus sanctæ Sedis consistit, in curam, & diligentiam vestram suscipientes, ambo, vel alter vestrum, nostro nomine apud Regem instetis, ut quam primum hac re deliberanda, & cum justitia ac prudentia solita terminanda, nos, seque liberare hujus debiti atque officii molestia, atque onere velit; facturus in eo rem sua fide & virtute dignam, nobisque pergratam. In quo vos admonebit, & instruet dilectus filius Gabriel de Threso miles Hierosolymitanus familiæ nostræ; cui auxilium, & opem, quam poteritis, impendetis. Datum Viterbii 1517.

LVI. ÆGIDIO MATTHÆO CARDINALI.

In Hispania Sedis Apostolicæ Legato.

DIlecte Fili. Scribimus ad charissimum in Christo filium nostrum Carolum, Hispaniarum, & utriusque Siciliæ Regem Catholicum litteras in favorem dilecti filii Marii de Ursinis & fratrum, hæredum, ac filiorum quondam Julii de Ursinis, Domicellorum Romanorum, pro eorum justitiæ executione commendatitias, quarum exemplum, tuæ Circ. præsentibus mittimus introclusum. Cum autem his magnæ spei adolescentibus, nobisque

que arcto cognationis vinculo conjunctis; præsertim in justitiæ executione deesse non possimus, Circ. tuæ per hæc scripta mandamus, quatenus apud Catholicam Majestatem dicti Regis, pro expeditione, atque executione justitiæ dictorum Marii, & Fratrum, nostro nomine instes, eorumque causam omni ope juves, faciasque suæ Majestati quam enixissime commendatam, ut quæ per dictæ Majestatis Judices, juste judicata est, suæ tandem executionis debitum sortiatur effectum; in quo Circ. tua, & justitiæ operam dabit, ut debet, & nobis rem quam gratissimam faciet. Reliqua, si quæ pro tua instructione opus erunt, ipsi tuæ Circ. dil. fil. Baccius de Bertis Florentinus, ipsorum Marii, & fratrum negotiorum gestor latius explicabit. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub an. Piscatoris die 31. Aprilis 1518. Pontificatus nostri Anno sexto.

Leo X. Sadoletus.

LVII. Eidem Legato.

Dilecte Fili. Ante tuum hinc discessum commendavimus Circ. tuæ dilectos filios Franciscum de Rubeis Notarium, & Camerarium, nostrum familiarem, continuum commensalem, & Rodericum Del-rio Licentiatum, ejus germanum; commisimusque tibi, ut eosdem, illorumque res omnes, & negotia apud charissimum in Christo filium nostrum Carolum Hispaniarum Regem Catholicum, & dilectum filium nostrum Hadrianum sanctorum Joannis, & Pauli Presbyterum Cardinalem, & quoscumque alios, Majestatem

tem regiam auctoritate & gratia propius appropinquantes, præcipue foveres: quod etsi non dubitamus te diligenter facturum, tamen quia hæc res nobis præcipue cordi est, ob paternam, qua dictum Franciscum, ob ipsius virtutes & merita, complectimur, dilectionem, duximus ad te desuper scribendum, ut res ipsa tibi fiat in memoria recentior. Gratissimum itaque nobis feceris, si Francisco, & Roderico prælatis tantum favoris, & patrocinii impenderis, quantum pro tua virtute, & dexteritate opus esse duxeris: id enim nobis valde gratum, & acceptum & in eo ipso diligentiam plurimum commendabimus. Datum Romæ 1518.

Leo X. Sadoletus.

LVIII. ÆGIDIO MATHÆO

Legato de Latere.

Dilecte Fili. Cum certis nuntiis, neque uno ex loco intellexerimus, tyrannum Turcarum ab Orientis expeditione reversum Constantinopolim se contulisse, magnaque celeritate, & studio ad apparandam classem se dedisse, ita ut maximum numerum navium ex navalibus deducat, homines cogat, quæ ad victum necessaria sunt undique conquirat; voluimus hoc significare Circ. tuæ, ut cum charissimo in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum Rege Catholico id communicares. Quanquam nos quid is moliatur aut cogitet, nihil certo habemus, nisi illud, non dubitare nos quin immani, & effera crudelitate hostis ad cædem, & cladem se instruat generis

Christiani; etsi præcipiti jam æstate non est fortasse universa vis ejus hoc anno pertimescenda: veruntamen ad Dei nostri honorem, ad salutem Christianæ Reipublicæ, ad nostram vigilantiam, & istius Catholici Regis decus, ac dignitatem vehementer pertinet, nos & esse ad omnia, & videri paratos, ne quid nobis ab improviso mali ab illo accidat, cum veri, & magni Principis sit, qualis Rex Catholicus est, suo consilio, non casus beneficio, salvam retinere status, & nominis sui dignitatem. Ac quod ad induciarum, quas induximus approbationem pertinet, nec nos quidem volumus ipsius Majestatem a Cæsareæ Serenitatis consilio dissentire, quem & amore, & sanguine habet conjunctissimum. Sed quoniam Cæsaris voluntatis certam prope spem obtinemus, fore illum quem esse volumus, & induciis approbandis, & expeditione procuranda, veræ sanctæ Fidei protectorem; idcirco Circ. tua ipsius Majestatem nostro nomine hortabitur, ut promptum, ac paratum gerat animum omnia faciendi, quæ avi consiliis consona, sanctissimæ Fidei fuerint opportuna; cum præsertim aliorum quorundam Regum earumdem induciarum approbatio ad nutum nostrum parata sit. Dum autem abit dies, neque jam consiliorum, sed factorum tempus apparet, cum, vel si velimus esse salvi, necesse sit sequenti æstate habere præsidia, quibus si non obruere, at saltem sustinere hostem possimus, Circ. tuæ mandamus, ut ejus Majestatem non tam cohorteris, quam obsecres, & per viscera misericordiæ Dei nostri obtesteris, ut incumbat penitus in hanc curam sua virtute & magnitudine di-

dignam, ſeque univerſalis ſalutis Fidelium, & ſanctiſſimæ Fidei, pro ſua regia parte, patronum profiteatur, ducem ſe præbeat, opes potentiamque ſuam Deo omnipotenti, ſui nominis immortalitati, ſuorum poſterorum ſecuritati dedicet; nec omittat occaſionem hanc, qua, hoſte contra nos armato, aut clariſſima victoria parienda, aut magna aliqua calamitas accipienda. Quamquam, ſi & animo & viribus eum promptum habebimus, exploratum ſit nobis de victoria: ut aliquid damni ſubeamus, hoſtilis erit virtus; ſed noſtra, ſi ceſſabimus, negligentia extimeſcenda. A conſiliis igitur ad facta veniendum, & tota urgenda res eſt, in quo tanto enixius volumus elaborare Circ. tuam, quanto cum conſtanti ſermone ad nos perfertur, Regem ipſum, & pio, & generoſo inflammatum eſſe ſtudio hujus ſanctiſſimi belli ſuſcipiendi; de quo agimus nos quidem Deo omnipotenti gratias, qui ſpiritum veri conſilii tanto Regi inſpiret, ſed & ipſius Serenitati habemus maximas: hæc enim ſunt perpetua ſalutis, & gloriæ fundamenta, quibus ſi adhuc viridis ejus ætas innitetur, nihil erit in omni magnitudine tam amplum, quod ipſe ſibi promittere non poſſit. Sed & quoniam ex magna Turcarum claſſe verendum eſt, ne pars aliqua otii impatiens, prædatum, & populatum per maria, & littora noſtra diſcurrat; gratum eſſet nobis, & reipublicæ, regnoque ſuo commodum, ut aliquid haberet ipſe in his oris maritimis Italiæ ac Siciliæ, idoneæ claſſis, ad arcendum hoſtem, ſuiſque rebus præſidia, noſtris etiam, ſi opus eſſet, ferret auxilia. Sed nos ingenio & prudentiæ tuæ committimus

mus rem totam ., ex nostra voluntate, & totius Fidei Christianæ commodo tractandam. Cetera, quæ distinctius scribenda erant, dilecto filio nostro Julio tituli Sancti Laurentii in Damaso Presbytero Cardinali S.R.E. Vicecancellario, ut scriberet ad te mandavimus; cujus litteris Circ. tua his, aliisque deinceps omnibus fidem summam adhibebit. Datum Romæ die 8. Augusti 1518. anno VI.

Leo X. Sadoletus,

LIX. EIDEM.

DIlecte Fili. Scribimus ad charissimum in Christo filium nostrum Carolum Hispaniarum Regem Catholicum in favorem dilecti filii Alexandri de Lecanis, & Benedicti de Cripellis Cubiculariorum nostrorum secretorum, circa percipiendam certam annuam pensionem trecentorum ducatorum supra fructibus mensæ Episcopi Melitensis, eis per nos auctoritate Apostolica rite & canonice assignatam, prout in adjuncto Brevis nostri exemplo perspicies: quocirca te hortamur in Domino, tibi nihilominus committentes, ut apud dictum Regem nostro nomine agas, & demum pro tua prudentia & dexteritate efficias, ut prædictus Rex Thesaurario suo regni Siciliæ committat & mandet, ut Alexandro, & Benedicto prædictis, vel eorum legitimis Procuratoribus pensionem hujusmodi persolvi faciat, in quo studium, & diligentiam tuam in Domino plurimum commendabimus. Datum Romæ die 18. Augusti 1518. Anno sexto.

Leo X. Sadoletus.

LX. EIDEM.

DIlecte Fili. Delectaverunt nos mirum in modum litteræ tuæ scriptæ amanter erga nos quidem, sed in Christianæ Reipublicæ causa, & pie, & prudenter, quæ nobis peroptatum nuncium attulerunt, esse inducias quas indiximus quinquennales ab illo clarissimo Rege Catholico acceptas & approbatas; idque inter solemnes divinæ rei ceremonias, quasi Deo ipso teste: in qua re tuæ Circ. fidem, virtutem, prudentiam vehementer enituisse, teque optimi, & gravissimi Cardinalis officio functum fuisse, non gaudemus solum, sed pro singulari erga te amore nostro, etiam gratulamur. Huic quoniam Regi per litteras gratias agimus, quorum exemplum ad te jussimus mitti, & ea quæ supersunt non videntur faciliora; reliquus labor tuæ Circ. fuerit, urgere & instare omni studio, ut quæ ad belli apparationem necessaria sunt, jam nunc in cura, & meditatione versentur. Sicut enim ab illo præstantissimo Rege prima laus occupata est pietatis suæ declarandæ, quam ceteri procul dubio nunc sequentur; sic arripienda prima gloria est, potentiæ suæ ad Turcarum terrores opponendæ. Eo enim initium faciente, reliqui principes non deerunt. Sed cum de hac tota re satis superque edoctus instructusque sis, prudentia vero, & industria tua singularis monitorem non requirat; tuum erit dare operam, & omnes moliri vias, quo ad speratos optatosque exitus nostra optima & sanctissima consilia deducantur: sicut latius ad te dilectus fil. noster Julius de Medicis per-

scribit, cujus litteris fidem adhibebis. Datum Romæ die 24. Augusti 1518. Pontificatus anno 6.

Leo X. Sadoletus.

LXI. EIDEM.

DIlecte Fili. Arbitramur Circ. tuæ cognitum, nos paterna charitate prosequi dilectum Filium Martinum Fernandes de Corduba, alias de Molina familiarem nostrum; cujus lepiditate ingenii, & morum, quæ maxime extat in iis, quibus honestissime ocium traducitur, nos, quantum ab arduis negotiis interdum discedere licet, satis delectamur: Is, cum summopere desideret insigniri habitu Sancti Jacobi de Spata Ordinis Regii; scribimus ad charissimum in Christo filium nostrum Carolum Hispaniarum Regem Catholicum, ut nostro ac meritorum dicti Martini intuitu, velit alicui in Romana Curia committere, ut Martino, attento quod ipse in servitiis nostris jugiter versatur, & propterea ab ipsa Curia discedere non potest, habitum hujusmodi, nomine Majestatis suæ conferat. Cum autem res hæc nobis curæ sit, duximus etiam ad Circumsp. tuam scribendum, ut apud Regem præfatum nostro nomine instes, ac pro tua dexteritate efficias, ut idem Martinus voti compos fiat; cui nos postea, occurrente opportunitate, de aliquibus redditibus providebimus, ut se juxta militiæ hujusmodi exigentiam decenter valeat sustentare. Datum Romæ die 28. Augusti 1518. anno sexto.

Leo X. Sadoletus.

LXII. EI-

LXII. EIDEM.

DIlecte Fili. Expectabamus in dies tuis litteris certiores fieri, Martinum de Molina familiarem nostrum voti compotem esse effectum circa habitum S. Jacobi de Spata, quem sibi a Catholico Rege conferri desiderat. Cum autem per litteras tuas nuper nobis significaveris, præfatum Regem ad hoc satis dispositum esse, id nobis pergratum fuit: quippe non parvo tenemur desiderio, ut præfatus Martinus, quem ob ejus lepiditatem, & ingenuos mores, præcipuamque probitatem paterne diligimus, id honoris, & gratiæ a dicto Rege nostra causa consequatur: & propterea ad illius Majestatem denuo scribimus, hortantes, & requirentes, ut talem dispositionem suam ad votivum exitum perducat, prout ex adjuncto Brevis nostri exemplo perspicis. Tuum itaque erit, omni studio, & dexteritate perficere, quod ex nostra commissione ea in re mature, & prudenter cœpisti: in quo voluntati nostræ plurimum satisfacies. Datum Romæ die 26. Februarii anno 6.

Leo X. Sadoletus.

LXIII. EIDEM.

DIlecte Fili. Cum venerabilis Frater Raphael Episcopus Ostiensis Cardinalis, regressu ad Ecclesiam Conchensem sibi auctoritate Apostolica concesso, in favorem dilecti Fili Francisci de Mendoza Cubicularii nostri secreti, fratris germani Marchionis de Mondesar, cedere paratus sit, nosque ob ejus

Francisci virtutes & merita, cessionem hujusmodi admittere velimus, scripsimus diebus præteritis ad charissimum in Christo filium nostrum Carolum Hispaniarum Regem Catholicum; vellet consentire, ut expeditio cessionis dicti regressus omnino fieret. Cum autem postmodum acceperimus, præfatum Regem velle quemdam Cappellanum suum dicto Francisco ea in re præferre, non parva admiratione sumus affecti; animadvertentes eumdem Franciscum, ejusque progenitores, & consanguineos nobilitate generis, ac præclaris facinoribus præstantes, summam semper observantiam, & integerrimam fidem erga Catholicam Majestatem, atque etiam erga Sedem sanctam Apostolicam præsetulisse, ac præseferre. Quare Circumsp. tuam hortamur in Domino, tibi nihilominus injungentes, ut pro solita tua virtute, & dexteritate, apud Regem præfatum nostro nomine instes, & quantum in te fuerit pro virili efficias, ut Rex ipse consensum suum pro hujusmodi Coadjutoria in personam præfati Francisci expedienda, quamprimum mittat, prout a consanguineis ejusdem Francisci requisitus fueris; & ut occasionem alloquendi ea de re præfatum Regem nanciscaris, eidem Breve nostrum his alligatum reddes. Datum Romæ die 29. Augusti 1518.

Sadoletus.

LXIV. GA-

LXIV. GALEATIO BUTRIGARIO

Apud Cæſarem Nuntio.

DIlecte Fili. Mittimus tibi exemplum earum litterarum quas ad Illuſtriſs. Regem Catholicum pro habendo delectu præſtantium virorum, qui Matthæo Legato noſtro in rebus ſanctam Fidem concernentibus adeſſe debeant; inter quos nos maxime Joannem Epiſcopum Burgenſem, alias in hujuſmodi negotiis egregia virtute cognitum ineſſe cuperemus. Cum autem, ut res apte tractetur, in tua dexteritate valde poſitum ſit, mandamus tibi, ut cum præfato Burgenſi Epiſcopo re communicata, ita agas, & te geras, ut quoad commode fieri poteſt, cum voluntate noſtra præfati Epiſcopi honor a te conſervetur. Datum Romæ die 20. Julii 1518. Pontificatus Anno VI.

Sadoletus.

LXV. LUDOVICO COMITI PALATINO

LEO PAPA X.

DIlecte Fili ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum poſt eum animi dolorem, quem ex obitu claræ memoriæ Maximiliani electi Imperatoris non mediocrem acceperamus, propter, & noſtram ſingularem in illum benevolentiam, & commune incommodum quod tanti Principis optimique Ducis morte Chriſtiana paſſa erat reſpublica, illa cogitatio nos ad animi æquitatem revocaviſſet, quod

illius eximias Christianissimasque virtutes; mitem in primis clementemque naturam, animum Deo ac Dei religioni deditum per Dei misericordiam donatum immortalitate, multoque majora, & beatiora præmia cælestis vitæ illi comparata esse confidebamus, etiam judicavimus hanc rationem eandem apud Nobilitatem tuam esse valituram, de cujus prudentia eam semper, quam decuit, habuimus opinionem. Cum autem & boni nos pastoris cura sollicitum haberet, & hoc non minus ad Nobilitatis tuæ officium pertineret, has ad te summo animi studio scribendas duximus, te impentius hortantes, ut post pietatis officia in mortuum, te nobiscum una ad eam curam ac diligentiam velis convertere, in qua omnis maxime salus Christianæ Reipublicæ consistit, ut illi defuncto par aut etiam superior, si fieri potest, eligatur Imperator. Communis hæc nobis tecum cogitatio, sed opera, & sententia tua huic facto conjunctior est. Non arbitramur Nobilitatem tuam præstantem prudentia, egere consilio: sed tamen nostra dignitas ac persona requirit, ut quod optimum factu videatur esse, in medium consulamus. Etenim si ullum unquam tempus post Romani Imperii nomen extitit, quod tuam postularet, & Collegarum tuorum fidem, vigilantiam, religionem, sapientiam, hoc illud est, in quo omnis industria adhibenda, ut in Imperatore deligendo, Dei Redemptoris honori, Imperatoriæ auctoritati, Christianæ Reipublicæ quieti, vestræ quoque ipsorum, qui electuri estis saluti consulatur. Nunquam (quod tibi in oculis esse certo scimus) habuit fides Christi potentiores hostes, nunquam

quam adversus eam animo infestiores, crudelitate efferatiores. Horum igitur faucibus atque immanitati tota exposita sit necesse est Dei respublica, nisi is deligatur Imperator, qui pari potentia illorum retundere insolentiam, & auctoritatis nominisque sui magnitudine salutem tegere Christianitatis queat. Hoc igitur in primis Nobilitas tua, positis ante oculos & pensitatis hostium viribus, ut provideat, rogamus, per quem maxime illorum nefariæ crudelitati resisti possit. Atque hæc necessaria est cogitatio, illa vero ad dignitatem Imperii, atque decus spectans, quod sine eximia potentia, nec auctoritatem habere potest, nec majestatem Imperator. Capite autem labefactato & debili, quid ex ceteris sperandum in bono publico sit, tuam profecto non latet prudentiam. Ergo quod petimus a te, Nobilitati tuæ ut curæ & cordi sit, in Domino nostro Jesu Christo obtestamur id est, ut cum Nobilitas tua ad suam dicendam sententiam suumque dandum suffragium accesserit, ponat sibi ante oculos & salutem & dignitatem Christianæ fidei: salutem, ut quoniam grave ab impiis hostibus discrimen, & prope suprema imminet pernicies, in eam partem studium suum convertat, ut par tantis rebus ac negotiis & nomine, & genere, & animo, & potentia eligatur Imperator: dignitatem, ut cum post hanc sanctam Sedem, quæ ex Deo est, summum sit in seculo Imperii culmen, qui tuo, & Collegarum tuorum judicio in id ascensurus est, ea habeat ornamenta quæ in tanto principe, requiruntur potissima. Sit gravis auctoritate, prudens consilio, maximarum rerum peritus,

animo excellens sit, qui divinam erga se liberalitatem agnoscat, fidei sanctæ faveat, sanctam Sedem Apostolicam, ut filius Matrem vereatur: qui pacem inter Christianos populos teneat, bella & minas & terrores transferat contra impios: sub quo sperare & confidere possit Christiana Respublica, se in majorum suorum decus & possessionem veteris Imperii esse perventuram. Hæc nos, dilecte fili, a Nobilitate tua postulamus, tuo quidem honori & officio debita, præclaroque generi & tuæ majorumque tuorum virtuti convenientia: sed ut præterea Nobilitas tua aliquid nobis bene consulentibus, atque hoc in magni beneficii loco pro communi salute abs te expectantibus * tribuere debeat. Quod si effeceris, quod te non dubitamus facturum, cum Deo ac nobis rem gratissimam, tum vero publicæ saluti, in qua & tua continetur, admodum utilem feceris: sicut de omnibus latius tecum dilectus Filius noster, Thomas tituli S.Sixti Presbyter Cardinalis, noster & Apostolicæ Sedis de latere legatus, & Marinus Caracciolus Notarius & Nuntius referent, quibus Nobilitas tua fidem amplam adhibebit. Datum Pali Portuensis diœceseos, sub annulo Piscatoris die X. Februarii MDXIX. Pontificatus nostri anno sexto.

A tergo. Dilecto filio nobili viro, Ludovico Comiti Palatino, Sacri Romani Imperii Principi Electori.

Jacobus Sadoletus.

Ha

Hæ litteræ proximo mense postea totidem verbis repetitæ fuerunt, & iteratæ, hac tantum sub finem clausula addita.

* *tribuere debeat*. Quod si forte aliqua ratione vel caussa, qualem nos cupimus, & respublica postulat Imperatorem omnino habere non licitum fuerit; at illud saltem pro tua in communem pacem utilitatemque Christianæ fidei, egregia voluntate cogitandum atque agendum tibi est, ut is eligatur, in quo nulla sit, vel caussa vel voluntas, aut universalis Christianæ Reipublicæ quietis, aut sanctæ hujus Sedis Apostolicæ perturbandæ. In quo Nobilitatem tuam non dubitamus suum singulare ingenium adhibituram. Quod Deo nobisque gratissimum, tuæ Nobilitati in primis honorificum, ac publicæ utilitati, in qua & tua & omnium salus continetur, per quam erit opportunum. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 2. Martii MDXIX. Pontificatus nostri Anno sexto.

Jacobus Sadoletus.

LXVI. LUDOVICO COMITI PALATINO

LEO PAPA X.

DIlecte fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Perfertur ad nos, Nobilitatem tuam optimo animo & præstanti in Rempublicam Christianam studio bene promptam esse in hac proxima creatione futuri Imperatoris id consilii capere, quod eam nos toties jam hortati sumus, cum judicaremus sanctæ

ctæ Christianæ fidei, & huic Sedi Apostolicæ maxime expedire hoc tempore, ut is in tantum gradum vocaretur, qui pacem firmare inter Christianos, bellum transferre in impios hostes Dei nostri, & virtute & prudentia, & & opum suarum potentia in primis posset: quique esset in maximis rebus cum laude versatus, ætate integer, animo excellens, in gratificando largus, in bonos liberalis. Sic enim salus communis postulat, quo immanium Turcarum furori, & crudelitati obsistatur, ut similis princeps, & par illis potentia, superior virtute eligatur Imperator. Nos vero hoc de Nobilitate tua audientes, quamquam essemus certi te pro religione & sapientia tua non solum præclara omnia cogitasse, sed etiam quæ præclare a te essent cogitata, ea ad effectum perducturum esse: tamen has ad te scribere voluimus, quæ & gratiam tibi afferrent de præterito, & hortarentur in futurum, ut pristinas admonitiones, suasionesque nostras, quibus te ad respectum universæ rei Christianæ, & hujus sanctæ Sedis, pro honore, & gradu & præstanti, virtute tua vocavimus, & quibus te multum tribuisse cognovimus, haberes semper ante oculos, ageresque id, quod agis, ut ex tua sententia, tuoque suffragio, in creatione novi Cæsaris, & nos & fides Christiana & sancta Sedes Apostolica maxime lætaremur. Diceremus quantum hoc conveniat generi nominique tuo, & ei, quæ de tua prudentia ac bonitate est opinioni: nisi & alias dixissemus, & te ipsum intelligere consideraremus. Illud quod ad nos pertinet, debemus sæpe & sæpius commemorare, si tua Nobilitas in hoc munere fungen-

gendo eam se nobis præbuerit, quam speramus, rationemque nostri voti ac desiderii, quod cum utilitate publica conjunctum est, se habuisse ostenderit; præter conscientiam, & gloriam clarissimi facti, nos etiam curaturos, ut te nobis morem gessisse nullo tempore pœniteat, sicut latius tecum dilectus filius noster Thomas tituli S. Sixti Presbyter Cardinalis legatus noster, & R. Archiepiscopus Rhegiensis, & Martinus Caracciolus nuncii nostri agent, quibus & eorum cuique fidem habebis. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris, die XIII. Maii, MDXIX. Pontificatus nostri anno septimo.

A tergo. Dilecto filio, Nobili viro, Ludovico Comiti Palatino Sacri Romani Imperii Principi Electori.

Jacobus Sadoletus.

LXVII. Carolo Duci Sabaudiæ, et Philippo Fratri.

Dilecte Fili. Etsi non credimus, Nobil. vestras agere, aut cogitare quicquam, quod vestro genere indignum, ac virtute alienum sit; tamen, cum ad aures nostras pervenerit, eos qui refectionem monasterii Ordinis Cælestinorum ad honorem Salvatoris nostri Domini Jesu Christi in oppido Annesiaci Gennebensis Diœcesis, a nobis motu proprio, & ex certa scientia factam impedire, ac turbare non desistunt, jactare favorem vestrum; & hujus S. Sedis pro cultu, & augmento Catholicæ Fidei decretum, inane atque irritum reddituros sperare; non possumus non mirari tantam esse quorumdam audaciam,

ut & quæ a nobis in honorem Dei constituta sunt, violare, & Nobilitatum vestrarum constantiam labefactare contendant. Nam si omnis qui Deo honos impenditur, in nostram redundat salutem; qui ea, quæ ad honorandum, & colendum Dominum instituta sunt, disturbare conantur, ii & suæ profecto, & omnium salutis sunt inimici. Quid autem sanctius, quam erigere templa Domino Deo, in quibus ipse castius, & religiosius adoretur? Quid autem salutarius populo fideli, quam habere oratores pro se apud eumdem Deum, interpretes desideriorum suorum, votorum internuncios, curatores salutis? Qui vero hisce rebus sese opponunt, non illi profecto commune bonum, sed aut iniquam suam opinionem, aut propriam sequuntur utilitatem. Ac nobis quidem hæc res permolesta accidit: affert enim diminutionem nonnullam dignitatis nostræ, & auctoritatis Apostolicæ; sed certe pati talium pravas invalescere suggestiones, minime omnium ad Nobil. vestras pertinet; qui & propter egregiam vestram pietatem favere Deo, & servis ejus semper consuevistis, & propter animi constantiam manere in pristina sententia debetis. Præbuistis enim consensum vestrum erectioni hujusmodi, voluntatisque vestræ, non solum verbo, sed etiam patentibus litteris fidem fecistis. Ac si quidpiam minus utile ita essetis polliciti, tamen virtus a vobis vestra exigeret, ut constaretis vobis ipsis, præstaretisque promissum; quod hoc magnorum Principum proprium esse soleat, non revocare in dubium pollicitationes suas. Cum vero rem plenam laudis, plenam pietatis, prædicto oppi-

oppido veſtro perhonorificam, vobis, & populis veſtris ſalutarem veſtro ſemel aſſenſu comprobaveritis; eſt jam magnanimitatis veſtræ comprimere iniquitates eorum, qui & Deo, & huic Sedi, & honori nominique veſtro una & eadem opera injurium quid efficere conantur: præſertim etiam noſtra interceſſione accedente, qui nunc ſecundo ad vos ſcribimus eadem de re, digni, ut quidem arbitramur, qui primo quod volumus a vobis impetraremus; noſtra autem conjunctio, & paternus noſter in Nobilitates veſtras amor requirit, ut quæ juſte ſancteque poſcimus, facilia & plana apud vos inveniamus. Quapropter his rationibus omnibus permoti, noſtro, veſtro, hujuſque ſanctæ Sedis, & Dei omnipotentis honore, itemque dil. fil. Magiſtri Petri Lamberti de majori Præſidentia Abbreviatorum, & familiaris noſtri cura, & ſollicitudine, qui veſter fidelis ſubditus, dignuſque virtute ſua, cui favor veſter impendatur, gravi afficitur dolore, quam rem ipſe ſub veſtra fide curavit, & geſſit, cum facultatibus ſuis detraheret, ut Deo gratum quid, & patriæ ſuæ decorum ageret, eam ab æmulis ſuis, & iniquis oppugnari; Nobilitates veſtras hortamur in Domino, & omni ſtudio requirimus, per eum, cui hoc templum, & hæc dicata, & conſecrata erectio eſt, Salvatorem noſtrum, ut curetis atque efficiatis, quo hæc noſtra ordinatio, & erectio ſuum debitum conſequatur effectum, neque ullius malitia, aut cupiditate, aut ſuggeſtione apud vos impediatur: quod erit certe maxime religioni, & virtuti veſtræ conveniens, conſcientiæque ſalutare, nobis vero pergratum;
atque

atque eo etiam gratius, quod re ipsa cognoscemus; plus apud Nobilitates vestras authoritatem, & intercessionem nostram, quam aliquorum alienis bonis prave obtrectantium falsas causas, & fictos sermones valuisse. Datum Romæ 1519.

Leo X. Sadoletus.

LXVIII. REIPUBLICÆ VENETÆ.

DIlecte nobis, &c. Etsi non sumus dubii, quæ nobis de rebus Orientis nunciata sunt, tuam quoque Nobilitatem certis nunciis comperta habere, tamen nostri officii esse existimavimus, cum eadem ipsa scribere ad te, tum quid animi habeamus, quidque a te postulemus adscribere. Nam quod Princeps Turcarum, & magnam paratam classem & terrestrem exercitum in Caria ad ea loca, quæ maxime Rhodo apposita sunt, teneat, apparetque quotidie, quæ ad bellum gerendum, urbesque obsidendas opportuna sunt, multorum litteris, nunciisque cognovimus. Quid autem meditetur & cogitet, & communis in illis regionibus fama loquitur, & nobis admodum suspiciosum est, omnem eam videlicet belli comparationem ad Rhodum obsidendam susceptam esse. Scimus enim quantum illi in ea urbe ad suum Imperium adjungenda momenti propositum sit, ad ceteros conatus suos perficiendos; quo nobis contra diligentius illa retinenda & defendenda est. Frenum enim furoris illius, obex cupiditatis, arx & propugnaculum totius Christianitatis in ea conservanda urbe est positum. Sed nos fidenti animo, & alacri spe, Domino & Deo nostro

ſtro Jeſu Chriſto Salvatori gratias agimus, quod rebus noſtris optime paratis, hanc hoſti ſuo injiciat mentem, Chriſtiana hoc tempore arma laceſſendi, ut quae in illum diu meditata, & prope ad finem perducta ſunt, citius & gravius ad illius perniciem erumpant. Habemus enim, quod tuam Nobilitatem nolumus latere, duorum potentiſſimorum Regum & præſtantiſſimorum Principum, Caroli electi Romanorum & Hiſpanorum Catholici, & Franciſci Francorum Chriſtianiſſimi conſignatam apud nos eorum manu & proprio chirographo fidem, ſeſe in hanc ſanctam expeditionem & animo & copiis eſſe paratos. Itaque & conjuncti inter ſe ſumma amicitia ſunt, & nobiſcum. Splendor enim tantæ gloriæ, quantam hoc præclaro bello conſecuturi ſunt, ad illorum mentes atque oculos divino numine oblatus eſt, quem mirabiliter concupiverunt. Nec vero deſinunt armare ſe uterque, cum alter inſtructiſſimam claſſem, alter equitatum jam habeat ornatiſſimum. Nam peditum fortiſſimorum virorum ingens copia præſto futura eſt. Sed ſi aliqua etiam reſtant agenda & amolienda, quæ hoc a nobis ſemper deſideratum ſanctiſſimum bellum adhuc videantur tardare, iis ſimul atque hoſtis bellicum cecinerit, præcipitatis & abjectis, continuo Chriſtiani maximi exercitus, eodem ſigno ad bellum accingentur. Agat ille modo, & impiam ſuam cupiditatem proſequatur; maximum profecto nobis dabit beneficium, dum cogitabit afficere injuria. Nec vero nos defuturi ſumus, non auctoritate, non opibus, non propria perſona noſtra, non ſanguine. Non enim nec qua in re libentius laboremus, nec ubi vi-

tam.

tam, si opus sit melius & beatius ponamus, hujus nobis vitæ mortalis conditio quicquam potest afferre. Quare quod supra etiam dictum est, hujus impii hostis arma non modo non timemus, sed eo loco res sita est, ut desiderare etiam & optare debeamus. Quod vero petimus a Nobilitate tua, id ejusmodi est. Primum ut tu quoque intentus in harum rerum occasionem sis; deinde ut classem & triremium copiam in procinctu habeas, ut nostris militibus, sive transeundum fuerit in Græciam, sive navalibus præliis decertandum, facultas sit navium, præsertim iis qui ab hac ora nostra, & Italiæ litore transmittere voluerint. Cernimus enim, id quod tu quoque videre potes, postquam bellum semel inchoatum fuerit, maximam multitudinem militum etiam sine stipendio ad bellum properaturam contentam honoris stipendio & iis præmiis, quæ sunt a Deo Omnipotente pro ejus fide laborantibus in cælo proposita. Sed hæc tu pro tua prudentia optime prospicere potes. Nos etsi non dubitamus tecum, isto tuo prudenti & gravi senatu omnia facturos, quæ virtuti vestræ congrua erunt; tamen hortamur in Domino, & vos paterne admonemus, ut laudis & dignitatis vestræ memores contra communem hostem & animos armare, & vires vestras maritimas præsertim parare non postponatis, Deo & Sanctæ Dei fidei præclaram, ut soliti estis, operam navaturi. Prima Januarii 1520.

Jacobus Sadoletus.

LXIX. PRIO-

LXIX. Priori Magnæ Carthusiæ.

Dilecte Fili. Necessario opus habentes opera dil. fil. Jo. Bapt. Prioris Trisulh, qui in vestro religioso, & sacro Ordine professus, a nobis ad magna nostra, & Sedis Apostolicæ negotia tractanda idoneus judicatus est, cum etiam nostra de eo opinio magis ex eo confirmetur, quod Ordo iste & probitatem ingeneret hominibus, & fidem; decrevimus eum ad loca nonnulla mittere mandata nostra curaturum, cumque id pro sua religione & obedientia, tuam ad hoc accedere cupiat voluntatem & licentiam, duximus ad Devotionem tuam scribendum, te in Domino hortantes, ac in virtute sanctæ obedientiæ requirentes, tibique mandantes, ut dicto Johanni Baptistæ ad peragendas commissiones nostras quo opus fuerit profecturo, benigne, ac libenter facultatem & licentiam præbeas; quoad commissiones nostras executus fuerit, tum peregrinandi, & ad varias regiones ac loca se conferendi, tum quibus in locis monasteria vestri Ordinis extiterint ad ea si placuerit divertendi, & juxta observantiam regulæ vestræ, aut in communione cum ceteris fratribus, aut in aliis hospitalibus, quot dies opportunum fuerit, permanendi, indeque egrediendi, & cum negotium nostrum postulaverit, eodem revertendi, aliaque agendi, per quæ ea quæ ad nos & sanctam Sedem Apostolicam magnopere pertinent, curare, & tractare commode, ac sine ullo scrupulo negotiari possit. In qua re, si ut volumus, facilitatem & voluntatem huic missioni nostræ omni-

omnino accomodaris, facies rem nobis gratissimam. Datum Romæ.

Leo X. Sadoletus.

LXX. DESIDERIO ERASMO ROTERODAMO.

DIlecte fili salutem &c. Gratæ nobis admodum fuerunt litteræ tuæ: declararunt enim id, de quo addubitare aliquantum cœperamus, neque tantum ex quorumdam, quamvis prudentium & proborum testimonio, quantum ex scriptis nonnullis tuis, quæ circumferuntur; te nihilominus egregia & constante esse cum in nos sanctamque hanc Apostolicam Sedem, tum erga communem pacem concordiamque, & inprimis publicam Christianam & rem & legem voluntate; quod profecto præclare convenit, & huic ingenio, quod Dei beneficio summum ad optimas disciplinas attulisti, & eis studiis pietatis, quæ semper es professus. Itaque nos, quorum sæpe ob animum versabatur tui quamquam absentis memoria, cum de tuis eximiis virtutibus aliquo præmio honestandis cogitaremus, paulisper ex ea opinione deturbati, valde jucunde accipimus, restitutam in nobis esse, officio & diligentia litterarum tuarum, mentem pristinam diligendi tui. Atque utinam, quod jam nobis constat certumque est de officio & voluntate tua in hanc Sedem sanctam, communemque Dei fidem, id apud ceteros omnes cerneremus constare. Nam nec tempus ullum opportunius, nec causa justior unquam fuit, ingenium atque doctrinam impiis hominibus opponendi: nec vero quisquam

ipſo te, ut noſtrum eſt de tua eruditione judicium, ad tam laudabile opus aptior; in quo elaborant quidem & elaborarunt permulti ſumma cum pietatis & ſcientiæ fama. Sed & illorum corda direxit Deus, & de te tuæ prudentiæ permittendum eſt. Nos ad probra & contumelias ſeditioſorum hominum, divina ope & patientia armati, illud magis moleſte ferimus, quod cum zizaniis non parum bonæ ſegetis corrumpitur, omniſque de grege nobis credito jactura, animum noſtrum ſolicitudine afficit. Qui enim poſſimus non dolere detrimento bonarum mentium, quæ trahuntur in errorem, cum iſtos ipſos errorum & impietatis auctores ſalvos eſſe cupiamus? Sed neque deerit nobis Deus, neque nos muneri atque officio noſtro ſumus defuturi. Quod autem ad litteras tuas attinet, nos & de tua optima voluntate certum jam habemus, & tuum adventum in hanc urbem, quandocumque is fuerit, læte & gratanter ſumus accepturi. Datum Romæ 11. Januar. 1521. Anno octavo.

Jacobus Sadoletus.

CHARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO CAROLO REGI CATHOLICO IN ROMANORUM IMPERATOREM ELECTO.

LXXI. LEO X.

CHariſſime in Chriſto fili noſter ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Alias Celſitudini tuæ per litteras & nuncios noſtros ſignificavimus, quod cum plures falſi & hæretici

retici errores in inclita Germaniæ tuæ natione, auctore quodam Martino Luthero, seminati, & in libris impressi publice divulgati fuissent, ac nonnulli alii ab eodem Martino seditionis materiam quærente, seducti, hujusmodi erroribus adhæsissent, sicque alios insuper ipsi excogitassent; nos, quorum proprium officium est vineam Domini, hujusmodi vepribus in ea nascentibus purgare, ac Dei Ecclesiæ unitatem, quantum in nobis est, præeunte semper Domino conservare, ac periculis & offensionibus præsertim latius, & in complurium detrimentum manantibus obviare, re diligentissime prius cum consilio discussa, de Fratrum nostrorum sententia errores ipsos partim falsos ac hæreticos, partim vero a Christiana pietate aberrantes, & rectas lædentes conscientias judicando damnavimus, ac ejusdem Martini libros dictos errores, seu aliquem eorum in se continentes, igni comburi; ipsique Martino, ut ab omni prædicatione & disputatione abstineret, ac intra certum tunc expressum terminum libros a se se editos combureret, erroresque in dictis libris contentos revocaret, & de revocatione ipsa nos certiores faceret, vel ipse ad nos sub fide nostra de salvo conductu ei a nobis concesso veniret, præcepimus, atque mandavimus. Quibus mandatis nostris cum parere is contempsisset, ac in falsa sua sententia pertinax esse, quam saniori consilio obtemperare maluisset; nos ipsum patientia nostra abutentem, omnesque illi adhærentes, ejusque fautores & receptatores, tamquam notorios & pertinaces hæreticos fuisse & esse, per quasdam litteras declaravimus; & ut præmissa ad

ipsius

ipsius Martini & aliorum notitiam pervenire possent, litteras ipsas in alma Urbe nostra certis in locis publicari fecimus, & per Germaniam quoque, ope & auxilio ejusdem Celsitudinis tuæ publicari mandavimus, sperantes, quod ipse Martinus hujus sanctæ Sedis mandatis obedire, ac ejus determinationi de sacræ Theologiæ magistrorum & juris utriusque professorum consultatione, & eorumdem Fratrum consilio & assensu factæ acquiesceret in his, quæ non solum a nobis, sed etiam antea, nobis necdum opinantibus, de majoris partis decreto a magistris universitatum Lovanien. & Colonien. pro orthodoxæ fidei veritate conservanda damnata fuerunt; non sibi soli arroganter, sed plurimorum sententiæ credere, & ipsos errores revocare, & ad nostrum ac ipsius Ecclesiæ gremium redire tandem animum induceret. Nuper autem ex Nuncio nostro intelleximus, Celsitudinem tuam officium advocati Ecclesiæ, cujus nominis ex sua in Imperatorem electione sibi comparavit, in mandatorum nostrorum debita executione præstitisse, & quantum in ea fuit, in nulla re defuisse, quo ipse Martinus resipisceret, & ad viam veritatis rediret: prout etiam nos nullum officium prætermisimus, ut ejus animam Deo lucri faceremus, ac pii instar pastoris ovem perditam ad caulam reduceremus, & filium prodigum benigne reciperemus. Qui cum medicinam salutarem & paternam nostram monitionem spreverit, & non solum se non emendaverit, sed pejora prioribus fecerit & faciat in dies; & præmio & pœna sibi per nos oblatis, pœnam potius quam præmium habere, impiusque

que hæreticus esse, & membrum putridum fieri, & a fidelium consortio excludi voluerit, & plures alios ad nefariam sectam suam perduxerit, suumque potius nomen per impietatem & pertinaciam celebrari, quam Dei gloriam, pie & humiliter se gerendo, collaudari præoptaverit; nos ipsum aliosque cum eo quosdam, ex quorum scriptis notorie nobis constitit, ipsum Lutherum ac falsa ejus scripta eos fuisse imitatos, & alios in publicatione aliarum litterarum nominandos, ac alios illis adhærentes, illorumque fautores & receptatores, notorios hæreticos esse declaravimus. Nunc vero, quod reliquum est, attendentes, quantum periculi Catholicis omnibus imminere atque accidere posset, si, quod absit, debita litterarum, & sententiæ declaratoriæ nostræ hujusmodi executio differretur; cujusvemodi detrimentum succederet, si mora quamvis parva interponeretur, quominus crescenti pesti, ac morbo invalescenti occurreretur; cum, quod nostri officii erat, id considerate ac diligenter per nos fuerit effectum, (siquidem sacræ Theologiæ ac utriusque juris professoribus in consilium vocatis, ac rebus omnibus, una cum Fratribus nostris diligenter excussis & examinatis, præfati Martini, ejusque sequacium falsos ac damnabiles errores damnavimus, eorumque auctores ipsos tamquam morbidas pecudes, ne totum gregem corrumperent, exclusimus, ac censuras & pœnas Ecclesiasticas denuntiavimus prius, deinde etiam inflIximus, adeo ut nihil superesse videatur, nisi ut quorum est hæc potestas, mandata hi nostra executioni debitæ mandari procurent) mente nostra revol-

revolventes, neminem ex omnibus Regibus & Principibus Christianis esse, ad quem magis quam ad Celsitudinem tuam pertineat, nobiscum pro Catholicæ Fidei veritate laborare, opportuneque providere, & quod veteres Catholici Imperatores tam e Græcia, quam Germania, non solum exilio & pœnis, sed suis etiam sacratissimis legibus omnes a Catholicæ Religionis tramite deviantes hæreticos censeri, ac ei hominum generi nihil ex rationibus, nihil ex legibus commune cum ceteris, publicumque hoc crimen esse, decrevere; quia quod in religionem divinam committitur, in omnes committi, ac omnibus injuriam inferri videtur, & eos qui talia præsumerent, in Romano solo commorandi non debere habere facultatem, quin imo nil his reliquendum loci esse, qui ipsis etiam elementis injuriam facerent, nec solum Hæreticorum personas, sed eorum libros ac monumenta persecuti, illa ignibus tradi mandaverunt, ne videlicet adeo facinorosæ perversitatis vestigia extarent aliqua, sed flammis combusta penitus ex hominum oculis & memoria tollerentur, ac immanem sceleris & sacrilegii magnitudinem par pœna sequeretur: hæc nos claræ memoriæ Prædecessorum tuorum facinora egregia, plena sapientiæ & veræ pietatis, de quorum gloria nulla unquam ætas conticescet, nobis ante oculos proponentes, ac cum tua Celsitudine conferentes, spe certa sumus; quos tu cœlestis erga te benevolentiæ donis vicisti, eos etiam pietate in Deum, & omni virtute superaturum. Quem enim unquam Deus sua mirabili providentia tam virenti ætate ad sum-

mum imperium vocavit ? cui largius & in honore & in judicio indulsit unquam ? quem majoribus & firmioribus surgere fundamentis, & niti ad amplissimam laudem sperandam voluit ? Accinxit te terrenæ potestatis supremo gladio ; quem frustra profecto ferres, juxta Pauli Apostoli sententiam, nisi eo uterere, cum adversus infideles, tum adversus infidelibus multo deteriores Hæreticos. Hac ergo tuæ magnitudinis, qua, ut imperio, ita pietate maxima debes, spe freti ; tibique in memoriam reducentes, hanc primam esse oblatam occasionem declarandi, quam tibi unitas & quies Catholicæ Ecclesiæ cordi sit, Celsitudinem tuam hortamur in Domino, & per viscera misericordiæ Dei omnipotentis requirimus, ut eorumdem more Prædecessorum tuorum, qui Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris in rebus dubiis ac periculosis semper astiterunt, velis tanquam Princeps Catholicus, & de quo omnia, quæ per te pro Fidei Catholicæ exaltatione præstari possunt, nobis promisimus, cum debita executione litterarum declaratoriarum sententiarum nostrarum, nobiscum, ut decet, convenire, & ut omnibus Christifidelibus id innotescat, per tuum generale edictum in omnibus civitatibus & locis Germaniæ publicari curare, eumdem Martinum, & alios Hæreticos ei adhærentes, ac ejus fauturos & receptatores, ipsiusque perversitatem sequentes, illis pœnis, quæ in litteris nostris contra eos decretæ fuerunt, nisi resipiscant, plecti jubendo, ac civitatum rectoribus & provinciarum tuarum moderatoribus, earumdem apparitoribus, & aliis officialibus, sub pœnis,

nis, de quibus tibi videbitur, mandare, ut per publicum edictum omnibus declarent atque significent, se contra eumdem Martinum. ac Hæreticos ipsos damnatos, ei adhærentes; eorumque fautores, juxta litterarum nostrarum tenorem esse processuros. Præstabis enim in hoc Salvatori nostro Jesu Christo obsequium in primis acceptissimum, propter quod diffusius extollet gloriam tuæ Majestatis & famam, quæ etiam in posteros tuos cum laude maxima descendet, & ultra æternæ vitæ præmium, quod exinde tibi proveniet, reperies nos & hanc sanctam Sedem Apostolicam ad omnia quæ honorem & statum tuæ Celsitudinis concernere poterunt, omni cum benedictione promptos. Datum Romæ apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XVIII. Januarii MDXXI. Pontificatus nostri anno 8.

Jacobus Sadoletus.

LXXII. CARDINALI EPISCOPO NOBILI.

INtelleximus ex litteris dilectorum filiorum Marini Caraccioli & Hieronymi Aleandri Nuntiorum nostrorum, qua virtute Nobilitas tua in causa non solum nostra, Sedisque sanctæ Apostolicæ, sed universæ jam Fidei Christianæ, adversus eam violare conantes se gesserit, & quemadmodum suam pietatem & prudentiam contra impios & seditiosos homines pro unitate Christiani corporis conservanda se opposuerit; quod profecto nobis auditu fuit gratissimum: & licet huic tuo operi atque officio præmii locus in cœlo & apud Deum omnipotentem dignior & major comparatus

ſit ; tamen nos quoque agimus tuæ Nobilitati magnas in Domino gratias, hancque actionem tuam digniſſimam tua virtute, & in Deum ſummum vere Chriſtiana pietate, omni laude commendamus ; quodque eſt reliquum, hortamur eamdem tuam Nobilitatem in Domino, ut ſuſceptam ſemel Fidei ſanctæ Catholicæ, & ejus cui Deo dante præſidemus Sedis Apoſtolicæ propugnationem, pari virtute & conſtantia in poſterum tueare ; ut ſi fieri poteſt, etiam iſti qui & Deum, & communem pacem unitatemque Chriſtianam diſcindere quærunt, ad ſalutarem pœnitentiam converſi, veniam admiſſi erroris promereantur, aut ſi maligno ſpiritu obcæcati in pravitate perſiſtent ; ne contagione noceant, a bonis mentibus fidelium arceantur. Quod apud ſummum Deum tibi fructuoſum, apud omnes homines tibi futurum eſt glorioſum, nobis vero ſupra omnia gratiſſimum ; ſicut latius cum Nobilitate tua dilecti filii Martinus Caracciolus & Hieronymus Aleander notarii & nuntii noſtri, vel alter eorum noſtro nomine aget, quibus plenam fidem habebis. Datum Romæ 25. Febr. 1521. anno octavo.

Cardinalibus.
Nobilibus.
Quatuor Prælatis.
Quatuor aliis.

LXXIII. Nobili vel Prælato.

Dilecte Fili &c. Litteris Nunciorum noſtrorum, teſtimoniiſque multorum ad nos perlatum eſt, Nobilitatem tuam in hac adver-

adversus Lutherum causa, in qua Catholicæ Fidei salus & veritas consistebat, tantam præstitisse virtutem, ac damnandis Martini erroribus, ipsoque pro hæretico, ut quidem est, reputando, ita religiose & graviter se gessisse, ut nos & Deo & tibi maximarum gratiarum debitores simus: Deo, quod is animum tuum sui sancti Spiritus igne ad defensionem veritatis accenderit; tibi, quod constantia & pietate tua dignum eidem Spiritui Sancto in tuo pectore domicilium præbuisti; hocque maxime necessario tempore contra impium furorem novæ debacchantis hæreseos, & auctoritatem tuam omnem, & prudentiam opposuisti. Quod cum virtute tua & nobilitate dignum, tum isto ipso charissimo in Christo filio nostro Cæsare fuit dignissimum, cujus ut honor maximus, sic pietatis laus in hoc opere sanctissimo præcipua fuit. Ac nos quidem memoriam tanti tui officii perpetuam in animo retinebimus; ipse autem Deus spectator idem & remunerator bonorum operum, cui hæc a te opera navata est, & cui multorum fidelium animæ per te sunt vel servatæ vel redditæ, ea tibi præmia large conferet, quæ sunt omnibus humanis cogitationibus majora. Nunc quod reliquum est &c. *ut in Brevi Electorum*.

LXXIV. Marchioni Brandeburgensi.

Dilecte Fili &c. Agimus Nobilitati tuæ denuo gratias; quod officium sæpe jam præstitimus, & ut videtur sumus præstituri: cum, si tua eximia in hanc sanctam Sedem & universam Fidem Catholicam quotidianaque

merita expendantur, nulla videatur oratio præstantissimæ tuæ virtuti ac pietati reperiri posse par. Et quidem in officio, quod ad communem Christianæ Reip. pertinet salutem, ita se gerit tua Nobilitas, ut facile appareat, multum te in eo amori quoque nostro tribuere, & ei quam erga nos geris benevolentiæ. Sed etsi probris & contumeliis hominum, omnia uno incendio, & fidem & pacem & communem concordiam dissipare volentium, quotidie persona nostra impetitur; minus multo id ægre ferimus, quam quod venenatis eorum & sermonibus & scriptis bonæ & piæ mentes in unitate sanctæ Fidei perturbantur: ut si omnis eorum furor in odium nostri erumperet, nec divinam causam violare pergeret; quam eis libenter ignosceremus, quam lætaremur, occasionem oblatam exercendæ nostræ & benignitatis, & clementiæ? Sed in Dei honore, in Fidei sanctæ Catholicæ causa, si severe & acriter aut egimus aut sumus acturi, non id hominum etiam inimicissimorum odio, quos & nos ipsi salvos esse cupimus, sed nostro urgente officio est faciendum; quamquam illis brevis ad salutem via parata est pœnitentia. Verum, quod nobis scribentibus fuerat propositum, & gratias tuæ Nobilitati maximas agimus, & ut obnitaris tua ista singulari auctoritate & prudentia, ad extinguendum, quoad licitum fuerit, incendium, tuam Nobilitatem plurimum in Domino hortumur; sicut cum eadem dilecti filii Nuncii nostri agent, quibus fidem omnem habebit. Datum Romæ 16. Martii 1521. Anno octavo.

Simile Moguntino Cardinali.

LXXV. Of-

LXXV. Officiali Trevirensi (a).

Dilecte Fili &c. Ex litteris nostrorum, & præterea multorum isthinc nunciis cognovimus, qua tua devotio virtute, qua constantia, Spiritus certe sancti afflata ardore, impiam Martini Lutheri & mentem & sententiam confutaverit, ipsumque & Patrum, Majorumque nostrorum, & sanctissimorum Oecumenicorum conciliorum decretis, sanctionibus, institutis impudenter ac temere derogantem, aptis & expeditis interrogationibus ita irretierit, ut jam omnibus apparere incipiat manifesto, eum innovare omnia voluisse, non ut corrigeret, sed ut perturbaret populum sanctum Dei, & tamquam minister Satanæ rectum dogma Catholicæ observantiæ ad perniciem animarum, & suam nimis gloriæ cupiditatem perverteret. Quæ res, utpote tanta virtute & pietate gesta, quantam horum temporum gravitas & commune Reip. periculum postulabat, etsi Deum omnipotentem & laudatorem simul & remuneratorem habitura est, nobis tamen ita grata accidit, tanta eam cum lætitia audivimus, ut possimus Devotioni tuæ affirmare, nihil nos nec jucundius hoc tempore, nec, ut etiam arbitramur, ad communem omnium fidelium salutem accomodatius accipere potuisse. Si enim huic sanctæ Sedi Apostolicæ, cui divina providentia præsidemus, omnia debentur a nobis; gratissimam habeamus necesse est ejus per te susceptam propugnationem: si vero pro Catholica veritate tuenda & pro grege nostro a laqueis Satanæ liberando, & omnia perferre

(a) Joanni ab Eck.

quamvis aſpera & gravia, & mori etiam poſſumus; quo accipiemus gaudio talem per te publicæ ſaluti navatam operam, ex qua aditus factus ſit ad hanc immanem peſtem ex cordibus & mentibus Chriſtiani populi excindendam? Quod cum ita ſit, reſque Deo auſpice bene cœpta, per tuam virtutem & chariſſimi in Chriſto filii noſtri Cæſaris animi excellentiam, ceterorumque Procerum rectam voluntatem, ad ſuum ſperatum finem directa ſit; te non ſolum vehementer commendamus in Domino, ſed inſuper gratias agimus: quamquam te volumus in toto hoc negocio non nos ipſos gratiamve noſtram, ſed Deum & Dei Fidem & Reip. ſalutem intueri. Verum hæc quoque acceſſura ſunt; quæ ita nobis in animo ſunt infixa, ut donec tuam egregiam virtutem aliquo noſtræ liberalitatis inſigni teſtimonio non ornaverimus, non ſatis videamur eſſe quieturi; ſicut latius tecum Nuncii noſtri noſtro nomine loquentur, quibus fidem habebis. Datum in villa noſtra Malliana die prima Maji 1521.

LXXVI. CÆSARI.

CHariſſime &c. Cum in hac Catholicæ Fidei cauſa te advocato hujus ſanctæ Sedis adverſus impias opiniones novorum hæreticorum, ac filium præcipue iniquitatis Martinum defendenda, ea expectaremus de tuæ Majeſtatis animo atque judicio, quæ de maximo Principe & præſtantiſſimo Cæſare poterant expectari, fatebimur tamen verum; longe vicit virtus tua noſtram expectationem. Ita enim ad nos omnium conſtanti voce per-

latum

ſatum eſt, tantam in te gravitatem, tam admirabilem inſignemque ſapientiam, tantum in te extitiſſe ſervandæ & cuſtodiendæ ejus, quam a Deo & patribus noſtris accepimus, Religionis ſtudium, ut omnibus manifeſte apparuerit, Deum tibi comitem, & Dei ſpiritum tuis optimis conſiliis adfuiſſe. Res igitur acta per te omnibus ſæculis memorabilis, exemplum ſalutare. Ceteros enim cernimus, auctoritatem tuam in damnanda perfidi hominis contumacia facile ſecutos. Qui modus? aut quonam hæc a te ſtudio geſta ſunt? quæ magnitudo animi? quæ conſtantia? cujuſmodi erga Deum pietas, digna quidem Cæſare, ſed ſummo & optimo Cæſare? Domine ſalvum fac Regem hunc, & exaudi nos in die qua invocamus te. Quid quod tute decretum tuum conſcripſiſti, altis illis & magnificis verbis exorſus; decere te, ex Ducibus, Archiducibus, Regibus, Imperatoribuſque oriundum ſimilia illis, in Dei omnipotentis honorem & fidei ſuæ ſanctæ ſalutem, agere, nec Majoribus tuis deeſſe. Scilicet hoc non eſt eſſe ſimilem, ſed longe virtute antecedere. Non enim jam te ex Majorum tuorum exemplo cohortabimur, ſed hæc erit animi tui & virtutis excelſitas, in univerſam poſteritatem omnibus Principibus exemplo. Nos quidem, qui novo quodam amoris affectu erga Majeſtatem tuam incitati ſumus, deprecantes tibi apud omnipotentem Deum omnia proſpera & glorioſa, gratias tibi agimus pro tuo officio tanto, non quas debemus; id enim eſt infinitum, ſed quantas animo capere aut verbis referre poſſumus maximas: quod & perpetuo acturi ſumus, id ſupra omnia de-

ſiderantes, ut aliqua ſeſe nobis offerat occaſio, ut quid de tua ſingulari natura ſentiamus, quantumve tua cauſa cupiamus, poſſimus tibi memorabili aliquo facto declarare; quod tamen Deo auſpice futurum confidimus. Sed & de his omnibus, & quam optemus, Majeſtatem tuam quæ bene cœpta ſunt ad ſalutarem finem deducere, ſcribimus Nuntiis noſtris, ut cum Majeſtate tua noſtro nomine communicent; quibus illa fidem habere dignabitur. Datum Mallianæ die 4. Maji 1521. anno nono.

Gratias tibi quas poſſumus habemus, Redemptorem noſtrum humiliter deprecantes, tibi concedat proſpera cuncta, impleat ſancta deſideria, tribuatque Majeſtati tuæ ſimilem ſemper animum, & parem virtutem.

Verba manu propria SS. D. N.

LXXVII. ELECTORI.

Ex litteris quoque Nunciorum, teſtimoniiſque multorum, tum ipſa in primis fama divulgante, quæ nullum clarius factum latere ſinit, ad nos perlatum eſt, Nobilitatem tuam in hac cauſſa, in qua Catholicæ fidei ſalus & veritas conſiſtebat, tantam præſtitiſſe virtutem, ac damnandis erroribus Martini Lutheri, ipſoqne pro hæretico, ut quidem eſt, reputando, tantam adhibuiſſe & religionem ſimul & prudentiam, ut certe Deo gratias agere maximas debeamus, quod talis viri Prælatique animum ſui ſancti Spiritus igne afflaverit, ejuſque conſtantiam & pietatem maxime neceſſario tempore pro ſuæ ſanctæ Fidei candore conſervando contra impium

pium furorem novæ debacchantis hæreseos ſtare voluerit; quod quidem dignum tua præſtanti virtute, dignum hoc quem geris honore, *dignum genere & Majoribus tuis*; ſed in primis iſto ipſo chariſſimo in Chriſto filio noſtro optimo, religioſiſſimoque Cæſare digniſſimum, cujus ut honor maximus, ſic pietatis laus eximia fuit. Vincit profecto facultatem & vim noſtram, ut vix te pari laude celebrare, vix idoneas gratias agere poſſe videamur. Sed nos memoriam tanti tui beneficii perpetuam in animo retinebimus; ipſe autem Deus ſpectator idem & remunerator bonorum operum, cui hæc a te opera navata eſt, & cui multorum fidelium animæ per te ſunt vel ſervatæ vel redditæ, is te profecto jam largis præmiis illuſtrabit; ut quotidie magis perſpecturus ſis, nulla re uberiores percipi fructus, quam vera pietate, & Dei legum mandatorumque obſervantia; quamquam nec nos, ubicumque locus nobis datus fuerit, Nobilitati tuæ deerimus. Nunc, quod reliquum eſt; quoniam falſis & peſtiferis opinionibus damnatis, hominis impii perverſitas & pertinacia frangenda eſt, ipſeque acrius inſequendus, ut nefario fomite errorum ſublato, qui abducti in pravum ſenſum, Satanæ perfidia ſunt, ad veritatis regulam & viam reducantur, hortamur Nobilitatem tuam in Domino, & per viſcera miſericordiæ Dei noſtri obſecramus, ut ſemel ſuſceptam hujus pernicioſæ labis a grege fidelium propulſandæ curam, provinciam, actionemque ad exitum perducas; inſteſque omni tua opera, auctoritate, diligentia, ut peſtilentis hominis, eorumque, qui cum eo ſenſerint

ferint pervicaciter, impietas nullum amplius locum inter fideles Dei inveniat, sed vel exterminata ex omni Germania, vel pœna affecta suo exemplo doceat omnes, non esse a more Majorum divinitus instituto, nec a PP. & sanctorum Doctorum sanctionibus discedendum: (a) *quod etiam tibi aliquanto studiosius elaborandum est, quod in corde & visceribus status, dominiorumque tuorum, te quidem ut cernimus invito, hoc ulcus enatum latius in perniciem Catholicæ fidei manavit, cui tu pro tua singulari sapientia in primis debes providere.* Qua in re Nobilitas tua, & in honorem summi Dei publicæ saluti Christiani populi prospexerit, & se dignissimum nobisque gratissimum effecerit, sicut cum ea latius Nuncii iidem nostri nostro nomine agent, quibus fidem adhibebit. Datum Mallianæ 4. Maii 1521. Anno nono.

LXXVIII. Confessori.

Dilecte Fili. Gratum est nobis, debere tibi quotidie novas gratias, ut etiam referre possimus: sic enim tua virtus, fides, religioque mereretur. Nam quod optimo animo, quod præstantissima pietate, quod singulari in Catholicam fidem & sanctam Sedem Apostolicam voluntate est Cæsar; provenit id quidem a Deo potissimum, & ab illius optima religiosissimaque natura; sed & tuæ

(a) Notat P. Lazeri quod in cod. Biblioth. Colleg. Rom. hæc legitur adnotatio: *verba quæ sequuntur, & adnotantur, addita tantum sunt in litteris ad Ducem Saxoniæ.*

tuæ partes in cohortando non exiguæ fuerunt. Itaque tantum ille Christianæ Reip. damnanda Lutheri impietate præstitit, tam magnifice atque præclare auctoritatem suam ceteris exemplo esse voluit, ut nihil majus sit, quod a maximo Principe expectare possimus. Agimus igitur sublatis manibus in Cœlum & Deo, & illi, & Devotioni tuæ ingentes gratia, quas referet tibi quidem Deus, sed & nos tuorum officiorum erga nos memoriam sumus perpetuam in animo nostro conservaturi. Cernimus enim & cognoscimus, quantum tu elaboraveris, qua cura, quo studio, quanta diligentia fueris adnixus, ut ingens malum perniciosæ hæresis, quæ sensim Germaniam omnem, tamquam pestilentia quædam inficiebat, ipso auctore damnato, comprimeretur, Satanæque per hunc modum in fidelium greges grassanti, pessimorum hominum ministerium surriperetur. Quæ quoniam a te, Deo auspice, cœpta, & magna ex parte confecta sunt, de reliquo etsi non es hortandus; satis enim te eadem virtus tua religioque adhortatur; tamen Devotionem tuam hortamur in Domino, ut pergere eadem constantia, palmamque fractæ & penitus exterminatæ impietatis quærere tibi apud Deum & universum populum Dei non postponas: in quo quid tua virtus efficere possit, scimus; de optima voluntate non dubitamus. Certe id quod intelligere potes ipse, erit hoc tuum tibi officium & apud Deum fructuosum, & apud homines gloriosum; nobis vero ita gratum, ut quantum Devotioni tuæ pro eo debeamus, loco & tempore simus declaraturi: sicut latius tecum Nuntii nostri nostro nomi-

nomine agent, quibus fidem habebis. Datum Mallianæ die 4. Maii 1521. Anno nono.

LXXIX. TUDENSI.

VEnerabilis frater &c. Præter nomen virtutis & litterarum, quo fraternitati tuæ jampridem eramus affecti, cum intelligeremus te egregia quadam ingenii & doctrinarum laude florere, accedit duplex jam officium, ut de tua in summum Deum pietate, in nos, hancque sanctam Sedem observantia judicare liquido possimus. Nam in hac labe pestifera, quæ per impietatem & scelus Lutherianum, in gregis nobis crediti perniciem latius manabat, cum talium virorum, qualis es tu, præsidio in primis Christiana egeret Resp. suscepisti tu munus non solum agendi & pro Catholica Fide laborandi, quod tibi commune fuit cum multis, sed etiam contra impios pro defendenda vetere religionis observantia, scribendi; in quo præcipuam certe laudem, & a nobis ipsis, & omnium eruditorum judicio es consecutus. At nos cum illam quidem præclaram orationem tuam libenter legimus, tum hæc novissima lætissime accepimus, te, ut Martini hæretica pravitas & perfidia totius concilio Germaniæ damnaretur, isque pro hæretico reputaretur, omni tua opera & consilio, gratia, auctoritate contendisse: pro quo sanctissimo opere & labore tuo agimus fraternitati tuæ magnas gratias. Fecisti enim quod te dignum, quod virtuti tuæ, & isti quam obtines dignitati, consentaneum; sed idem Deo acceptissimum, nobis gratissimum, qui hoc nunquam ex animo

mo & ex memoria noſtra amiſſuri ſumus. Itaque & noſtra tibi prompta voluntas & benignitas in omni occaſione futura eſt parata. Nunc quod ſupereſt, quoniam ut exareſcant rivi omnes errorum, fons ipſe impietatis penitus excindendus eſt, hortamur fraternitatem tuam in Domino, ut quam adhibuit virtutem a principio, eamdem deducat ad extremum; ut jam omnium confeſſione nefarii & contumacis hæretici Martini nec nomen nec veſtigium inter fideles populos in Germania conſiſtat: in quo optimum & conſtantiſſimum habemus Cæſarem; ſed & tua auctoritas non mediocri adjumento Chriſtianæ Reip. eſſe poteſt, ut quidem jam fuit. Quod ſupremum jam in cauſa hac officium tuis priſtinis multis & actionibus & officiis ſummi meriti cumulum adjecturum eſt; ſicut cum fraternitate tua copioſius Nuntii noſtri noſtro nomine agent, quibus fidem habebit. Datum Mallianæ 4. Maji 1521. Anno nono.

LXXX. Georgio Duci Saxoniæ.

Dilecte filii &c. Etſi non dubitamus Nobilitatem tuam qua cœpit virtute in cauſa, & Fidei Catholicæ, & S. R. E. adverſus impietatem eorum, qui & novas excitare hæreſes, & veteres ac damnatas revocare conantur, defendenda, eadem uſque ad extremum perſeveraturam; viſum tamen fuit nobis nunc cum tempus maxime opportunum adeſt, operam & auctoritatem tuam ut adhiberes ad refellendos impetus iſtorum, qui præ ſua & ambitione & iniqua iracundia pacem perturbare, zizania ſeminare, omnia acer-

acerbo incendio permiſcere contendunt, has denuo ad Nobilitatem tuam ſcribere litteras, teque in Domino vehementer exhortari, ut cum priſtinam tuam virtutem atque prudentiam, tum veterem laudem Majorum tuorum, quorum in hanc ſanctam Sedem ſemper præclara extitit voluntas, in hoc maxime facto, hoc præcipue tempore, Concilio totius Germaniæ procerum coacto, expromere, & perſpicuam omnibus facere, ac cauſam S. R. E. conſtanter tueri adverſus malignitatem & iniqua conſilia novorum hæreticorum velles; ut præter cauſam Fidei, in cujus ſinceritate atque unitate ſalus omnium noſtrum conſiſtit, communis etiam pax atque concordia, te quoque auctore & defenſore incolumis conſervetur: quod certe digniſſimum ea qua fulges & animi & generis nobilitate, Deoque acceptiſſimum futurum eſt; nobis vero, qui tuæ Nobilitati ex animo ſemper favimus, gratiſſimum; ſicut tecum latius dilecti filii Marinus Caracciolus & Hieronymus Aleander notarii & nuncii noſtri, noſtro nomine agent, quibus ſummam fidem Nobilitas tua habebit. Datum Romæ die XVI. Maji 1521. Anno VIII.

LXXXI. Dilectis Filiis Chieregato et Hieronymo de Medicis Canonicis Concordiensibus, vel eorum alteri.

LEO PAPA X.

Dilecte fili Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Contulimus nuper dilecto filio Franciſco Chieregato decretorum Doctori cubi-

cubiculario nostro Parochialem Ecclesiam S. Vitalis Villæ.... Concordiensis Dioecesis, per obitum bonæ memoriæ Joannis Episcopi Catanensis, illius dum viveret ultimi commendatarii, extra Romanam Curiam defuncti, vacantem, nostræque & Apostolicæ Sedis dispositioni reservatam, prout in aliis nostris sub plumbo conficiendis litteris plenius explicabitur. Cupientes autem ut hujusmodi nostræ provisiones suum ut par est consequantur effectum, ac providere volentes, ne dum litteræ sub plumbo hujusmodi expediuntur, possessio dictæ Ecclesiæ per quempiam occupetur indebite, illiusque fructus distrahantur & dissipentur, vobis per præsentes committimus & mandamus, ut ipsius Ecclesiæ possessionem fructusque, redditus, ac proventus, auctoritate nostra, nomine dicti Francisci quam citius capiatis & conservetis, neminique, præterquam eidem Francisco, vel ejus legitimo Procuratori, cum primum litteras sub plumbo, ut effertur, istuc miserit expeditas, relaxetis & consignetis, contradictores per censuras Ecclesiasticas, & alia juris remedia compescendo. Datum Romæ apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 26. Septembris 1513. Pontificatus nostri anno primo.

Petrus Bembus.

LXXXII. LEO PAPA X.

UNiversis & singulis ad quos hæ nostræ pervenerint salutem & Apostolicam benedictionem. Cum in præsentia contingat, dilectum filium Franciscum Chieregatum, civem

vem Vicentinum, notarium & cubicularium noſtrum in patriam & ad nonnulla alia loca, ob quædam noſtra & ſua negotia proficiſci; cupientes illum privilegiis, gratiis & immunitatibus, quibus ceteri familiares noſtri potiuntur & gaudent; pariformiter potiri & gaudere; univerſitatem veſtram & veſtrum ſingulos hortamur, civitatum vero & locorum noſtrorum gubernatoribus, locatenentibus, caſtellanis, officialibus, armigeris, ſubditiſque noſtris tenore præſentium mandamus, ut ipſum Franciſcum cum duobus aut tribus famulis, equis, valiſiis, bulgiis, aut quibuſcumque aliis ſarcinulis, ac rebus ſuis, abſque alicujus datii, gabellæ, bulletiarum, aut cujuſvis oneris ſolutione, per quaſcumque civitates, terras, caſtra, loca, paſſus, pontes, & portus, tam ſuos quam noſtros, libere & ſine impedimento ire, morari, tranſire, & redire permittant, ac eumdem benigne tractent, eique ſi opus fuerit, & ipſe duxerit requirendum, de ſcorta & ſalvo conductu provideant: quod erit nobis gratum. Datum Romæ apud S. Petrum ſub anulo Piſcatoris die primo Maji 1514. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Jac. Sadoletus.

LXXXIII. Carissimo in Cristo filio nostro Henrico Angliæ Regi illustri.

LEO PAPA X.

Cariſſime in Chriſto fili noſter ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Dilectum filium Franciſcum de Clericatis cubicularium no-

nostrum & Apostolicæ Sedis notarium, ac juris utriusque doctorem ad Majestatem tuam mittendum duximus, eamdem ex animo & enixe rogantes, ut pro tua in nos, & hanc sanctam Sedem devotione ac reverentia dilectum filium Polidorum in collectoria istius incliti regni nuper officialem nostrum, quem deliquisse non credimus, & si quid deliquit, quod certe nondum intelleximus, per alias nostras id nobis petivimus condonari, libertati & gratiæ pristinæ reddere, & Collectoriæ domum & reliqua exportata restitui mandare velit; ac in primis dilectum filium nostrum Hadrianum tituli S. Chrysogoni Presbyterum Cardinalem Bathoniensem, qui nobis ob singulares ejus virtutes, doctrinam, & insignia in nos & istam Sedem merita charissimus & acceptissimus est, & qua potest opera, studio, laudibus, ac sedulitate, ut aliis nostris scripsimus, de Majestate tua, ac toto ejus regno benemereri nunquam desinit, omni benevolentia prosequi & confovere velit, quod certe erit Majestate tua dignum, ac nobis ita gratum, ut gratius profecto esse nihil possit. Existimabimus enim, quicquid favoris, gratiæ, & beneficii eidem Cardinali conferetur, id omnino in nostram propriam personam esse collatum; quemadmodum Majestas tua ab ipso Francisco coram latius intelliget. Datum Florentiæ sub anulo Piscatoris die 1. Decembr. 1515. Pontificatus nostri anno tertio.

Jac. Sadoletus.

LXXXIV. LEO

LXXXIV. LEO PAPA X.

UNiversis & singulis ad quos præsentes pervenerint salutem & Apostolicam benedictionem. Cum dilectus filius Franciscus de Chieregatis cubicularius noster & Apostolicæ Sedis Protonotarius, & juris utriusque doctor de commissione nostra in Galliam & Angliam iturus sit; nos, prout æquum & rationi consonum est, dignum reputamus, ut præfatum Franciscum singulari prærogativa prosequamur. Idcirco Devotionem vestram & vestrum singulos hortamur & requirimus; subditis vero nostris, & gentium armorum capitaneis ac ductoribus, necnon officialibus quibuscumque expresse præcipiendo mandamus, ut pro nostra & Apostolicæ Sedis reverentia eumdem Franciscum cum comitiva sua usque ad numerum quinque, per omnes civitates, terras, oppida, & loca, tam vestra, quam nostra, necnon passus, portus & pontes quoslibet absque ulla gabella datii, pedagii, portorii, fundinavis, aut cujusvis alterius indicti vel indicendi oneris solutione, ire, transire, morari, redireque permittatis, non inferendo eis ullam in personis vel bonis directe vel indirecte, quovis quæsito colore vel causa, molestiam sive impedimentum, & tales vos omnes & singuli cum præmissis vos geratis, ut apud nos & eamdem Sedem Apostolicam valeatis non immerito commendari. Datum Florentiæ sub anulo Piscatoris die 11. Decembris 1515. Pontificatus nostri anno tertio.

Jac. Sadoletus.

LXXXV. LEO

LXXXV. LEO PAPA X. (a)

Dilecto filio Francisco Chieregato nuncio, notario, & cubiculario nostro. Dilecte fili salutem & Apostolicam benedictionem. Intelleximus te certis de causis distulisse trajicere in Angliam, sicuti tibi pro certis nostris, & dilecti filii nostri Hadriani tituli S. Chrysogoni Presbyteri Cardinalis Bathoniensis negotiis peragendis, nuper mandavimus. Quare volumus, ut in illud regnum quam primum transeas, & quæ tibi commissa sunt diligenter exequaris, nec inde recedas, donec aliud a nobis aut ab ipso Cardinali habueris in mandatis. Datum Romæ apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 12. Martii 1516. Pontificatus nostri anno tertio.

Jac. Sadoletus.

LXXXVI. Dilecto filio Francisco Clericato Notario et Nuncio nostro.

LEO PAPA X.

Dilecte fili salutem & Apostolicam benedictionem. Vidimus quæ ad dilectum filium nostrum Hadrianum tituli S. Chrysogoni Cardinalem Bathoniensem nuper scripsisti, placuitque admodum intellexisse, te tam benigne & humaniter a dilecto filio nostro Thoma (b) tituli S. Cæciliæ Presbytero Cardinali visum & exceptum esse, ipsumque Cardinalem tam bene dispositum esse erga res & negotia ipsius Cardinalis Hadriani: nec enim aliter de

(a) Vid. ep. 83.

(b) Vulceo Eboracen.

de ejus Circ. quæ manuum nostrarum factura est, & præclaris virtutibus pollet, existimari poterat. Laudamus in omnibus diligentiam tuam, hortamurque, ut in eo perseveres, & ad ipsum Cardinalem crebro de iis quæ ad ipsum pertinere visa fuerint perscribas, & negotia ipsius Cardinalis quæ tibi committentur, solita fide procurare studeas; in quibus nobis quoque apprime satisfacies. Datum Romæ apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die x. Maii 1519. Pontificatus nostri anno quarto.

Bembus.

LXXXVII. PRO FRANCISCO CHEREGATO.

LEO PAPA X.

UNiversis & singulis, ad quos hæc nostra pervenerint, salutem & Apostolicam benedictionem. Mittimus in Hispaniam dilectum filium Franciscum Cheregatum, juris utriusque Doctorem, Notarium, & familiarem nostrum, hominem nobis ob probitatem aliasque ejus virtutes admodum probatum & gratum, nonnulla negotia apud charissimum in Christo filium nostrum Carolum Hispaniarum Regem Catholicum nostro nomine curaturum. Nos cupientes eidem Francisco tutum & liberum iter ubique patere, Devotionem vestram hortamur in Domino, subditis vero nostris & gentium nostrarum armigerarum Capitaneis, & ductoribus, militibusque ad nostra & S. R. E. stipendia militantibus districte præcipiendo per præsentes mandamus,

qua-

quatenus præfatum Franciſcum cum ſociis ſive familiaribus ſuis uſque ad numerum quinque, tam equeſtribus, quam pedeſtribus, necnon cum bulgiis, valiſiis, ſarcinis, & eorum bonis quibuſcumque per civitates, terras, oppida, & loca, foſſas, portas, & pontes, tam noſtra quam veſtra, terra marique, abſque ulla datii, gabellæ, portorii, fundinavis, aut cujuſvis, quacumque de cauſſa indicti vel indicendi oneris ſolutione, ire, tranſire, manere, redire libere permittatis; eumdem demum, ejuſque ſocios, & familiares intuitu noſtro, ita benigne, liberaliterque tractetis, ut apud nos, & ſanctam hanc Sedem merito in Domino commendari poſſitis. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris die ultimo Novembris 1519. Pontificatus noſtri anno ſexto.

Jac. Sadoletus.

LXXXVIII. Dilecto filio Francisco Chieregato Notario et Commissario nostro.

LEO PAPA X.

Dilecte fili ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex tuis ad nos litteris agnovimus, quo honore iſta Catholica Majeſtas, pro Sedis Apoſtolicæ reverentia, te receperit, quove affectu atque humanitate promiſerit, ſe eam cauſam ob quam te deſtinavimus ſuper Aoripaldi Marchionatu, pro dilectis filiis Roberto & Camillo de Urſinis, noſtris ſecundum carnem affinibns cito & favorabiliter expedituram, noſtroque tam pio, quam

justo desiderio satisfacturam ; quod quamquam pro explorato habuissemus, ob ejusdem Majestatis perpetuum erga justitiam cultum & erga nos observantiam ; quia tamen ea res nobis, ut scis, valde cordi est, teque nos propterea quod tua opera aliis in rebus uti volumus, quanto citius regredi cupimus ; tibi tenore præsentium enixe injungimus, ut apud eamdem Majestatem nostro nomine denuo, atque sæpius instare non cesses pro ejus negotii celeri & favorabili expeditione, eidemque Majestati planum facias, nos hanc rem ita enixe cupere, ut præterquam Majestas suæ justitiæ & fidei avitæ satisfaciet, nobis etiam rem quam gratissimam sit factura. Datum Pali Portuensis Diœcesis sub anulo Piscatoris die 12. Februarii 1519. Pontificatus nostri anno sexto.

Jac. Sadoletus.

LXXXIX. Dilectis filiis Francisco Clericato Notario et Octavio Ursino Commissariis nostris.

LEO PAPA X.

Dilecti filii salutem & Apostolicam benedictionem. Cupientes eos tumultus, qui his ipsis diebus in terra nostra Fabriani nequaquam publico, ut audimus, consilio, sed aliquorum temeritate exorti sunt mature coercere, & adhibita paterna cura sedare ; ac vestræ virtuti, prudentiæ, integritati cum Domino plurimum fidentes, nec dubitantes, quin ea quæ vobis commiserimus recte & cum laude

laude exequamini; vos Commissarios nostros tenore præsentium facimus, constituimus, & deputamus, & in provinciam nostram Marchiam ad dictos tumultus sedandos proficisci mandamus, dantes vobis harum tenore amplam & omnimodam facultatem, simul & potestatem, omnibus tam Officialibus nostris, quocumque illi munere & titulo censeantur, quam etiam Communitatis Domicellis, Baronibus, singulis denique hominibus dictæ provinciæ Marchiæ, necnon gentium armigerarum nostris & S. R. E. capitaneis, ductoribus, militibus tam equestri quam pedestri militia, stipendia a nobis accipientibus mandandi, imperandi, & sub pœnis tam privationis & exilii, quam etiam pecuniariis, prout vobis videbitur, præcipiendi, ut vobis in omnibus quæ facienda duxeritis præsto sint omni subsidio, favore, opera; vosque eos convocare, cogere, armare, quocumque vobis visum fuerit vobiscum ducere, aut quo fuerit opportunius mittere ac destinare, quæ per illos exequi volueritis eis injungere, necnon necessitate ingruente, pro pace provinciæ & Status Ecclesiastici, si improborum temeritatem retundi oportuerit, ab ipsis Communitatibus auxilia armorum atque hominum petere, quos alicubi suspectos duxeritis in alias partes mittere, relegare; quos vobis & huic sanctæ Sedi fideles cognoveritis, eos debitis honoribus honestare, eis qui peccaverint, quatenus publico bono fieri possit, veniam promittere, si ad sanitatem redierint, eaque sub fide nostra firmare; si quæ fuerint onera populis imposita graviora æquo, de eis nos absentes certiores facere, ut nos cum

clementia & benignitate ſubditorum noſtrorum commodis conſulamus; denique omnia agere, exequi, ordinare, gerere quæ ad pacem & quietem dictæ provinciæ hujuſque ſanctæ Sedis honorem duxeritis opportuna, poſſitis & valeatis, earumdem præſentium tenore omnem vobis poteſtatem permittimus, omnia quæcumque aut noſtro nomine, aut veſtro conſilio in tali re feceritis, grata & rata habituri. Mandantes omnibus & ſingulis antedictis Prolegato, Gubernatoribus, Officialibus, Communitatibus, Domicellis, hominibus dictæ provinciæ, itemque gentium noſtrarum capitaneis, ductoribus, militibus tam equeſtribus quam pedeſtribus, ſub pœnis per vos præfigendis ac ſub gravis noſtræ indignationis, ac privationis omnium honorum, bonorum, & privilegiorum pœna; ut vobis & mandatis veſtris, non ſecus quam noſtris facerent, ſi nos præſentes imperaremus, obediant & pareant, vobis omni diligentia, fide, ſtudio, auxilioque aſſiſtant, recepturi a nobis & ſancta Sede Apoſtolica, ſi de ea bene meriti fuerint, dignum præmium. Vos ergo dilecti filii, ita vos in hac cura & adminiſtratione pro noſtro & hujus Sedis honore gerere ſtudeatis, ut veſtra virtus & diligentia apud Deum, noſque & ceteros omnes jure poſſit commendari. Datum Romæ apud S. Petrum ſub anulo Piſcatoris die 24. Decembris 1519. Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

Jacobus Sadoletus.

XC. Di-

umblätten

XC. DILECTO FILIO ERASMO ROTERODAMO. (a)

LEO X. PONT. MAX.

Dilecte fili ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Lætati admodum ſumus ex tuis ad nos literis Londini datis (b): pertulerunt enim cum amorem tuum, tum præclarum de nobis judicium, quod facis, quorum utrumque nobis gratiſſimum, hoc etiam erant ambo illuſtriora, quod non a quovis homine, ſed a viro doctiſſimo & nobis probatiſſimo, quem & in minoribus cognovimus, illa nobis accidebat gratulatio, quam ſumma ſcribentis fides, & ſumma eloquentia commendaret. Quapropter volumus tibi certo perſuaſum eſſe, nos alterum effecturos, ut virtutem & benevolentiam tuam erga nos ſingularibus noſtræ paternæ charitatis, occaſione oblata, excipiamus officiis: in altero conaturos, ut tuis egregiis de nobis judiciis ſtudia noſtra conſentiant: utinam autor ille

(a) Hæ literæ uti & quæ ſequuntur ad Henricum VIII. habentur inter Eraſmi ipſius Epiſtolas editionis Londinen. anni M. DC. XLII. iiſdemque locus eſſe debebat ſuperius poſt Epiſtolam XXXVI. pag. 51. Porro inter eaſdem Eraſmi Epiſtolas duæ aliæ extant Leonis X. & quidem perbreves ad eum datæ, quas idcirco omittendas duximus, quod in eis Sadoleti nomen ſubſcriptum minime reperiatur.

(b) Pridie ſcilicet calendas Aprilis ejuſdem anni M. D. XV. Habentur autem inter ejuſdem Eraſmi Epiſtolas edit. Londinen. lib. II. n. 3. col. 99.

summus bonarum non actionum solum, verum etiam mentium, qui nos nullis insignibus meritis ornatos, sola sua liberalitate & providentia ad hunc altissimum gradum produxit dignitatis amplissimæ, quemadmodum ea optare nos voluit, quæ ad optimum Christianæ Reipublicæ statum faciunt, & sunt idonea: ita etiam muniat, qua sit nobis expeditus cursus ad veram pietatem, atque virtutem inter homines instaurandam: & sunt adhuc quidem aliqua inchoata per nos, quæ tu amanter in tuis literis attingis, sed restant majora multa & difficiliora, ad quæ divino maxime opus est auxilio: quod si affuerit, dabimus operam, ut quo bene de nobis & natura nostra sentiunt, id vero judicio facere videantur. Verum hæc Deus misericordiæ viderit. Nos & volumina divi Hieronymi & novi Testamenti, tua cura elaborata, jucunda quadam cupiditate expectabimus, & promissum tuum, quo omnium studiorum tuorum fructus te nobis delaturum affirmas, in maximi muneris loco ducemus, in eoque gratiam tibi sumus habituri. Amamus autem multum hoc nomine venerabilem fratrem Archiepiscopum Cantauriensem; quod in tua virtute studiis suis confovenda, satis ipse egregium testimonium perhibet, & virtutis & dignitatis suæ. Nos tum communi studio nostro, & amore erga bonas litteras, tum præcipua quadam opinione virtutis & doctrinæ tuæ, desideramus admodum tuis ornamentis & commodis patere aliqua occasione liberalitatem nostram, sicut & nostra in te voluntas postulat, & virtus tua meretur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Pisca-

fcatoris, die decima Julii Anno M. D. XV. Pontificatus noſtri anno tertio.

Jac. Sadoletus.

XCI. Regi Angliæ Henrico ejus Nominis VIII.

LEO PAPA X.

CHariſſime in Chriſto fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Extat quoddam noſtrum ſtudium erga homines doctos & ejuſmodi literas, quæ & re ſunt ipſa, & appellantur bonæ, ac animi affectio prope ſingularis innata quidem nobis a pueris & domeſtica diſciplina confirmata, ſed ætate progrediente etiam judicio aucta: tum quod homines hoſce qui optimas artes & literas ſectantur, minime malos eſſe, integerrimaque fide præditos ſæpe jam experti ſumus: tum quod ab hac ſcientia, & ſanctæ Eccleſiæ doctorum eloquentia, ſcimus maxima non adjumenta modo, verum etiam ornamenta in Chriſtianam Rempublicam profecta fuiſſe. His cauſis adducti, diligimus admodum in Domino dilectum filium Eraſmum Roterodamum, quem inter primos hujus ſcientiæ atque artis eſſe judicamus: notum quidem nobis ex domeſtico congreſſu antea cum in minoribus eſſemus, ſed deinde longe magis ex eis ingenii monumentis, quæ literis mandavit non notum ſolum, verum etiam probatum. Is ad nos ex Anglia, ubi nunc commoratur, literas miſit pleniſſimas officii, nobis hoc etiam gratiores, quod afferunt ſecum ab illo teſtimonium Regiæ iſtius virtutis, & magnanimi-

ninitatis tuæ, qua commemoratione nihil nobis est pro nostra summa in Majestatem tuam benevolentia jucundius. Eum nobis visum est Majestati tuæ commendare. Neque illi nos nunc certam rem ullam a te petimus: neque vero ipse hoc a nobis postulavit, sed facimus sponte nostra, ut quibus nos ex animo bene volumus, eisdem ab aliis quo possunt, similem voluntatem, & benevolentiam requiramus. Erit igitur nobis vehementer gratum, si quid ipse Majestatis tuæ gratiam, favorem, humanitatemve desideraverit, ut si præter eam liberalitatem, quam sponte tua deferres, etiam ostendas magnum hac nostra commendatione pondus accessisse. Hoc tum pergratum nobis fuerit, tum Majestati tuæ, ut quidem arbitramur perhonorificum. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die decima Julii anno M. D. XV. Pontificatus nostri anno tertio.

Jacobus Sadoletus.

EPISTOLÆ NOMINE CLEMENTIS VII.

XCII. REGI CHRISTIANISSIMO.

DIlecte Fili. Non habemus hominem neque magis participem omnium curarum, & consiliorum nostrorum, neque cui magis fidamus Ven. Frat. Joanne Matthæo Giberto Veronensi, Datario, & Prælato nostro domestico, nec vero qui Serenitatis tuæ honori, nomini, amplitudini magis addictus sit, ut ei non minus quam nos possit, & debeat Serenitas tua confidere. Is ergo apprime conscius & laborum, & difficultatum nostrarum, quarum

rum ipſe omnium fuit particeps, delectus eſt a nobis, qui ad Serenitatem tuam accedens, animi noſtri arcana intima omnia tibi aperiat, deque rebus cunctis quæ geſtæ ſunt reddat rationem; quas nos omnes profecto, propoſita ſemper nobis non minus tua, quam noſtra dignitate, & ſuſcepimus, & geſſimus. Poſtquam enim noſtrum amorem penitus ad te convertimus, duximus omnia eſſe communia, eodemque, & curſu, & eventu tecum decrevimus eſſe conjuncti, nuncque in eadem ſententia ſumus. Sed neceſſitati vis humana cum impar ſit, illud vehementer deſideramus, ut Serenitas tua, adhibita animi æquitate, & illo ſingulari ingenio, quo præcipue polles, audiat, & cognoſcat ex eodem Matthæo Giberto principia, progreſſus, fineſque rerum omnium: non enim dubitamus quin tu erga nos pari ſis voluntate. Quæ reſtant a nobis cogitata, & pro communi dignitate etiam decreta, ſi ea tibi & commoda, & honorifica fore exiſtimaveris; cum primum nobis propoſitum ſit ſemper ſatisfacere & voluntati, & amplitudini tuæ; in iis nec labori, nec periculo ulli parſuri ſumus, dum & tibi noſtram ſummam benevolentiam, & ceteris omnibus propenſam erga bonum publicum voluntatem oſtendamus. Quæ quoniam ab ipſo Johanne Matthæo uberius & copioſius tibi explicanda ſunt, remittimus te ad ejus orationem, cui non ſecus, quam ſi nos ipſi te alloqueremur, cupimus fidem abs te haberi. Nos omni eventu rerum, & temporum, declaraturi ſumus, noſtrum amoris ſtudium erga Serenitatem tuam ſuſceptum, neque caſu ullo neque tempore imminui, aut commutari. Datum Romæ.

XCIII. DUCI GENUÆ.

DIlecte Fili. Nullum tempus antehac tam necessarium fuisse judicantes, in quo de generali salute nominis Christiani agendum, & consulendum esset; & si præsens occasio omittatur, omnia intuentes damna, & pericula nobis, & gregi Christiano imminere; ad ponenda arma primi aditum fecimus, jactisque pacis, & concordiæ fundamentis, tam pro nobis, quam pro eis, qui amici, & confœderati nobiscum sunt, pro communi commodo, & dignitate, omnia nobis tentanda, & experienda decernentes, elegimus Ven. Frat. Matthæum Gibertum Episcopum Veronensem, Datarium, & Prælatum nostrum domesticum, cujus fides, labor, prudentia, singulari cum studio nostris cogitationibus omnibus semper adjuncta fuit, quem arcana nostri cordis omnia tenentem ad Reges omnes, & Principes, & in omnem partem Christiani Orbis, quacumque opus esset, mitteremus, nostra consilia explicaturum, ceteros ad consensionem cum boni publici tum privati cujuscumque eorum, nostris verbis, & precibus hortaturum. Cui cum mandaverimus, ut cum Nobilitate tua omnia communicet, tibique, & benevolentiam in te nostram, & fidem, quam in tua virtute eximiam habemus, diligenter exponat; hortamur te, ut illi non secus, ac nobis certissimam fidem habendo, quæ ille abs te nomine nostro poposcerit, & quæ abs te cupimus fieri, tu in eis illum tuo consilio, opera, authoritate adjuves; quod erit Deo, ac nobis maxime

me acceptum, laudi, & nomini tuo in primis honorificum. Datum Romæ.

XCIV. EBORACENSI.

DIlecte Fili. Commendamus denuo Circ tuæ Ordinem, & Fratres Sancti Francisci de Observantia, qui cum Ecclesiæ Dei eum fructum afferant, qui sit cœtui Fidelium, & secundus, & utilis, digni sunt, quorum tu quoque & quietis & pacis rationem ducas. Atque in hac tua Ordinis in Anglia visitatione, cujus tibi faciendæ a nobis facultas concessa est, ipsi quoque libenter parati sunt, si quos eorum, regni istius turbatores aut speculatores ratione improba compereris, ut punias eadem qua nosmetipsi faceremus animadversione; in Lutherana quoque perfidia lapsos corrigas, & persequare; reliqua vero quæ Officiorum, Magistratuum, locorumque distributionem continent, cupiunt sibi esse salva, neque se in suis institutis, & privilegiis impediri. Nos quidem arbitramur, magis timere eos in hac re, quam expertos esse potestatem tuam; sed tamen proprium est virtutis tuæ, & ejus, quæ nobis bene nota est, prudentiæ, nullam præbere causam cuiquam conquerendi; quod nos ad Circ. tuam scribere voluimus, illam adhortantes, ut istorum animos vel dubitantes, vel timidos sua benignitate, & temperantia confirmet; quod nobis non mediocriter futurum est gratum. Datum Romæ.

XCV. EBORACENSI.

DIlecte Fili noster. Ex aliquot suis litteris Circ. tua, nostra erga se officia commemorat; id jam a nostra conjunctione esse alienum debet: sumus enim, erga te sicuti semper fuimus, & voluntate quadam eximia propensi, & benevolentia. Et vero ejusdem tuæ Circ. opera, dil. filius Laurentius ad Sarisburiensem Ecclesiam ab isto Sereniss. Rege nobis fuit commendatus. Id & nobis magnopere gratum, & tibi profecto fuit honorificum. Dignum enim, & præstantem, & omni virtute præditum Cardinalem, tuo singulari beneficio tibi in perpetuum devinctum reddidisti: qui semper de te meritus est & amore, & observantia, ut talem animum erga eum susciperes; qui cum nunc in Germania adest, maximis Sedis Apostolicis vel Christianæ potius, negotiis occupatus, nos tibi, & nostro nomine, illius debitas gratias agimus. Cetera, quæ nunc agantur & gerantur, utque acerrimum in Italia bellum recruduerit ad dil. fil. Melchiorem Langum Nuntium istic nostrum, plenius scribi mandavimus cum Circ. tua communicanda, illam hortantes in Domino, & omni studio requirentes, ut quantum auctoritate, quantum prudentia potest; potes autem maxime; tantum conferret ad studia conficienda pacis, sine qua res Christianæ prope ad interitum redactæ sunt. Datum Romæ XXIX. Nov. 1524.

Sadoletus.

XCVI. CAR-

XCVI. CARDINALI EBORACENSI.

DIl. fili noster &c. In omni eventu rerum credimus, nos & Deo, & debito nostro satisfacere, si ab optima Patris communis voluntate, & a conservandæ Reip. Christianæ cupiditate non discedimus. Ac possumus fortassis falli. Sed tamen pro certo habemus, & pene manifeste cernimus, tantos Christianitati afflictæ metus, tanta pericula impendere, ut nisi Dominus Deus sua ineffabili misericordia opem ferat, insignem aliquam ruinam rebus Christianis proxima æstate paratam esse intelligamus. Quod nos quidem non destitimus prædicare, & monere, hæc penitus arma horrentes, quæ in perniciem Christianitatis assumpta, nec pertinaciæ finem, nec damni & calamitatis faciunt modum. Sed tamen, cum in officio boni Pastoris constantissime perstitissemus, & ex Dei, ac veri Pontificis debito, & inopia etiam hujus sanctæ Sedis nos in eadem sententia confirmante; egimus huc usque precibus consiliisque, ut pacis aliquando ineundæ, & concordiæ conciliandæ ratio haberetur; sine qua pace Christianitas ad extremum interitum esset jam perducta: nec ullæ tamen aures, aut ullorum animi eorum, qui in armis sunt, vocibus adhuc primis veris & salutaribus patuerunt. Igitur omnibus tentatis viis, cum nihil per nos fuerit profectum, plusque aliquorum obstinatio, quam nostra consilia valuerint, superioribus vero diebus Francorum Rex, viribus copiisque præpollens, manum militum ad regnum Neapolitanum tentandum mittere instituisset; egi-

egimus tunc quidem multis allatis... rationibus ut ab eo consilio desisteret. Sed nunc cetera sibi cernens difficilia, ad eamdem deliberationem reversus, sive impotentiam nostram agnoscens, sive consilium nostrum ab armis omnino abstinendi intelligens, mittit Ducem Albaniæ ad idem regnum oppugnandum, qui cum iter faciens, per urbes, & ditionem nostram, sanctæque Romanæ Ecclesiæ, ac fidei nostræ commissam transeat, non necessarium solum, verum etiam justum esse censebamus, cum ab exercitu atque armis essemus nudi, pactis & conventionibus cum ipso Rege initis nosmetipsos, Statumque nostrum & nostrorum, tutum ab periculo, & suspitione periculi conservare. In qua consultatione & cogitatione cum essemus, ecce litteræ Ven. Fratris nostri Archiepiscopi Capuani Nuncii nostri ad nos allatæ sunt, quibus significat; Serenitatem Cæsaris, habito tamen ad nos & nostram voluntatem respectu, sine quibus nihil esset acturus, ad consilia & studia pacis propensam esse: qua etiam spe & fiducia, quod necessario facere cogebamur, liberius fecimus, eaque conventionum capitula firmavimus, quæ facile aperteque demonstrant, quo nos animo & qua in omnem partem modestia nil quæsiverimus aliud, nisi fidem, & securitatem; tamen seorsum quoque Circumspectioni tuæ & isti clarissimo Regi affirmamus, omnes curas, cogitatus, actionesque nostras nullum alium ad finem, quam ad commune bonum intentas esse. Cupimus quidem salvi ipsi quoque & incolumes esse; sed si quid præterea incremento honoris & fortunarum nostrarum a Deo opt. max. dandum esset,

esset, totum id libenter ad Reip. bonum rejicimus; carereque eo nos, dum res Christiana publica potiatur, animum inducimus: cujus etiam pro salute & fidei Christianæ commodo, casus omnes & pericula æquo animo essemus subituri. Hanc igitur conventionem & fœdus concordiæ nostræ, ut & necessarium & honestum, ut approbare & grate accipere Serenitas ista, velit; Circumspectionem tuam magnopere in Domino hortamur, cum de nostro erga eam animo, ac singulari & eximia erga te voluntate, non solum in eis ipsis conventionum capitulis aperte testemur, sed simus summæ amicitiæ & conjunctionis nostræ fidem perpetuam præstituri. Vere enim & novimus & confitemur, Serenitatis ejus studium ac benevolentiam, erga nos, in hanc sanctam Sedem observantiam, maxime nobis, & gaudio semper, & commodo esse, nec ullam tam asperam accidere tempestatem posse, quin tua atque illius summa prudentia, auctoritas, virtus, firmissimæ anchoræ nobis vicem, ad omnes fluctus sustinendos præbitura sit. Quem animum vestrum erga nos, omni in re & tempore jam nobis cognitum, ut omnibus nostris studiis, & officiis, & singularis benevolentiæ indiciis, & demereamur, & retineamus, ut semper antehac fecimus, nihil sumus omissuri. Tua Circumspectio, ut ad procurandam & conficiendam pacem universalem nobis assistere, esseque auxilio sua præstanti auctoritate, & sapientia velit, illam in Domino plurimum obtestamur: super quibus omnibus misimus dilectum filium Joannem Casalium Notarium, & Nuncium nostrum, fidum nobis, & probatum, qui te, quando quibusdam de cau-

causis cogebamur Ven. fratrem nostrum Archiepiscopum Capuanum ad nos revocare, largius alloqueretur, & de omnibus nostris consiliis actisque edoceret; cui Serenitas tua fidem summam habebit. Datum Romæ sub anulo Piscatoris die 5. Januarii 1525. Pontificatus nostri anno secundo.

XCVII. Cardinali Moguntino.

Dilect. fili noster &c. Superioribus diebus, cum de tumulto civit. Magdeburgen. ac de impiorum Lutheranam pestem in eo populo spargentium factione, ad nos esset allatum, non mediocrem in animo nostro concepimus dolorem. Nam & procuratione, atque custodia nostri dilecti gregis, quem a truculenta luporum rabie incolumem servare non poteramus, admodum mœsti solicitique fuimus, & tuæ quoque dignitati ac tuo honori, illo modo detrahi, pro nostra in te paterna benivolentia ægre tulimus. Videbamus etiam exemplum in ea re toti Germaniæ ac Principibus, nobilibusque præsertim perniciosum proferri, si imperitæ plebes illa ratione subducere se a superiorum obedientia; & ordinem omnem disciplinamque vitæ turbare & confundere conarentur: quæ cum omnia gravia nobis & dura videbantur, tum nihil durius, quam quod cum tanto animarum fidelium detrimento ista nobis charissima & dilectissima natio invictæ Germaniæ tantis incommodis & calamitatibus erat vexata. Itaque tunc paterno affectu studioque moti mandavimus dil. filio nostro Laurentio Tituli S. Anastasiæ S.R.E. Presbytero Cardinali, nostro & Se-

Sedis Apoſtolicæ de latere Legato, ut nihil curæ laboriſque omitteret, pro reducendis ad verum Dei cultum ſanctamque & ſinceram fidem Chriſti iis qui aberaſſent, ac Circumſpectioni quoque tuæ omnem & meæ auctoritatis, & auxilii conſiliique ſui opem offerret atque præſtaret : quod & illum feciſſe omni cum diligentia, ſcimus. Cum autem nunc ab eodem Cardinali Legato noſtro intellexerimus, Circumſpectionem tuam, ut bonum & religioſum Sacerdotem ac magnanimum & ſeverum Principem decet, quorumdam amicorum & neceſſariorum Principum auxilio ſpeque ſuffultam, inſtituiſſe experiri, ut illa, pravo paucorum conſilio a fide, & Deo, & Epiſcopo ſuo debita, averſa, ad ſaniorem mentem reducatur civitas; ac ſi paternæ hortationes non valuerint, honeſtam illi vim etiam & juſtam adhibere; lætati non parum hoc nuncio ſumus, tuamque in eo plurimum & virtutem collaudamus & prudentiam, Circumſpectionem tuam in Domino enixe hortantes, ut capere & exequi hujuſmodi conſilia digna tuo genere, & illa qua es præditus dignitate non poſtponas, operamque omnem dare, ut quæ tibi commiſſæ animæ, in interitum abeunt errore ſuo ſempiternum; tua vigilantia & ſeveritate ad lucem vitamque revocentur. Nollemus vim, ſi aliter fieri poſſet. Sed ſi non poteſt, omnis vis quæ ſalutem affert iis quibus adhibita eſt, eſt indulgentia & remiſſione ſanctior. Quamobrem nos quidem, ut magno animo ad id opus ingrediare, tibi auctores ſumus, ac ut omnes vias experiare quæ prodeſſe poſſint, humanitatis quidem primum & manſuetudinis; ac ſi illæ

non

non profecerint, etiam ſeveritatis; quando utrumque omnino eſt charitas. Ac nos quidem ad diverſos Principes Germaniæ amicos tuos, & neceſſarios ſcribimus, hortantes eos & commonentes, ut tibi adeſſe firmo auxilio, communemque cauſam tueri tecum velint; ſuamque virtutem & opem omnipotenti Deo, & ſaluti patriæ ſuæ, in illa excindenda Lutherana peſte, ferre ac præſtare: quod facturos certo credimus. Agitur enim nobilitatis, & poteſtatis, & ſalutis omnium Principum cauſa communis, quæ etiam cum honore, & cauſa ſummi Dei conjuncta eſt; quos etiam cuperemus ad ſimile fœdus omnes, ac in Ratisbonen. conventu inter illos clariſſimos proceres factum fuit, cum Circumſpectione tua convenire; ut eſſet omnium incolumitas communi tutela, & defenſione tutior. Nos, ſi Circumſpectio tua rem bene cogitatam, & cœptam inſiſtere atque exequi perſeveraverit, non ſumus illi, neque auctoritatis noſtræ brachio, neque omnibus auxiliis, quæ præſtari a nobis potuerint, defuturi: idque tibi pollicemur, ac etiam ut perſeveres & pergas, injungimus; qua etiam de re, ad noſtros in Hiſpania Nuncios ſcripſimus, ut apud Sereniſſimum Cæſarem omnem operam, quo ipſius tibi quoque auxilio adſit Serenitas, adhibeant, & interponant: ſicut de his tecum ſupradictus Cardinalis Legatus noſter latius aget, cujus litteris fidem habebis. Datum Romæ die 7. Febr. 1525. anno ſecundo.

XCVIII. MA-

XCVIII. Matri Regis Christianissimi.

Dilecta in Christo Filia salutem, & Apost. Benedict. Quantum dolorem acceperimus, & quantum animo fuerimus perturbati ex hoc casu acerbo, & inopinato, qui filio tuo Regi præstantissimo, & nobis omni amore charissimo accidit, tuæ prudentiæ est existimare. Sive enim illius studium erga nos, & sanctam Sedem Apostolicam, sive virtutem atque animum dignum illo honore quem gerebat, sive rerum humanarum imbecillitatem variosque & incertos casus cum animo nostro cogitamus, omnia sunt ejusmodi, ut magnum in eo detrimentum videatur fecisse hæc Apostolica Sedes, & universa Christiana Respublica. Nos quidem adhuc propemodum stupemus, nec satis mentis sumus compotes, cum defigimus cogitationem nostram in consiliis summi Dei, qui hæc rara, & mirabilia quandoque evenire vult, ut ab omnibus intelligatur, unam esse in rebus stabilem, & firmam, quæ ipsi tribuitur, fidem, ac pietatem; cetera omnia incerta, caduca, fragilia, quibus confidere nemo sapiens possit. Cujus rei documentum, si unquam alias, nunc profecto maximum, & apertissimum a Domino Deo datum est. Sed tamen, etsi res luctuosa, & acerbus est dolor, quem te matrem indulgentissimam pro tali filio accipere necesse est, cujus nos etiam calamitatem patrio mœrore prosequimur; attamen tibi prudentissimæ & religiosissimæ feminæ omnis tanti doloris levatio ab eodem ipso Deo petenda est. Ille enim dispo-

disponit res nostras secundum altitudinem divitiarum consilii sui, per quam quæ nobis sæpe aspera & intolerabilia videntur, eadem proficua & salutaria sunt. Siquidem multa sensibus nostris gravia incidunt, & molesta, quæ eadem animabus afferunt salutem. Omni enim honore & dignitate hujus mundi, salus animæ multo est præstantior, quam maxime affert, & comparat patientia, cujus omnis actio, atque exercitatio in rebus adversis cernitur. Atque hæc nos non ideo scribimus, quin maximam spem habeamus, & filium aliquando tibi, & regno Galliæ Regem suum; & nobis, ac Sedi Apostolicæ nobilissimum Principem restitutum iri; quam spem in nobis, & Dei bonitas, ac providentia, & Cæsaris benignitas valde confirmat; sed ut Nobilitas tua patienter suum casum ferendo, atque ipsi Deo ultro gratias agendo, omnemque suam fidem in eo collocando, celerius divinam opem, ac clementiam impetrare mereatur. In quo nos quoque, nec tibi, nec filio tuo deerimus. Quantum, & nostræ apud Deum preces, & apud optimum Cæsarem valebit auctoritas, instabimus, & enitemur, ut sit filii tui salus, ac libertas in pristinum locum restituta: quod majore cura, & studio efficiemus, quam audeamus nunc polliceri. Tu si quid esse in nobis arbitrare, quod opportunum esse possit ad tuum dolorem consolandum, atque levandum, ita volumus confidas, id totum tibi paratum esse, ut nihil simus gratius habituri, quam ea omnia tibi præstare officia, quæ certissima esse testimonia possunt nostræ singularis, & propensæ in tuum, & filii tui amorem voluntatis.

Da-

Datum Romæ die 4. Martii 1525. anno secundo.

XCIX. MATRI REGIS CHRISTIANISSIMI.

Dilecta in Christo filia. Quod intelleximus te aliquantum ægre tulisse, quod nos, qui prius dilectum filium nostrum Joannem Cardinalem de Salviatis Legatum ad Carolum, Regesque alios, & Principes, communis pacis & concordiæ causa destinatum iter per Galliam habere institueramus, deinde commutato consilio, ut maritimo cursu uteretur injunximus; id nobis non parum molestum fuit. Nostras enim actiones optimo animo susceptas in suspicionem adduci, non possumus satis æquo animo ferre, præsertim apud te, quæ de nostra in te, ac charissimum in Christo filium nostrum Regem Christianissimum, natum tuum amantissima voluntate, si adhuc parum certa es, & etiam nunc dubitas, profecto rem alienam a tua prudentia, & de nostra fide, ac natura injuste detrahis; si vero non dubitas, planeque esse conscia potes, nos animo amicissimo nihil aliud, nisi de pace universali, & de filii tui salute, ac liberatione cogitare, indignum est, te vel suspicari aliquid sinistrum de nobis, vel si nihil suspicaris, dare tamen indicia, & sermonis argumenta, per quæ ceteri, te suspicionibus adversus nos offensam existimare possint. At nos, quod ad rem ipsam pertinet, qua cura fuerimus, qua solicitudine, ut ne bellum immite & asperum, quod imminere in Galliam, atque erupturum esse videbatur, recrudesceret, totaque Christianitas diutur-

diuturnis armis afflicta & debilitata, hoc etiam vulnere concideret ad ejus perniciem prope supremo, testis Dominus Deus, & testes toties a nobis, & tanta cum cura scriptæ missæque litteræ, testes nuncii, quos jam multos ob unam hanc causam quoquoversum destinavimus. Sed hæc testimonia ita volumus apud te fidem obtinere, si tu ipsa quoque optima testis es: sunt enim hæc omnia a nobis, tua Nobilitate conscia, acta, & transacta; & nunc, cum Legatum nostrum jussimus ad Cæsarem ire, atque in Hispaniam de pace, & filii tui liberatione, & hujus sanctæ Sedis dignitate acturum; prima nostra cogitatio fuit, ut ad te ille primum contenderet, conferretque, & communicaret tecum nostra consilia, quæ maxima ex parte ad tuum commodum pertinebant. Sed cum repente, & præter expectationem non solum nostram, verum etiam insciis illis, qui Cæsaris victoriæ in primis adjutores, & in agendis rebus fideles ministri electi erant, qui ejus consilii participes fierent, dil. fil. nobilis vir Vicerex Neapolitanus Serenissimum filium tuum in Hispaniam transportasset, nos hac inexpectata re commoti, ac dubitantes, si Legatus noster deliberanti Cæsari non adesset in tempore, ne quid fieret consiliis nostris & pacis, & dignitatis conservandæ contrarium; Legatum approperare jussimus, & omisso itinere terrestri, quod longum, & tardum fore videbatur, classe navigare. Dabat autem nobis causam non Cæsaris ipsius mens, aut parum propensa ad omnem clementiam, & humanitatem voluntas, sed quia sciebamus, quam multi essent, qui quò aut actiones suas clariores

riores facerent, aut fidem, & industriam suam magis jactarent, ceteros, & facile, & libenter calumniarentur: quorum iniquitati, in ipso articulo capiendæ deliberationis fuit occurrendum, ut ipsius Cæsaris, quanquam firma, & recta per sese mens, nostris tamen etiam consiliis, & monitionibus adjuvaretur. Consilia autem nostra quæ sint, quanquam tuæ Nobilitati notissima esse debent, tamen hic aperte, & ingenue profitebimur, cupere nos & suadere, ut belli causæ omnes amoveantur, ut salus, & dignitas filio tuo reddatur, ut noster, & Sedis Apostolicæ honor conservetur: huc curæ omnes nostræ, huc cogitationes tendunt, in quibus non minus Cæsari ipsi consulimus, quam aut tibi & filio tuo, aut nobis. Cum enim dignitatem utriusque nostrum illius voluntate confirmari quærimus; maximam illi profecto attribuimus dignitatem, qui quod victor tanti belli extitit, potuit etiam casu evenire: sin autem bellum, & victoriam pace, & prudentia composuerit, erit ista laus jam propria, & perennis ipsius Cæsaris. Hæc sunt, quæ a Legato nostro ad Cæsarem deferuntur, quæ quia celerius deferenda erant, idcirco eum jussimus maritimis cursibus approperare; & tamen mandavimus, ut cum primum appulisset Massiliam, homines certos ad te mitteret, qui te rerum harum omnium redderent certiorem, tuaque mandata exposcerent, & illa ipsi Legato referrent; quod ab illo fuisse factum non dubitamus. Illud pro nostræ conjunctionis amore Nobilitatem tuam paterno affectu monitam volumus, ut minas, & verba atrocia, quæ isthic in nos & Legatum nostrum

ſtrum jactata feruntur, compreſſa eſſe velis; quæ etſi incredibilia ſunt, tamen cum ſermonibus hominum circumferuntur, omnes in eam opinionem adducunt, tanquam parva apud vos habeatur Sedis Apoſtolicæ ratio: quod cum noſtræ & ejuſdem Sedis dignitati contrarium eſt, tum vero rebus veſtris etiam inutile. Nihil enim in exiſtimatione, ut nobis videtur, neque in opinione acquiritis, cum honori Sedis Apoſtolicæ, & noſtro detrahere judicamini. Sed hæc, ut falſa ſunt, ſic etiam ut falſa eſſe appareant, a vobis eſt, tuæ potiſſimum Nobilitatis prudentia operante, contendendum. Nos quidem, quantum nobis datum deſuper fuerit, neque de amore noſtro erga te, & filium tuum, neque de cura conſervandæ communis omnium dignitatis quidquam remittemus, omniaque experiemur, ut intelligant omnes, officio boni Pontificis, diligentiam noſtram non defuiſſe; ſicut Deo freti, & in bonitate Cæſaris fiduciam habentes, piis noſtris conſiliis divinam clementiam opem confidimus allaturam. Datum Romæ.

Sadoletus.

C. CÆSARI.

CHariſſime &c. Etſi diebus ſuperioribus, cum bellum in Italia maxime arderet, nos miſerantes duram hujus nobiliſſimæ regionis conditionem ac gregi noſtro dilecto, paſtorali cura affecti, alia quadam via ad communem pacem tendebamus, ſublatiſque inter Serenitatem tuam, & Regem Francorum diſſidiorum cauſis, concordiam ſuadebamus: ta-

tamen postquam Deo Omnipotenti aliud visum est, atque ejus nutu ac numine, arma non per compositionem dimissa sunt, sed per victoriam detracta; id quod evenit, evenisse nos quidem lætamur, ut ad arbitrium & providentiam tuam, cum magna tua gloria bello feliciter confecto, ipso Francisco Gallorum Rege capto, & in tuorum ducum potestatem redacto, salutis & quietis omnium spes ac ratio delata fuerit; in qua constituenda hoc tibi magis elaborandum est, quo sunt in te divina beneficia majora. Nam cum tua Serenitas assecuta fuerit victoriam, cui similem, nec prisca unquam sæcula viderunt, non in eo tua magnitudo ampla est, quod viceris; potest enim hoc sæpe etiam indignis fortuito & casu evenire; sed in eo tua virtus præclara & gloriosa futura est, si hac victoria, juste, temperate, prudenter usus fueris. Quanquam nos hoc magis ex abundantia cordis, & amoris erga te nostri scribimus, quam quod judicemus, te hujusmodi monitionibus indigere, quem semper novimus tum Deo deferentem tantum, quantum ab optimo Principe æquum est deferri, tum in amplissimis donis ac beneficiis, quæ tibi ab eodem tributa sunt, gratiam illi & pietatem semper referentem. Sed est hujus temporis occasio ejusmodi, ut nunc maxime per te providendum sit, ut omnes intelligant, victoriam & felicitatem tuam omnibus saluti & commodo esse, quo maxime modo illa stabilis & diuturna futura est; in qua tamen voluntate ac deliberatione & manere te, & esse mansurum, tum tua proba mens & justissima natura, tum etiam duces & actores tui hac sua virtute & temperan-

tia oſtendunt: in eorum enim modeſtis actionibus jam apparere omnibus incipit lumen integritatis & ſapientiæ tuæ. Nos quidem pro noſtro perpetuo de tuis præſtantiſſimis virtutibus animi judicio, proque ea benivolentia, qua Serenitatem tuam ſemper mirifice proſecuti fuimus, tibi de omni honore, & gloria, & amplitudine gratulamur, maximamque ad nos ex iis rebus lætitiam perveniſſe confirmamus. Ac, quod cum voluntate ſummi Dei, & Italiæ tranquillitate, omniumque ſalute fiat, tibi ad tuam victoriam & felicitatem ſtabiliendam, augendam, confirmandam, omnem noſtram opem, amorem, ſtudium, auctoritatem, diligentiam, deferimus & pollicemur. De quibus omnibus, & aliis etiam, quæ arctius & melius meam optimam voluntatem in res tuas oſtendant, dedimus mandata per litteras dilecto filio Baldaſſari Caſtiglioneo Notario & Nuncio noſtro, aut eo abſente Jo. Corſio Oratori Florentino, ut cum tua Serenitate uberius & plenius agant, quibus illa fidem omnem habebit. Datum Romæ IX. Kal. Mart. MDXXV. Anno ſecundo.

CI. DOMINÆ MARGARITÆ.

Dilecta in Chriſto filia. Ex regione Hollandiæ, & circumadiacentibus locis, in quibus tuæ Nobilitatis poteſtas & auctoritas ſumma eſt, quotidie ad nos deferuntur querelæ adverſus complures, qui ejus, quæ nunc debacchatur hæreſeos perfidia inquinati, vetuſta Eccleſiæ Sacramenta, & fidem ſinceri cultus Chriſti, non modo tranſgredi, ſed palam etiam reprehendere & oppugnare audent;

quo-

quorum impietas etiam aliis poteſt eſſe nocumento; cumque nos de Nobilitatis tuæ religione & prudentia ita ſentiamus, ut de Catholica & in primis excellente muliere ſentiendum eſt, quam ipſi ſcimus, quo ingenio & quanta polleat virtute, tecum communicare eam curam voluimus, quæ nos pro noſtro paſtorali officio vehementer premit. Habemus enim ante oculos noſtros propoſitum, quid a nobis poſtulet & requirat ipſe Deus, cui ſoli regnum animarum ſubjectum eſt, quibus nulla eſt precioſior, nec majoris æſtimanda poſſeſſio. Hujus regni tutandi & defendendi laborem nobis hujus, quem gerimus, honoris pondus infert, quo vices Chriſti gerentes, de ſalute animarum ſoliciti eſſe debemus. Nec deſumus officio, quà noſtræ pertinent facultates; nam & conſilio & hortatione, & cura & monitis, errantibus ſubvenimus. Si qui vero ſunt pertinaciores, aut ſi quorum furor ſalutarem medicinam paſtoris ſui non recipit, nobis eſt ad Principatus & Poteſtates confugiendum, & eorum providentia ad auxilium invocanda; ut eorum auctoritate & metu, qui alias negligunt, ad ſanitatem reducantur. Hoc nos conſilio requirimus Nobilitatem tuam paterne atque amanter, ut adeſſe nobis ad juvandam rem Dei, & ad fidem Chriſti immaculatam conſervandam ferre opem velit, in eis locis præſertim, in quibus tu & jubendi & vetandi obtines poteſtatem. Ac novimus quidem hæc mala ipſa, tibi diſplicere: ſed in tanta virtute & tanta poteſtate tua, non ſolum ægre ferenda ſunt, quæ adverſus veterem morem ſanctæ Eccleſiæ tentantur & proferuntur, verum

rum etiam justa severitate vindicanda. Idcirco enim Nobilitas tua præfecta a Deo est illis populis, ut in obedientia eos retineat & Dei, & Majorum. Neque vero tu post illum diem, qui extremus paratus est omnibus, quicquam ferre poteris ex tantis opibus, quibus prædita nunc es ante tribunal summi Dei, quod magis tibi patrocinio & adjumento esse possit ad immortalem beatam vitam consequendam, quam curam & diligentiam adhibitam inter tuos, ut animarum salus; quarum maxime Deo cura est, inviolata custodiretur. Hoc est proprium virtutis tuæ, hoc pietatis & religionis, quam semper erga Deum integram præstitisti, ut & vetus tuæ laudis opinio apud omnes homines confirmetur, & spes beatæ immortalitatis tibi apud Deum sit exploratior. Nos hac eadem de re ad dilectum filium nostrum Erhardum tituli sancti Chrisogoni Presbyterum Cardinalem Leodien. scribimus injungentes, ut diligentiam & solicitudinem circa ista adhibeat; cui tua Nobilitas omni ope & auxilio ut velit suffragari, illam in Domino valde adhortamur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum die XXI. Aprilis M. D.XXV. Anno secundo.

CII. CAROLO ROMANORUM IMP.

CHarissime in Christo fili noster &c. Cum a primis temporibus Pontificatus nostri, intelligentes in quam curam & laborem, & in quæ tempora Christianæ Reip. nos ad tantæ onus solicitudinis Deus omnipotens vocavisset, instituissemus procurare & suadere pa-

pacem, ſine qua Chriſtianitatem tot & externis & domeſticis malis, damnis, incommodiſque attritam, proximam eſſe exitio videbamus: recordamur, nos ex officii potius noſtri debito, quam quod ſpe ulla teneremur, ad eam actionem tunc adductos fuiſſe. Etſi enim Deum ſciebamus omnipotentem mutare ſæpe repente conſilia hominum in melius, & quæ difficillima videantur, ea cum omni facilitate conficere, tamen in tantis armorum contentionibus, & diverſis Principum Chriſtianorum ſententiis, non cernebatur paci locus; quam cum ſuadebamus, & ad eam hortabamur, proponebamuſque ea quæ nobis videbantur ad pacem propiora eſſe, ſtudio magis & deſiderio conſcientiæ noſtræ ſatisfaciebamus, quam ſpe proficiendi aliqua ſuſtentabamur. At vero nunc, poſtquam ejuſdem Dei omnia gubernantis judicio, quod tunc commune tibi cum aliis Principibus fuit, id totum videtur eſſe ad tuæ Serenitatis arbitrium poteſtatemque delatum, ut penes te unum jus belli paciſque ſit; eadem quidem ſumus cupiditate & ſententia, ut conficiatur pax, ſed ſpe & fide ducimur multo majore. Satis enim aſpirare cœptis optatiſque noſtris Deum cernimus, cum quod ab eo ſupplices precabamur, ejus nobis concedendi . . . ad optimum & Maximum Pontificem digniſſimumque Cæſarem videmus delatam eſſe poteſtatem. Nos vero, qui tanto ſtudio curabamus pacem, tunc cum pacis pene omnis ratio deſperata erat; nunc in tanta ſpe noſtra, tanta expectatione juſtiſſimæ & clementiſſimæ tuæ mentis ac voluntatis, ſi ab illa pacis actione deſiſteremus, faceremus inju-

 riam

riam profecto & ipsi Deo & honori nostro; neque tunc pacem voluisse, sed aliud quiddam spectasse videremur. Sed si quippiam habemus vel habuimus unquam desideriis nostris magis propositum, quam pacem, digni sumus quos non exaudiat Deus. Si vero nostra consilia ipsius Dei honorem, communem Christianitatis salutem, & bonum optatæ pacis spectaverunt, eumdem Deum oramus, ut Serenitatem tuam, in cujus manu pacem esse voluit, pacis jubeat esse effectricem; hoc est, ut quod sanctissimam mentem tuam desiderare cernimus (nihil enim clarius est, quam te velle pacem & appetere) ejus conficiendi & transigendi, remotis impedimentis omnibus, tibi a summo Deo tribuatur facilitas. Sed cur pax maxime necessaria sit, aliqua dicenda sunt, non tam illa quidem nova genere, quam gravia diuturnitate. Quibus nisi citum remedium adhibeatur, ut in effœto mortali corpore, longior morbus exitium & mortem affert, sic in Christianitate jam defatigata & attrita proximus est interitus expectandus. Urgent enim & opprimunt duo gravissima mala atque incommoda Christianitatem, quorum alterum est a Turcis, qui continuis successibus elati, & nostra iguavia ac negligentia in spem maximam erecti, Christianæ Reip. penitus opprimendæ ineunt rationem. An tu trecentarum navium paratam jam classem & terrestres exercitus in armis adesse jussos, alio consilio, aliaque mente coactos esse putas, nisi ut Septentrionales Christianorum provinciæ ab ipso littore Illyrici usque ad Poloniam impiis illis armis & signis obruantur? An nos hæc soli intelligimus, tuaque Sere-

Serenitas harum rerum ignara eſt? Deferuntur quidem ad nos primum ex omni parte querelæ, nec quicquam jam crebrius aures noſtræ percipiunt quam oppidorum Chriſtianorum direptiones, hominum prædas, excidia agrorum, cum quotidie fere miſerorum ſanguinem effundi, viros & virgines in teterrimam ſervitutem abſtrahi, urbes, & oppida capi audiamus. Sed in his malis illud longe graviſſimum malum eſt, quod qui periculo proximi ſunt, quorum eſt periculum cum noſtro conjunctum, ii tamquam læthali ſomno oppreſſi, nullam videntur ducere ſui propinqui exitii rationem. Atque hoc malum externum eſt. Quid illud inteſtinum ac domeſticum, quo nullum majus neque pernicioſius ulla unquam aſpexit ætas? quod tua Germania tantis jam cladibus & ſeditionibus involuta eſt, ut nemo in ea jam ſit, qui habeat exploratam rationem non ſolum dignitatis, ſed etiam ſalutis ſuæ. Increbuit enim in animis imperitarum plebium furor immiſſus illis a Dei hoſte, & ejus hoſtis miniſtris, impiarum hæreſum auctoribus, per quem, conjurationibus nefariis popularium, omnis nobilitas & omnis Ordo Eccleſiaſticus in exitium vocatur, qui furor quorſum irrupturus ſit, graviter pertimeſcendum eſt. Non enim cernimus finem neque modum. Sed per Deum immortalem! Si tantis calamitatibus afflictæ & perditæ Chriſtianæ Reip. celeri pacis remedio non ſubveniatur, quid tandem ſpei aut ſalutis reliquum omnibus eſſe poteſt? Quis vero alius pacis & auxilii præter te idoneus futurus eſt auctor, qui ejuſdem Dei omnipotentis beneficio, tantis e cælo muneribus

es illustratus, ut facile appareat, quæsivisse sibi Deum secundum cor suum Regem unum, tanquam alterum Davidem, qui Dei hostes conterat, populis fidelibus parcat; cujus tu Dei & propter virtutem ac religionem, amplissima beneficia meruisti, & ejus beneficentiæ propter pietatem gratus esse vis, ad pacisque consilia aspiras. Ac pro tua singulari sapientia optime cernis, remedia, & auxilia tot perniciosis Christianitatis cladibus quam primum esse necessaria. Sed ut voluntati tuæ locus sit; ut quod religiosissime, & christianissime designasti, opere & facto compleas; idcirco hæc est a nobis tecum suscepta adhortatio. Confidimus maxime bonitati tuæ, deferimus virtuti, prudentiam quoque & magnitudinem animi cognoscimus. Sed si honori & gloriæ tuæ satisfactum a Deo est, si quæ pristini belli & controversiæ causa fuit, ea est & tua insigni victoria, & ipsorum confessione hostium terminata: si nihil est majus aut amplius, quod moderatis & prudentibus animis posci ab immortali Deo possit, quam quantum tibi cælesti illius beneficio est tributum; oramus præcamurque Serenitatem tuam, ut in conditionibus pacis tractandis de te ad eam partem ... ut magis propter desiderium pacis, faciles & benignas conditiones tulisse, quam propter difficultatem conditionum, paci locum non reliquisse videare. Hoc petimus, hoc hortamur, neque dubii sumus, te ad omnia liberalia & humana promptum esse. Sed ut tua præclara mens, in sua bonitate & sententia permaneat, deprecamur. Nemo unquam princeps fuit, qui majora senserit erga se Dei omnipotentis promeri-

merita, quam experta est Serenitas tua. Sed nemo etiam extitit unquam, qui illustriorem occasionem habuerit referendæ illi gratiæ. Scimus nos & testamur, & vades & sponsores inter te & Deum esse volumus; si tua auctoritate & clementia his luctuosis temporibus constituetur pax, nullum unquam Principem & Regem nullum, aut majus obsequium Deo præstitisse, aut ullo tempore esse præstiturum. Carpimur paulatim, concludimur, in angustias redigimur, atque ex orbe terrarum universo, qui fere totus aliquando Regi Regum Christo Jesu Salvatori nostro paruit, in tres vel quatuor Christianitatis provincias repulsi & coarctati sumus, quæ solæ restant integræ: aliæ, aut penitus Deo rebellarunt, aut impiis sectis & hæresibus ad rebellandum sunt propinquæ, aut in tanto periculo constitutæ sunt, ut quasi pro desperatis & perditis habeantur. Quænam quæsumus tanta nos agit præcipites Dei ira, ut pestem & interitum nostrum ipsimet approperemus? Convertamur ad ipsum Dominum, & cum illi iras & injurias nostras condonaverimus, speremus ab eo consequi misericordiam; quæ certe non deerit, si pie & humiliter fuerit petita. Et hæc tamen omnia in manu tua potissimum, fili carissime, sunt, quæ si te, ut confidimus, ad constans pacis consilium converteris, erunt tuo ducto & imperio non salvæ solum Christianitatis res, verum etiam florentes. Non minor est gloria parcere hostibus devictis, quam eos vincere; pietas autem, & virtus, & sapientia, multo major, pro cœlesti imperio ferre signa in Dei hostes, quam pro terrenis rebus depugnare.

gnare. Nos certe ardentes benivolentia erga te, & studio laudis tuæ, ea consulimus tibi, quæ arbitramur utilitati, dignitati, amplitudini tuæ accommodata: quid Dominus Deus appetat, perspicuum est, nullum quidem illi est pace gratius & placabilius sacrificium: tua mens jam plurima & clarissima signa dedit virtutis & religionis in summum Deum maximæ; nemo est qui non ita existimet, & personæ & dignitatis tuæ ipsum esse patronum & protectorem Deum: quantum illi debeas, cogitare tuum est; nostrum admonere, quid nobis videatur, tantæ conservandæ Dei gratiæ esse expediens. Illud quidem extremum, quod nostri erga te amoris est adjungimus, cupere nos quicquid egeris & consulueris, id Deum ipsum immortalem & omnipotentem, bene & feliciter tuæ Serenitati evenire jubere: quemadmodum de his, & siqua reliqua sunt, mandavimus dilecto filio Baldassari Castilioneo Notario & Nuncio nostro, ut cum Serenitate tua ageret; cui illa fidem summam præbebit. Datum Romæ sub anulo Piscatoris die 7. Maji 1525. Pontificatus nostri anno secundo.

CIII. DUCI BORBONIO.

Dilecte fili. Litteræ tuæ die 11. & 12. hujus datæ, gratæ nobis majorem in modum, & jucundæ fuerunt: declaraverunt enim candorem, & virtutem animi tui, de nobis ac rebus nostris amantissime cogitantis; quod & te semper fecisse scimus, & in posterum facturum non dubitamus. Dum enim curas, ut nota nobis sint, & ea quæ acci-

accidunt, & consilia cum illis tua; satis plane ostendis quam erga nos geris benivolentiam, ab optima eam & sincera procedere voluntate, pro qua, ut debemus, pari certe tibi amore, & studio respondemus; quod utinam accidat, ut re possimus declarare. Nos & de iis quæ scribis ad nos sentimus idem, quod tu, & ut nos de singulis rebus quæ in dies eveniunt facias certiores te valde hortamur.... quem profectum, curæ, & administrationi rerum Cæsaris in illis locis admodum gratulamur. Sapiente enim & probo rectore, omnia sperandum est recte, & moderate esse agenda, quod tuæ mentis bonitas, consiliique prudentia & pollicetur, & præstitura est. Datum Romæ die 20. Junii 1527. (*id est* 1525.) anno secundo (a).

CIV. HERCULI GONZAGÆ.

DIl. Fili. Gravem nostrum dolorem quem ex bon. mem. Sigismundi Cardinalis Gonzagæ patrui tui morte accepimus, cum alia quidem multa sunt quæ possunt consolari: nam & ipsius, quoad vixit, virtus, ac pietas erga Deum, propter quam certa prope spe & credulitate nostra, ejus ipsius Dei est misericordiam consecutus; & honoris splendor ac dignitas, qua nobilissimam domum & familiam vestram exornabat, magnum afferunt nobis ægritudinis levamentum: sed nulla res in nobis consolandis est præstantior, quam quod in te, fili perdilecte, & in præclaris tuis virtutibus conquiescimus. Ut enim translatæ plantæ, sæpe lætiores uberioresque

(a) Vid. notas inferius.

consurgunt; sic in te & accepta a Majoribus nobilitas, & dotes patris, patrui, avorumque tuorum efflorescunt etiam magis, accedente doctrina, cui tu ita deditus es, ut optimæ artes in te cum optima mente & natura, quasi ad te certatim ornandum, contendere videantur. Quamobrem nos te, ut si filius esses ex nobis natus, humana etiam benivolentia prosequentes, ut vero talem & tantæ spei in Christo filium paterna charirate complexi, Devotionem vestram primum in Domino hortamur, ut ferre æquo animo casum hunc doloris tui, & divinæ voluntati acquiescere non postponas. Quod vero & nostri in te amoris proprium est, & tua eximia virtute probitateque dignissimum, tibi in verbo veri summi Pontificis pollicemur; nos quicquid honoris & ornamentorum in patruo tuo vestræ familiæ amissum est, id totum in te ipso restituturos; teque in proxima Cardinalium creatione, cujus tempus non longe abest, ad honorem summi Ordinis, & ad amplitudinem eximiæ illius & præstantis in Ecclesiam Dei dignitatis libenter & studiose esse sublaturos: in quo quidem honore ac judicio, & nostræ erga te voluntati satisfacimus, & hujus S. Sedis commoditati; cujus etiam interest, tales & tali spe præditos, tantisque virtutibus ornatos habere penes se suorum honorum & maximorum præmiorum participes: quorum & dignitate, ipsa quoque resplendeat, & consiliis adjuvetur. Datum Romæ sub anulo Piscatoris 8. Octobris 1525. Pontificatus nostri anno secundo.

CV. MAR-

CV. MARCHIONI MANTUÆ.

DIl. fili. Gravi nuncio turbati sumus ex obitu bon. mem. Sigismundi Cardinalis Gonzagæ patrui tui; neque ideo, quod aliquid illi mali accidisse existimemus, qui cum virtute & bonitate eximia parem erga Deum pietatem habuit conjunctam, & fratre tuo, fratris sui filiis clarissimis, ornatissimisque viris, aliis quoque muneribus & auctoritatis & opum a Domino Deo ita insignitus, ut omni ratione beate vixisse in hoc sæculo existimandus sit; sed quia nos hominem charissimum, sancta Sedes Apostolica Cardinalem dignissimum hoc maxime alieno tempore amisimus. Quod si nullus proprius hujus damni nobis inesset dolor, possemus ei vel de præterita vita gratulari, vel de præsenti, & æterna quam assecutus est gaudere. Siquidem confidimus summi Dei misericordia, illius optimæ voluntati assistente, ad immortalitatem illum beatæ & cœlestis vitæ fuisse sublatum. Sed, ut hac ille felicitate jam fruatur, nos tamen ejus morte, ob singularem nostram qua illi affecti fuimus benivolentiam, non possumus non dolere; cum præsertim tuo quoque dolore non mediocriter moveamur: paterno enim affectu tuam Nobilitatem prosequentes, omnia tua & læta & tristia, aliqua ex parte ad nos putamus pertinere. Quoniam vero hujus acerbi casus unicum levamentum patientia est, & divinæ voluntatis in bonam partem acceptio; nos quidem molestiam nostram, ipsius defuncti memoria, & recordatione illius præstantium virtutum consolabimur; tuam

vero

vero Nobilitatem ita ad æquitatem animi revocare contendemus, ut si quid in patruo tuo tibi & familiæ tuæ amissum honoris atque ornamentorum est, id simus tibi, Deo concedente, propediem relaturi, tuumque mœrorem, quoad nobis licitum fuerit, in non minorem lætitiam converſuri. Datum Romæ sub anulo Piscatoris die 8. Octobris 1525. Pont. nost. anno secundo.

CVI. BARONI.

DIlecte Fili. Cum in hoc gravi, & turbulento motu, quo Turcarum tyrannus ad bellum inferendum Hungariæ se apparat, eas partes curarum, & solicitudinis capiamus, quas onus prægrave Pontificatus nobis imponit, videamusque & auxilio nostro opus esse & consilio; auxilium quidem illud mittimus quod possumus: summam enim aliquantæ pecuniæ ex maximis rerum nostrarum, & Sedis Apostolicæ angustiis comparatam ad te transmittimus; quam, & omnes illas pecunias, quæ reliquæ apud te, aut dilectos filios Fascaros depositæ sunt, volumus per te in hoc omne opus defensionis istius regni dispensari, sive te ipso expendente, sive per alios, quos judicaveris idoneos, diligenti tamen ratione omni per te retinenda, quando, & quomodo impendatur. Consilio autem in eam rem potissimum instamus, ut carissimus Ludovicus Rex in castra se conferat, & in suo exercitu animandis, atque adhortandis ducibus, militibusque suis versetur: nisi enim id faciat, & offensionem belli ac periculi certiorem, & ipsius Regis, ac nominis Hungarici

rici ignominiam cernimus. Quare volumus, ut tu noſtro nomine, toto animo, toto ſtudio contendas ab eo, ut in hoc nobis omnino obtemperet; neque monitiones noſtras poſthabeat ullo pacto, aut negligat; quod ut ardentius, & magis aſſidue exequare, etiam tibi injungimus, ut ipſius Regis perſonam comitere, non tamen armis, & tumultui bellico te immiſceas; non enim eſt noſtræ, nec Apoſtolicæ Sedis dignitatis, ut Nuncii ejus, armis, & vi, ſed, ut conſilio, & prudentia rem gerant, quorum in te utrumque abunde eſt; quatenus quidem tuto, & ſine periculo licitum erit, ut cum Rege conjunctus ſis, noſtraſque illi monitiones, ut ingeras. Hoc eſt, quod tibi mandamus; illud etiam ſtatuentes, ut quæ tibi ad iter, & moram cum perſona regia extra Budam civitatem trahendam neceſſaria ſunt, tam in equis, quam in cetera ſupellectile, & noſtris & Sedis Apoſtolicæ pecuniis honeſte compares, in quibus omnibus tuam ſolitam fidem prudentiamque adhibebis. Datum Romæ.

Sadoletus.

CVII. ELECTORI.

VEnerabilis Frater. Quot & quantis, pro debito officii & ſolicitudinis noſtræ, urgeamur anguſtiis hoc tempore, Chriſtianæ Reipublicæ ancipiti, & periculoſo, Fraternitas tua poteſt ipſa per ſeſe, etiam ſine litteris noſtris exiſtimare. Nam, & Chriſtianitatis nondum ſedatæ, & compoſitæ graves motus veremur, & ab immani hoſte, Turcarum tyranno non jam metus neque terror; id

quod

quod antea fuit; sed præsens, & ultimum, & terra, & mari Christianis rebus imminet exitium, & istius inclytæ Germanicæ nationis domesticæ incommoditates nos promovent. Ac nos quidem, quantum homini fas est, quantum a Domino conceditur, & cura, & studio, & iis auxiliis, quibus possumus laborantibus subvenimus, discordesque animos placando, bonos hortando, in periculo positis opem ferendo, sicut modo regno Hungariæ, & illi afflictæ nationi pecuniarum subsidium extractum ex maximis Sedis Apostolicæ difficultatibus misimus, nihil prætermittentes, quoad nobis datum est, quod ad Patris, & Pastoris officium pertineat, & quà vires desunt, amore, & dolore gregi nostro compatientes. Sed inter ceteras curas, illa nobis quoque insidet non mediocris, quod in hoc propinquo Germanorum Principum conventu, qui Spiræ indictus est, cogimur extimescere, ne pravarum hæresum semina aliquid veneni mali pariant, per quod Fidei Catholicæ, & Ecclesiastico nomini detrahatur. Quamquam magna est nobis spes in ipsis Germaniæ Principibus posita, qui & propter prudentiam cavebunt, & propter religionem obviam ibunt, ne impiis Ministris pessimarum potestatum tantum audaciæ, & facultatis tribuatur. Ac inter ceteros, cum nota sit nobis Fraternitatis tuæ virtus, & in suscepta fide constantia, etsi non dubitamus quin illa, etiam sine hortatu nostro, pro gradu, & honore sibi a Deo collato, acrem (a) defensorem veritatis, & rectæ Religionis se præbitura sit; eam tamen ex amore potius, quam ob nece-

(a) In edit. *arcem*.

necessitatem hortandam duximus, ut ad id quod sua sponte factura est addat etiam aliquid, voluntatis, & operæ, nostra causa, qui plurimum virtuti ipsius fidimus, atque in frænandis, & coercendis temerariis perniciosisque hæresibus, siquæ ipsi serere zizania volent, consulat, & Fidei Catholicæ, & dignitati authoritatique Ecclesiasticæ; qua sublata, omnis jam reverentia, omnis erga Superiores obedientia perierit: quod ita esse, utinam incommodo exemplo non essemus edocti; studiumque suum præterea & omnem conatum adhibeat, ut regno periclitanti Hungariæ aliquod firmum auxilium ab ista fortissima natione præbeatur, ad quod non solum cura, sed celeritate est opus; ita regni illius res, ut te nosse credimus, ingruentis hostis Turcæ rapinæ & direptioni expositæ sunt, quibus tu certe consiliis, & actionibus, & maximam tibi apud Deum mercedem, & apud homines gloriam es comparaturus; nos vero ita obligaturus, ut omnis tibi officii, & benivolentiæ futuri simus debitores: sicut latius tecum dil. fil. noster Nuncius, nostro nomine aget, cui Fraternitas tua fidem adhibebit 1526.

Clemens VII. Sadoletus.

CVIII. Carolo V. Romanorum Imp. *Semper Augusto*.

Charissime in Christo fili noster salutem & Apostolicam benedictionem. Non opus esse credimus (a), apud Serenitatem tuam multis verbis uti, ad demonstrandum, quo-jam

(a) In edit. *arbitramur*.

jam per tres annos studio, quibus nos curis & actionibus, a nostri videlicet Pontificatus initio, tum pacem communem totius Christiani nominis, tum privatim tuam amicitiam & conjunctionem nobiscum procuraverimus atque appetierimus; sunt enim omnia acta cogitataque tibi propemodum æque nota ac nobis: sumus nos quidem conscii, nihil prætermisisse, quod vel ad boni Pastoris officium erga universum gregem, vel ad fidelis amici animum in tuam Serenitatem speciatim pertineret. Quorum tamen bonorum operum, atque amoris erga te nostri eum sumus exitum consecuti, ut repulsi jam toties a benevolentia & conjunctione tua, cum nullam æquitatem conditionum, nullum indicium veri amoris apud te invenerimus; sive eorum artibus & dolis, qui nos cum Serenitate tua nunquam conjunctos esse voluerunt; sive tua mente, oppressionem Italiæ & imminutionem nostræ dignitatis meditante, ad ea consilia a quibus & natura & voluntate semper abhorruimus necessario sumus compulsi, serius quidem multo quam aut plurimarum rerum indignitas, aut honoris nostri, & publici Italiæ boni ratio postulabat. Sed cum ad extremum ventum esset, cumque patientiæ nostræ diuturnæ atque magnæ jam nomen & opinio ad negligentiam rerum publicarum, converteretur; coacti sumus tandem ea capere arma, quæ & justitiæ, & Italiæ libertati & nobis ipsis possent esse præsidio, non offendendi cujusquam causa, sed tuendi & conservandi honoris atque officii nostri. Etenim ut commemoremus breviter causas, quibus adacti sumus ita facere; meminisse potuit Serenitas

nitas tua, nos cum in Cardinalatu essemus, tibi summe addictos atque conjunctos, & vivo f. r. Leone X. fratre nostro patruele, & deinde etiam mortuo, quo rerum tuarum is exitus esset, & ea gloria, quam tumet optabas, non laboribus, non periculis nostræ personæ propriæ, non impensis pepercisse. Cumque deinde Divina providentia ad Pontificatus honorem vocati fuissemus, tuique tunc hostes in Italia magnas copias haberent, etsi pro Pastoralis officii debito ab illis armis nobis abstinendum erat, tamen ne rationes tuas impeditas relinqueremus, non solum Florentinorum, sed sanctæ etiam Romanæ Ecclesiæ copias in tuis subsidiis & castris versari permisimus; nec vero pecunias suppeditare cessavimus, nec ante quam depulsum illud periculum fuit, destitimus tuis ducibus favere & juvare. Postea vero, cum hic Pontificatus honor etiam in nobis patris personam exposceret, decrevissemusque abesse ab armis & bellis, exercitusque & milites nostros, tuis jam bene constitutis rebus, & non modo non inferioribus, sed superioribus etiam quam hostium tuorum, revocavissemus; tamen armis a nobis depositis, neque fideli consilio Ducibus tuis in Galliam transeuntibus, neque inde pedem referentibus pecuniarum auxilio, pro rerum nostrarum tenuitate, defuimus (a). Successit ex illo intempestivo in Galliam transalpinam tuorum transitu, celerior & gravior in Italiam Gallorum irruptio, Rege maximi nominis exercitum ducente, ac urbis opulentissimæ Mediolani ab illis receptio. Quo tempore, cum du-

(a) In ed. *adfuimus* male.

duces tui de defensione illarum regionum spem totam posuissent, ac de earum insuper, quæ tuæ erant propriæ, periculo commoverentur, nos etiam in magno nostrarum rerum metu essemus; eis conventionibus occurrere coacti fuimus imminenti periculo, quas tu optime nosti (a) Ex quibus vidisti tu profecto & cognovisti, quæ nobis esset cura, quæ cautio rerum harum (b), ut nihilo minus tibi rebusque tuis, quam & nobis caveremus. Hæc tu si nosti, quæ ad te certe pervenerunt, nihil opus est illius temporis actiones nostras comprobare apud te, singulareque quoddam studium nostrum status honorisque tui ostendere; facile enim hoc tibi res ipsa declaravit: sin autem vel non cognovisti, vel oblitus es, erit tempus commodius, quo ista exponemus, qui & Gallorum transitum in tui regni fines multis rebus remorati fuimus; & cum si societatem illorum voluissemus sequi, maxima nobis præmia, non solum proponerentur, sed etiam essent parata, ab instituto nostro non discessimus: plusque apud nos amicitiæ tuæ memoria, quam præmium ullum valuit. Secuta est victoria tuorum adversus Gallos, qua adepta, cum omnis nobis sublata contentio videretur, cumque jam sine cupiditate & partium suspicione tibi videremur fœderis vinculo hærere posse, magnumque in eo beneficium Italiæ & Christianitatis totius positum arbitraremur, non fœdus solum fecimus, sed quo tui duces egentes pecuniæ alere, & sustinere exercitum possent, eumque a nostris finibus abducerent, centum illis dedimus du-

(a) In ed. inter Misc. *nostri* perperam. (b) In ed. *cum*.

ducatorum millia, conditione apposita, ut si de fœdere aliqua dubitatio tibi oriretur, illæ nobis pecuniæ restituerentur. Eo fœdere plane a te non accepto, nec probato; cum propter æmulationes quorundam ex ducibus tuis, & ingrata ceteris consilia, bon. mem. (a) Piscariæ Marchio nonnulla jactare tractareque cœpisset, quæ in detrimentum tui status intendi videbantur, nosque etiam illa consilia audivissemus, neque, fœdere abs te rejecto, essemus penitus aspernati; quærentes scilicet, si tu nobis deesses, sicut jam deeras, ubi possemus niti atque confidere; tamen neque a verbis ad facta aditum ullum tentavimus, & vincente tuam in nos duritiam amore erga te nostro, recordamur te admoneri mandasse, ut duces tuos in Italia, quorum in manu res tuæ essent, curares de te esse contentos: quo certe officio probare debuimus, esse nobis vehementer curæ quietem & stabilitatem rerum tuarum. Deinde vero, maximo cum gemitu & dolore nostro atque Italiæ totius, cum iidem duces tui statum Mediolani occupavissent, atque arcem, in qua Franciscus Maria residebat circumvallare instituissent, tamen, postulante a nobis curam & securitatem adversus indignitatem tantam Italiæ periculo, omnibus notis atque ignotis flagitantibus, paratis qui arma & auxilia conferrent, cunctis prope Christianitatis Regibus nos animantibus; cum non videremur posse resistere monitis, querelis, precibusque illorum; cum nos officii nostri debitum, Italiæ calamitas & periculum commune commoneret; tamen adveniente per eos dies dil. fil. Commendatore Herrera, a te

(a) In ed. *Parmæ*.

te ad nos tractandi causa (ut ipse ferebat) misso, relapsi in pristinam spem & cupiditatem benivolentiæ tuæ nobis quoquomodo conciliandæ, dimissis consiliis, conspirationibus, oblationibusque cunctorum, gravi omnium indignatione & querela, qui se a nobis desertos conquerebantur, ad te denuo confugiendum putavimus, quærentesque tibi comparare gloriam pacandæ Christianitatis, & moderationis tuæ omnibus declarandæ, meminimus, ea conventionum capitula, quæ prædictus Herrera attulerat, paucis in locis leviter immutata remisisse ad te comprobanda, scripsisseque manu nostra litteras, quibus te per Dei misericordiam obsecrantes, ut depellere velles hanc suspicionem, quæ de tua nimia cupiditate omnibus adhærebat; & perpetuitatem ac fructum amicitiæ nostræ tibi pollicebamur, & consilium fidele dabamus, & quæ petenda erant omni cum humanitate & benivolentia abs te petebamus; securitatem videlicet Italiæ; Duci Mediolani, si quo pacto errasset, clementiam; nobis ipsis amorem: quæ tot nostra opera atque officia erga Serenitatem tuam, necnon alia quamplurima, quæ tibi quotidie a nobis postulanti prompte semper concedebamus, ex quibus tibi commodum atque honor quotidie accrescebat, quemadmodum a te accepta & recompensata sint, in promptu est cognoscere. Primum, omnium tuorum in Italia agentium iniquitati & contuberniis (a) ita fuimus expositi, ut cum non omnia statim ex illorum præscripto & cupiditate egissemus, de nostra fide & voluntate obloquerentur-

(a) In ed. *contumeliis*.

rentur, nosque apud te suspicionibus sinistris onerare non desinerent; nec reputantes quid officium nostrum honosque deposceret, vellent nos secum in omne consilium, quod illis placeret, ruere præcipites; atque ubi primum moderatius & circumspectius nos contineremus, omnium præteritorum officiorum periret gratia: quibus tu profecto fidei multo plusquam conveniebat habebas. Deinde in Senensi civitate omnes nobis amicos & benivolos tanta tuorum acerbitas & iniquitas insectata est, ut exterminata omni pene nobilitate, cædibusque multis factis, nihil fieret apertius, quam eas contumelias & opprobria nobis ipsis impingi; cum nos patientia & dissimulatione, atque ut omnes modestiæ partes erga te servaremus, nullum aliud remedium tot innocentium calamitatibus nisi a te ipso quæsissemus; quod tantum abfuit ut præstaretur, ut quotidie pejus atque acerbius illi in clades benivolorum nostrorum, & nostrum dedecus grassarentur. Fœderis autem ipsius tua rejectio, quod nos cum tuis Oratoribus & agendi facultatem habentibus ictum, & a dilecto filio nobili viro Carolo De la Noy Vicerege Neapolitano comprobatum & ratificatum pro firmissimo habebamus, cum ejus non tam ratificatio abs te, quam executio sola expectaretur, quid tandem tibi erga nos animi esse ostendit? cum si quid in illo pro te esset, id libenter adsciseres; in quo vero aut dignitati nostræ aut commodo inserviretur, id infectum irritumque dimitteres: sicut in iis quæ separatim stipulata fuerant, spolii videlicet terrarum & locorum Sedis Apostolicæ, & alio-

aliorum quorumdam repudiatio tua declaravit. Quo etiam eventu non solum pecunias nostras ex pacto convento non recuperavimus, verum etiam contra promissum, & fidem datam, exercitus tui bona pars in S. R. E. locis & terris prope assidue versata est, tantis & tam gravibus injuriis & detrimentis subditorum nostrorum, & crudelilatis, avaritiæ & innumerabilium scelerum atque inaudita immanitatis fama, ut horribilis sit & auribus humanis intoleranda commemoratio. Accessit in eis conditionibus, quæ inter Serenitatem tuam & charissimum in Christo filium nostrum Franciscum Regem Christianissimum apud te existentem tractabantur; ut de illis nostri Legati & Nuncii aut penitus celarentur, aut vix atque ægre, cum ipsi studiose inquirerent, de levissimis docerentur, & neque ea quæ auditu ex conjectura assequebantur, illis ad nos scribere permitteretur. Quo quidem tempore maximum dabatur signum tuæ & a nobis alienæ, & fidei nostræ derogantis voluntatis. Mittimus innumerabilia alia, in quibus nulla unquam habita est ratio nec honoris, nec voluntatis nostræ. Ad illas ipsas litteras, quas ad te tam humane & liberaliter scripsimus, ita responsum a te est, ut ubi clementiam Duci Mediolani petebamus, tu rigorem justitiæ offerres; ita tamen, ut nequaquam ex ordine justitiæ, judicium atque sententiam pœna antecederet: ubi eorum quæ tunc adversus rationes tuas a tuis ducibus jactata & ad nos delata etiam fuerant, culpam in quibusdam esse dicebamus; tu (a) nos quodammodo criminarere,

(a) *Quo* in ed.

rere, illos immunes criminis faterere: quæ tibi benigne & large pollicebamur; ea tu tamquam tibi debita & obligata flagitares. In quo vero perspicuum indicium constitit, nos abs te illudi & pro nihilo haberi, fuerunt ipsa illa capitula Herreræ remissa ad te, ut comprobarentur. Cum illi facultas primo concessa uberior esset, quod jam confectam concordiam cum Rege Christianissimo habebas, tu restrictiora multo quam prius & jejuniora transmisisti, apertissime indicans nos postremos esse, & contemni abs te, ubi tibi cum aliis amicitia convenisset. Quibus tot animi tui erga nos non bene dispositi significationibus animadversis; cum sive ea tua esset propria voluntas; tuæ in nos voluntati vehementer diffidere cœpissemus: sive quorumdam ex tuis, quod magis credimus, perversitas & maligna suasio; tantum tamen illos apud te posse, vehementer periculosum intelligeremus nobis, totique Italiæ: perstitimus tamen in studio & amore pacis; perstitissemusque perpetuo, solitaque arma nostra patientiæ induentes, permisissemus Deo omnes actiones cogitationesque nostras; si non tuorum pertinacia in obsidenda arce Mediolani, illiusque ultimum prope discrimen, nos ad sustentandam libertatem Italiæ, discernendumque facta a verbis prope supremo tempore excitavisset: præsertim cum quo minus de tua voluntate dubitare possimus, tua in Hispania ad deprimendam auctoritatem sanctæ Sedis Apostolicæ, & Summi Pontificis dignitatem infringendam proposita pragmatica fuere edicta, Ecclesiasticæ facultati & libertati derogantia; quibus in regno Neapolitano, Ecclesiæ Ro-

manæ feudo, similia alia consecuta sunt; supradicti quoque Viceregis Neapolitani, qui ad nos ut veniret electus fuerat, apud Christianissimum Regem remansio, & cum eo novarum tecum conventionum occulta & a nostris ibidem agentibus abscondita tractatio, fixum in te illud consilium nostræ auctoritatis deprimendæ, & amicitiæ omnino repudiandæ, perseverantemque in ea opinione sententiam indicaret. Quod confirmavit etiam nobis magis, dilecti filii Hugonis de Moncada, ad nos firmandæ amicitiæ causa cum amplis mandatis, ut ferebatur, missi, in regno Franciæ mora, tamquam eventum speculantis; ut si illæ res tibi ex sententia confectæ essent, nos tunc penitus posthaberemur; ac deinde eodem animo cum Duce Mediolani potius pacisci contendentis: cum quidem interea tui in Italia agentes; ut omnino (a) & extra & intra appareret, contra nos quoque & S. R. E. statum iniri consilia; Parmam urbem nostram proditione occulta eripere nobis tentavissent. Quibus tot & tantis injuriis & causis, inviti quidem & gementes de te desperare & diffidere coacti sumus, nostramque amicitiam & benivolentiam, quam tu toties repudiasti, multis & magnis Regibus adjungere; quorum optimum in Christianam rem & Sedem Apostolicam animum si aspernati essemus, non jam Pastoris & communis Patris laudem, sed superbi & insolentis nomen acquisivissemus. Quod cum esset a nobis jam factum, & fide invicem data, fœdereque constricti cum eis Regibus essemus, accessit tum demum itineribus lente & tarde confectis dictus Hugo, nobis

(a) *Omnia* in ed.

bis tecum conjunctionem & conditiones eas afferens, quas nos cupidi tuæ amicitiæ, & ut nobis quidem videbatur, cum communi Italiæ & Christianitatis commodo, tui etiam & commodi & honoris privatim appetentes; tam sæpe abs te tamque vehementer cum requisissemus, fuimus toties repudiati ac repulsi: quarum nunc accipiendarum occasio & tempus præteriere. Atque ut impendens Italiæ grave servitutis periculum, ac turbationem universæ Christianitatis, quantum in nobis est, propulsaremus armis & exercitu Sedem Apostolicam munire sumus compulsi; abhorrentes quidem ab ipsa armorum tractatione, sed tamen nullam aliam viam defendendæ justitiæ & pacis inter omnes æquis conditionibus sperandæ, minime cernentes. Habes rationem nostrorum actorum & consiliorum, quæ idcirco summatim a nobis tibi explicata est, ut justificemus non solum coram Deo (is enim inspector cordium est) sed etiam coram omnibus hominibus actiones nostras. Et nunc eo animo sumus, atque ita coram eodem Deo ac te testamur; si Serenitas tua ad æquitatem & humanitatem referre se voluerit, nostra arma non solum non adversa tibi, verum etiam ad res vere gloriosas propicia futura: sin autem in occupanda quotidie magis Italia, & aliis partibus Christianitatis perturbandis, tu non tam naturæ tuæ (quam nos probam semper existimavimus) quam cupiditati & consiliis tuorum obsequi perseveraveris, nos neque justitiæ, neque libertati Italiæ, in qua hujus quoque sanctæ Sedis tutela continetur, defuturos, sed justa & sancta arma moturos, non tam ad offensionem tuam

(tibi enim omnia semper honesta & prospera optamus), quam ad defensionem nostrorum, & patriæ salutem, communisque dignitatis. Quod, ut ne nobis, nimium ægre & invite hæc ipsa tractantibus facere necesse sit, obsecramus te, fili carissime, per viscera misericordiæ Dei nostri, & per eam spem quæ de tua virtute, tamquam futura Christiano nomini salutari, omnium mentes occuparat, ut providere velis, quo immoderatis cupiditatibus repulsis, & aliquid potius publico Christianitatis bono condonando, quam omnia (a) ad te trahere conando, hæc Italiæ & Christianitatis incommoda & pericula tua moderatione sedentur. Est enim tibi profecto hujus curæ onus commune nobiscum, & ambo a Deo in hanc solicitudinem pro commissis nobis honoribus sumus vocati: in quo nos officio & debito nostro, neque defuimus, neque quantum justitiæ patrocinium permiserit defuturi sumus. Tu vero, si quæ de tua in pacem generalem voluntate passim ferebantur, veras prudentiæ & pietatis radices habebant, habes occasionem declarandi, quæ sentiebas, omnia vere & ex animo sensisse, atque operibus verba comprobando, singularem optimi Principis laudem tibi acquirendi: qui si tam nobis vere amorem tuum cupientibus, in liberanda Italia, quam fœderatis nostris, in suis justis & plenis humanitatis æquitatisque petitionibus, satisfacere institueris, erit id Serenitatis tuæ famæ & sapientiæ melius multo accomodatum, & paci universali, securitatique, tam rerum tuarum, quam totius Christianitatis magis consentaneum. Datum Ro-

(a) *Nimium* edit.

Romæ apud S. Petrum ſub anulo Piſcatoris die 23. Junii 1526. Pontificatus noſtri anno tertio.

Clemens VII. Sadoletus.

CIX. CÆSARI.

CHariſſime in Chriſto fili noſter ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Aliqua ſunt, quæ nobis præter naturam noſtram, præterque voluntatem, cum ſumma quadam neceſſitate incumbunt; quæ ſi prætermittantur, nec boni Pontificis officio, nec juſtitiæ faventis, & patrocinantis Principis debito ſatisfacere poſſe videamur; quibus coacti ſumus inire ea conſilia, per quæ libertati Italiæ, & periclitanti ſanctæ Sedi Apoſtolicæ præſidio ſimus; in quibus tua diu tam a nobis expectata, & ab omnibus ſperata animi virtus & moderatio, ſi eam medicinam adhibere voluerit, quæ & felicitatem a parte tua habet, & ut nos quidem recte judicamus, etiam gloriam, & utilitatem; magnis erit terroribus, & periculis Chriſtianitas liberata: de quibus omnibus ſcribimus largiter ad dilectum filium Baldaſarem Cardinalem, ut cum Serenitate tua conferat, ac communicet. Obteſtamur per Dominum Jeſum, patrem omnis miſericordiæ, Serenitatem tuam, ut animum, & curam adhibere ad dictum Nuncium auſcultandum, & providere publicæ ſaluti, pace æquis conditionibus amplectenda, & continendis ſuorum cupiditatibus ac injuriis intra legum, & æquitatis fines velit, ut reliquis de vita, & de fortunis ſuis vivere ſecuris liceat: quod erit non famæ ſolum, & ſapientiæ tuæ melius

multo accomodatum, ſed tranquillitati etiam tam rerum tuarum, quam Chriſtianitatis totius magis conſentaneum. Datum Romæ die 25. Junii 1526. anno tertio.

Clemens VII. Sadoletus.

CX. REGI PORTUGALLIÆ.

CHariſſime in Chriſto fili noſter ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Credimus non ignorare Serenitatem tuam, quo in ſtatu nunc ſint Chriſtianitatis res, ancipiti videlicet & periculoſo. Nam & bellis inter nos impliciti, & a Turcarum Rege occupata prorſus Hungaria, Italiæ tam imminente, quid nobis bonæ ſpei ad præſidia noſtræ reliquæ ſalutis oſtendatur, plane nil videmus. Quanquam nos illi regno miſero atque infelici quibus potuimus auxiliis opitulati ſumus; atque, ut conſtat, & tibi conſtabit teſtimoniis eorum qui illas res bene noverunt, noſtra præſidia, noſtræ copiæ, noſtri milites, aut impedimentum Turcis non mediocre fuerunt, aut illorum certe impetus ſua clade & ſanguine ſunt remorati. Sed ſive ob hoſtium inenarrabilem potentiam, ſive quod Deus (id quod potius timemus) noſtris peccatis adverſus eſt, victis & confractis repagulis omnibus, illud eſt regnum in hoſtium infidelium poteſtatem redactum. Accidit illud nobis, illa regna ſervare & defendere cupientibus incommodum; quod bello eramus in Italia implicati, non tam quidem contra Cæſaris Serenitatem; nihil enim ab ipſo certi mali aut perniciei Italiæ parari putabamus; quam adverſus & illius exercitum & Duces, qui ſta-

statu Mediolani occupato, omnibus ceteris similem terrorem suæ nimiæ cupiditatis injiciebant. Cujus belli per nos suscepti si tibi reddenda esset a nobis ratio, aut si tu clades, rapinas, direptiones, detrimenta miseræ Italiæ perspicere potuisses; non dubitamus quin justissimam vel potius necessariam causam nostram judicaturus fueris. Exercitum quidem Cæsaris sine stipendio tandiu retentum, omnium bonis & fortunis illi in prædam oblatis, qua licentia, quotque injuriis in imbecilles populos usum fuisse putandum sit, potest per se tua Serenitas cogitare. Nos igitur ad liberationem afflictæ Italiæ arma sumpsimus, ut sumus arbitrati, pia & justa: nec quicquam nos aliud spectasse, quam salutem nostræ & communis omnium gentium patriæ Italiæ, testimonio est, quod nihil in victoria ad nos emolumenti pervenire passi sumus, sed tantum pastoris & defensoris justitiæ officio fungi voluimus. Contra autem ipsum Cæsarem, ejusque res legitimas atque proprias ita nihil unquam sumus damni machinati, ut cum superioribus diebus Columnensibus subditis nostris quidem, sed nobis parum fidis, arma in manibus ad portas Urbis nostræ tenentibus, nos quoque firmam manum militum comparavissemus, qua illis facile superiores in Neapolitanum Regnum intrare, & omnia turbare, ac labefactare potuissemus, simulatque fides est nobis per Columnenses data, eos arma esse deposituros, nihilque contra nos & statum nostrum tentaturos, statim omnia armata præsidia dimisimus, quaque in parte, si inimico animo fuissemus in Cæsarem, bellum flagrare & vigere oportebat,

ea ex parte summam pacem fecimus. Ergo in hoc statu res nostræ erant, cum est ad nos de Regis Hungariæ morte, & ejus exercitu cæso, ac de Turcarum victoria allatum. Quo nuncio perculsi, cum cerneremus nisi apta remedia quærerentur, omnia in unam ruinam procubitura, statim cœpimus consilium, inspirante Domino, quacunque ratione arma nostra deponendi, ac jusso accersiri Ugonem de Moncada Cæsaris Capitaneo, induciarum tempus constituendi, quo interea nosmetipsi ad charissimos in Christo filios nostros Cæsarem & Christianissimum Regem accedere & efflagitare inter illos pacem, auxilium labanti Christianæ Reipublicæ petere atque obsecrare, iram Dei denunciare, omnia denique tentare & agere quæ ad profectum pacis necessaria essent, valeremus, non nostro incommodo, non populorum nostrorum, non periculis ullis, aut maris, aut terræ, nostram piam voluntatem deterrentibus. Hac re sic deliberata, postero die mane, advocato Venerabilium Fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Consistorio, significavimus illis hujus suscipiendi itineris mentem nostram, quæ cum ab omnibus fuisset approbata, silentium tunc illis indiximus. Vespere autem ejusdem diei, vocatis Oratoribus omnium Principum qui apud nos erant, eamdem voluntatem nostram illis aperuimus, inter quos dilectus filius Martinus de Portugallia Serenitatis tuæ nepos, cujus virtus, industria, prudentia, nobiscum sæpe alias, tum maxime in hoc omni periculosissimo tempore satisfecit, optimus potest tibi esse testis; qui in consiliis periculisque nostris omnibus, labore, diligentia,

tia, consilio assiduus intervenit, & hactenus quæ.... Cum ecce postridie summo mane tumultuosissimus nuncius ad nos venit. Columnenses oblitos fidei quam nobis dederant, iniquissima mente & voluntate, Duce jam dicto Ugo de Moncada Cæsaris Capitaneo cum magna manu esse ad Urbis portas, jamque ingressos mœnia ad personam nostram vel necandam, vel captivandam præproperos advolare. Quo metu subacti, continuo ad arcem sancti Angeli nos recepimus, atque illi noctu, longissimo.... confecto cum in palatium venissent, atque ibi personam nostram non invenissent, ad cædes direptionesque conversi sunt. Quo in spectaculo acerbo & lugubri, quid est quod pro calamitate tanti mali scribere apte possumus? cum oculis nostris videremus rapi, trahi, ferri omnia tam sacra, quam profana (quamquam in ejusmodi loco quid potuit esse profanum?) cum templum illud sanctum & venerabile Beati Petri, quod caput, quod domicilium, quod fundamentum Christianæ Religionis semper habitum est, Hispanorum & aliorum, qui cum illis erant, manibus cruentis videremus diripi, aras sanguine fœdari, omnia sacrorum ministeria distrahi & dilaniari, necnon antiquum Sacrarium in palatio, in quo rem divinam perpetuo Romani Pontifices celebrare soliti erant, ita cultu & apparatibus ornatum, ut tamen in eo plus reverentiæ & sanctitatis quam divitiarum esset, omnibus ornamentis, nullo sacramento Religionis cupiditatem retardante, vidimus spoliatum; quibusque templis & sacris rebus, neque Gothorum quondam nimis feræ mentes, neque Vandalorum

Christo non parentium infidelitas, cum in hæc eadem loca barbaræ illæ gentes per vim invasissent, ullam injuriam, ullum detrimentum propter reverentiam sanctitatis attulerunt; nostri, Christi nomen & characterem præferentes, nullam in partem pepercere, eis ducentibus, atque hortantibus, quos maxime ægre ferre tam atrox delictum & facinus oportebat. Nec hic illorum immanitas constitit, sed discursionibus factis, cum plurimæ domus prædæ fuissent datæ, cumque alias plures idem incommodi sensuras cerneremus, ita dolore victi & afflictæ Urbis misericordia affecti fuimus, ut potius ad conditiones devenire, quam tam acerbum spectaculum diutius intueri sustineremus: magna quidem nostra & Sanctæ Sedis Apostolicæ indignitate; sed de duobus maximis malis quod minus malum fuit, duximus eligendum. Itaque ad pactiones descendimus, ut utrinque arma in Italia suspenderentur, quod nos quidem jam velle facere fueramus professi; sed magnus tamen in eo dolor, quod voluntate faciebamus, id per vim facere videri, ut eis.... omnibus qui in eo insultu contra nos & sedem Apostolicam ignosceremus; quod etiam concessimus, conditione apposita, quam tamen conditionem nec illi servaverunt, neque, ut apparet, sunt servaturi. His pactis conditionibus illa procella summi periculi tum a nobis depulsa est; sed tam subito & insperato incommodo consilium nostræ profectionis sublatum videbatur; dissuadentibus fere omnibus, ut ab itinere desisteremus, quod jam nullam habiturum esset dignitatem, nec optati exitus pacis conciliandæ gratiam. Stetimus igi-

igitur ancipites & vehementer dubii, quid nobis esset agendum. Hæc linquere uti erant sic turbata, parum cautum; ad conficiendam pacem non accedere, parum pium videbatur. Cum, re denuo cum Venerabilibus Fratribus nostris communicata, hoc consilium captum est, ut mitteremus ad omnes Reges novos Nuncios; qui & calamitatem regni Hungariæ, & necessitatem pacis, & nostrum quoque recentem casum significarent: ac si, coeuntibus eorum ad pacem & studium concordiæ voluntatibus, aliquis eligeretur locus, in quo fieri commune Regum colloquium inter ipsos posset, nosmet denuntiarent ad illud colloquium esse venturos. Ac alii ad alios destinati sunt; ad te vero, fili charissime, non habuimus dexteriorem prudentioremque Nuncium quem mitteremus, quam tuum ipsius Oratorem, cujus omni hoc tempore summa erga nos & hanc sanctam Sedem officia extiterunt. Ille enim, nullo labore recusato, sæpe inter nos & Ugonem, jamdiu cum nec gladiorum, nec licentiæ militaris periculum, quod illi ab cupidis prædæ & sanguinis militibus imminebat, illius pietatem & operam retardaret, omni solicitudine, omni studio & opera conatus est, ut & illorum crudelem vim mitigaret, & nos ad compositionem cum illis adduceret; cui quantum debeamus vix possumus explicare: certe nisi ejus industria & auctoritas intercessisset, aliquod majus malum illo die fuisset patratum. Cum igitur & testis fidelis, & prudens explicator, & optima mente atque animo in Christi rem prædictus a nobis esset judicatus, eum in secreto Consistorio jussimus introduci, ac illum obtestati sumus, ut iter

hoc necessarium ad te pro Christiana Republica & Dei optimi maximi fide, ac pro nostra dignitate susciperet: quam petitionem nostram, omnium Venerabilium Fratrum nostrorum preces sunt subsecutæ. Atque ipse, ut est in omni pio labore promptissimus, etsi durius aliquantum ducebat, sine tuo jussu a sua legatione discedere; tamen tanto consensu nostro & Senatus Apostolici victus, ac optime existimans, Serenitati tuæ, pro tuo eximio animo in rem Christi & publicam, id non solum probatum, sed gratum etiam futurum, concessit nostræ voluntati; atque hunc quoque, post alios multos, laborem ad te proficiscendi, & ad Serenissimum quoque Cæsarem suscepit, ad quem, quamquam & per alios curavimus perferri nostra desideria; tamen in ipso tuo Oratore maximum momentum illius movendi, & suadendi posuimus. Quæ autem a tua Serenitate requirimus, ea hæc sunt; primum, ut quod ad pacem communem, & remedium adversus crudelissimum hostem parandum pertinet, in eo velis omnem vim adhibere & virtutis & potentiæ tuæ: deinde, si alia ratio negotii conficiendi expeditior non occurrat, diem & locum & modum velis constituendum curare, suadendo hoc Cæsari, & si etiam tibi videatur, Christianissimo Regi, ut colloquium sanctum & salutare fieri possit; sicut nos quoque ambos eosdem Reges non solum hortamur per Nuncios nostros, verum etiam obsecramus. Nos enim Serenitati tuæ pollicemur, si hujus optati colloquii data erit facultas, nos promptissimo & libentissimo animo illuc accessuros, personamque nostram omnibus periculis pro Dei,

& Fi-

& Fidei Christi utilitate & causa objecturos. Quod ita maxime fieri cupimus, ut etiam interveniat, si possit fieri, Serenitas tua, vel hortatrix concordiæ, vel conditionum confirmatrix; quod tua maxime auctoritate poterit effici. Nec tamen arbitramur, factum ullum præclarius aut gloriosus posse a te hoc tempore suscipi, dignum tua & parentis tui gloria: qui quidem tuus pater, cum omnem ætatem suam in re Christi, & Religionis Christianæ propagatione consumpserit, tantæque laudis hæreditatem tibi reliquerit; advenit nunc tempus, non optabile illud quidem, sed tamen tibi quidem accommodum, quo brevi spatio, uno maxime & opportunissimo pacis opere, & consilio, illius perpetuam & eximiam laudem, ex multis pietatis operibus acquisitam possis adæquare. Debes autem hoc Deo, & eis divinis muneribus ac beneficiis, quæ tibi ab illo collata multa & magna sunt: in quem si parum gratus reperirere, timenda illius ira indignatioque esset. Porro res Christianæ in eum locum adductæ sunt, ut aut celeri remedio maximis urgentissimisque, non jam periculis sed cladibus occurrendum sit, aut nullum posthac futurum sit remedium: cujus remedii inveniendi nos summam quandam spem & opinionem in tua Serenitate ponimus, quæ ne nos fallat, etiam atque etiam te per viscera misericordiæ Dei nostri obtestamur. Sed de his copiosiora mandata ipsi tuo Oratori ad te perferenda dedimus, cui Serenitas tua circa hæc referenti fidem summam habebit. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die 18. Octobris MDXXVI. Pontificatus nostri anno tertio. Jac. Sadolet.

CXI. HEL-

CXI. HELVETIIS.

DIlecti Filii. Non ignari eximiæ illius virtutis ſtudiique perpetui, quo natio iſta invictiſſima Apoſtolicam Sedem, ſanctamque Romanam Eccleſiam eſt proſecuta, ut primum ad ſummum hunc Pontificatus gradum fuimus aſſumpti, aliquem iſthuc mittere cogitavimus, qui nimirum, & ſanctæ hujus Sedis Nuncium apud vos ageret, noſtramque erga vos paternam benevolentiam omnibus declararet officiis, quæ optari a vobis, & a nobis præſtari poſſe cognoſceret. Sed enim, ut vos non latuit, ea paulo poſt conſecuta ſunt tempora, quæ omnes cogitationes noſtras conſiliaque interruperint, noſterque, & rerum omnium ſtatus noſtrarum,eo aliquando fuerit redactus, ut ejuſmodi amoris, ac pietatis ſigna potius accipere ab aliis neceſſe haberemus, quam Devotionibus veſtris, aut cuiquam ex aliis vere nobis dilectis dare poſſemus: nunquam plane in eo neque nobis, nec vobis ſatisfecimus. Quamquam, quod ad nos pertinet, uti veſtræ ſemper gloriæ & amplitudinis fuimus ſtudioſi, ita veſtrarum Devotionum perturbationibus, & incommodis, quæ ſane non mediocria viſa nobis ſunt, ut decuit parentem veſtrum amantiſſimum, vehementer affecti ſumus; nihilque prætermiſimus, quo, quantum cum Deo fieri a nobis poſſet, vobis, & veſtris rebus conſuleremus. Nunc autem, etſi novæ nos in dies premunt anguſtiæ, aliæque ex aliis difficultates aſſidue impediunt, perpetuo tamen commodi, & honoris veſtri impulſi deſiderio, diutius dif-

differre nequivimus, quin aliquem ad vos Nuncium mitteremus, qui cum omnes inter vos pacem atque concordiam, tum quidquid ad vestram amplitudinem, nominis gloriam, rerumque accessionem spectare videret, nostro, & hujus sanctæ Sedis nomine procuraret. Cum vero eum esse hominem optaremus, qui non nobis modo ipsis, sed vobis quoque, & gratus, & probatus foret, ven. Fr. Episcopum Verulanum potissimum delegimus, cui etsi mandavimus, ut ad hoc nostrum, pacis vestræ, commodi, & dignitatis explendum desiderium, amoremque erga vos quacumque in re opus fuerit declarandum omni opera, studio, assiduitate incumbat; idem tamen sua ipsius sponte, quadamque erga vos animi propensione eum esse facturum non dubitamus. Hortamur igitur vos, ut eo illum nomine excipere, atque animo velitis, quo a nobis est missus, & per se ipse est profectus; in eisque rebus omnibus, quas vobiscum aget fidem omnem præstare. Nam, quod ad cetera attinet, sive vestra ipsorum, seu nostra, & sanctæ Sedis agenda sit res, nihil unquam a vobis expectavimus, nisi quod ab observantissimis, & optimis S. R. E. filiis expectari debet, quodque iis dignum sit titulis, & honoribus, quos vestra singulari fide præstantique virtute a summis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, a nobisque meruistis; sicuti de his, & aliis idem Episcopus pluribus est vobiscum acturus. Datum Romæ Die 22. Augusti 1532.

Clemens VII.

EPI-

EPISTOLÆ NOMINE PAULI III.

CX. CÆSARI.

CArissime in Christo Fili noster &c. Etsi certi sumus, famam ipsam, quæ malarum præcipue rerum velox & festina est, gravem tibi nuncium de periculis Hungariæ, ad paucos dies allaturam; tamen existimavimus nostrarum partium esse, quæ ex Nuncio ibidem nostro Joanne Antonio Pulleone Barone Burgii, homine prudentissimo, & vigilantissimo accepimus, ea quam primum Serenitati tuæ significare; futura illa tibi quidem molesta, verumtamen cognitu necessaria: in his enim vulneribus, quæ afflictæ jam dudum, & labanti Christianitati quotidie afferuntur, ad eum potissimum Auctorem confugiendum, unde salutaris medicina potest expectari. Ac de rebus quidem illius regni, in quo statu sint, quamve misere & infirme se habeant, deque consiliis hostium, quibus jam, & spe ipsorum, capta atque confecta, & nostra prope desperatione complorata Hungaria est, jussimus capita ipsa litterarum describi, & ad Serenitatem tuam mitti; ex quibus seriem totius negotii cognosceres. Quid vero ad hæc tanta, & tam acerba mala ferri opis, aut consilii inveniri possit, ut tantisper saltem imminens excidium differatur, quoad constitutis desiderata pace Christianitatis rebus, aliquis aliquando Reipublicæ & veræ pietatis amor in Principum mentibus, & cordibus recalescat; testamur Deum, & Dominum nostrum, nos nihil adhuc quod placeat, statuere po-

potuisse. Sive enim viribus, & opibus sit opus, omnia hic infirma, & extenuata sunt; sive etiam illa adessent, vix videtur brevitas temporis illius jam remedii capere vim posse. In qua nos cura, & cogitatione ancipites, ut primum litteræ illæ nobis redditæ fuerunt, advocavimus e vestigio Venerabiles Fratres nostros, atque eorum Consilio & Cœtui, Regum & Principum Christianorum Oratores, qui in Urbe aderant, etiam adjunximus, ut & nobiscum, & cum illis una, cum testes essent miseriarum, tum adjutores, si fieri posset inveniendæ salutis, quorum cunctorum deliberatione, & consilio, quæ sunt explicata, in alia scheda seorsum conscripta sunt. Illud quidem præ ceteris præsentius, & promptius remedium, & nobis, & illis visum est; quoniam armis, & apparatu bellico occurrere in tempore ad illam nobilem, ac maxime opportunam Provinciam retinendam non possumus, ut unusquisque Principum per suum fidelem aliquem, subsidium pecuniæ in Hungariam mittat; per quod ex finitimis nationibus Bohemisque præsertim, pedites conducti sustinere impetum ingruentium hostium tantisper possint, & regni illius spiritum, atque vitam ad aliquod commodius medicinæ tempus reservare. Hoc unum consilium reliquum videtur factum, in quo spes etiam nunc aliqua exiguæ salutis resideat. Quod si neglectum, ac repudiatum fuerit, non veremur jam nos quidem, sed pro certo ducimus, nos ad alterum annum Hungariam non habituros; frustraque deinde, & nobile membrum Christianitatis, & propugnaculum nationis fortissimæ adversus Turcarum intolerabilem poten-

tentiam desideraturos. Quæ res cum sic se habeat, scribimus ad cunctos quidem Principes, & eorum auxilium rebus Hungaricis imploramus; sed in te unum præcipue, fili charissime, oculi, & spes nostra conversa est. Scimus etenim Dei causa quid possis; novimus quid velis; quantum autem velle debeas, omnes ignoti, notique intelligunt: ad tantam autem naturæ bonitatem, tanto necessitudinis, & erga Deum gratiæ officio adjuncto, quid est vel tam arduum, quod pro Republica, vel tam laboriosum, quod pro honore Dei aut non suscipere, aut nos de te non sperare debeamus? Cernimus ipsi in quæ tempora vocati ad hoc pergrave jam, nequaquam autem jucundum Pontificatus administrandi onus fuerimus, infausta videlicet, & turbulenta; quibus quidquid sanandum, confirmandumque apprehendas, ut in ruinosis parietibus putres structuræ solent, ita tibi apprehensum in manibus conteritur, ad nihilumque redigitur. Tenuimus tamen, Deo adjuvante, Hungariæ salutem usque in hodiernum diem. Nos enim summam pecuniæ, quæ illuc a felicis recordationis Adriano Prædecessore nostro missa fuerat, auximus. Nos jam aliquoties hordei, tritici, pulveris non mediocrem numerum ad sustinendas arces Croatiæ misimus. Nos Urbem Elizem (a) bis a Turcis obsessam, & pene captam, nostro item bis sumptu, nostra cura liberavimus; ut quisque in his regionibus opis indigus est, ita ad nos opem petitum advenit, quos nos

(a) Aliquod heic videtur esse librarii peccatum: ut qui primum has litteras edidit, animadvertit.

nos non ſinimus vacuos ſpei, opiſque diſcedere: & hæc facimus omni ipſi ope, omnibus prope vectigalibus deſtituti. Vincit tamen voluntas impotentiam, & fidei ac charitatis ſtudio difficultates omnes ſuperantur; quæ cum a nobis fiant ſumma egeſtate oppreſſis, quid a te expectandum eſt, fili chariſſime, in quem omnis Dei beneficentia tam large, & abundanter effuſa eſt? Neque nos te monemus officii & debiti, in iis regionibus celeri, & opportuno pecuniæ ſubſidio adjuvandis, quo jam ſuſcepto oneri, & impendio noſmetipſos ſubducamus, parteſque etiam noſtras in te transferamus; ſed ut tu nobiſcum una ad ferendam opem illi regno te accingas, in honorem, & ſalutem Chriſtianitatis, cujus tibi incolumitas prope æqua ex parte ac nobis commendata eſt. Quæ ſi, illa inclyta natione amiſſa, manca, & mutila facta fuerit, deformatoque corpore, hanc etiam notam tuæ ætatis ſæculo inuſſerit, ut, te uſque adeo florente & præpollente, immaniſſimis tamen hoſtibus prodita, & objecta fuiſſe videatur; quid te quæſumus opes tuæ, quid imperium, quid victoriæ inſignes adjuvabunt ad diluendam maculam nominis tui? Quam ad Deum omnipotentem cauſam dicturus es; apud quem certe dicenda eſt; quando cætera omnia caduca, & interitura ſunt; opus Religionis & pietatis ſolum eſt æternum. Sed hæc aget idem ille Omnipotens Deus, ut longe ſint a te, atque ab ætate noſtra, tuque potius, quæ invictiſſimo Rege, & Chriſtianiſſimo Cæſare digna ſunt, agenda, paranda, navandaque, ſuſcipias. Atque utinam, pace inter te Regemque Francorum conciliata; de

de qua rumores venerunt satis constantes; ita opportuno tempore, ut junctis simul tanti boni malique nunciis (si modo pax ipsa vera est) & severitatem simul, & misericordiam Dei immortalis omnes admiraremur. Verum quæ huic periculo, propinquæ calamitati propulsandæ necessaria sunt, ut Serenitas tua accurate, mature, pieque cogitet atque efficiat, illam in Domino adhortantes, omni animi studio obtestamur; de qua etiam cum ea dilecti filii nostri Legatus, & Nuncius nostris verbis agent; quibus illa fidem habebit. Datum Romæ die 19. Februarii 1536. Anno III.

Paulus III. Sadoletus.

CXIII. Archiepiscopo Trevirensi.

Venerabilis Frater. Omnibus tentatis jam consumptisque remediis, quibus impiorum hominum mentes Germanicæ nationis sanari posse sperabamus, & pro nostro erga illam nobilem nationem paterno affectu vehementer optabamus; cum nec lenia remedia, quæ primo adhibuimus quidquam profecerint, nec Generalis Concilii ratio, tot jam menses in ipsis Germaniæ finibus aperti, atque habiti ullam prorsus apud eos auctoritatem, ac vim habeat; quippe quod apertissime contemnunt; nos cum satis jam spectatam omnibus patientiam, & lenitatem nostram esse intelligeremus, id consilii, non nostra quidem sponte, sed necessitate compulsi, & coacti cœpimus, quo illorum pertinacia summa impietate conjuncta, Deo juvante, frangatur, nec ad reliqui Dominici Gregis, nostræ tutelæ divinitus commissi perni-

niciem, ipsa impunitate corroboretur. Itaque nostris paternis cohortationibus, & suasionibus excitatus charissimus in Christo filius noster Carolus Romanorum Imperator semper Augustus, frustra ipse quoque mites vias omnes persecutus, quo illorum animos sanaret, quod optimo ipsius in Rempublicam Christianam animo, summaque prudentia, & fortitudine, ac perpetua erga nos, atque hanc sanctam Sedem observantia, dignum erat, fecit, ut arma contra Religionis, & publicæ pacis, ac tranquillitatis hostes, tam pia, quam necessaria caperet; cui nos ad tam sanctum, & toti Christiano nomini salutare bellum ea missuri auxilia sumus, quæ nostrum ardens restituendæ Religionis, & pacis publicæ recuperandæ studium, ac desiderium postulat. Magnam quidem spem habemus, reliquos Catholicos Principes nobiscum esse ad hoc tam pium bellum sanctissimo quodam fœdere consensuros; sed eos id agere, & præstare maxime decet, qui Ecclesiasticis dignitatibus præditi, opes, quas ob eas ipsas dignitates possident, ad defendendam Dei Religionem, & ipsius Ecclesiæ causam ut conferant, arctiore quodam obligationis, & officii vinculo sunt adstricti. Sed cum alios speramus, hac in re muneri, & officio suo minime defuturos, tum id nobis de te præcipue pollicemur, vel quod virtus, & constans erga Deum pietas tua nobis optime nota est, vel quod sacri es Romani Imperii Elector; quorum alterum, ut Religionem pro tuis opibus, & facultatibus tueare contra impietatis auctores, alterum, ut Imperatorem invictissimum, in tam præclaro conficiendo opere prompte se-

sequaris atque adjuves, te debet impellere. Isthuc accedit, id quod præclare pro tua prudentia intelligis, ut nisi illorum hominum furor armis reprimatur, quando alia ulla jam ratione fieri id nequit, omnium Ecclesiasticorum Principum in illis regionibus, non fortunæ solum, & dominia, sed ipsa etiam salus, & incolumitas in summo discrimine periculoque versetur. Quamobrem, ut hoc bellum quantis poteris facultatibus juves, te etiam, atque etiam in Domino cohortamur; quemadmodum te facturum esse minime dubitamus. Nihil est profecto, quod aut tu Christiano nomini salutarius, aut tuis fortunis, tuæque saluti defendendæ magis necessarium facere possis: neque dubium esse debet, quin Deus omnipotens, cujus hoc bello religioso, & Fides Catholica, eo ipso auctore, defenditur, causæ tuæ fautor propitiusque futurus sit, & Religionis suæ propugnatoribus ea & in cælo, & in terris præmia tributurus, quæ sunt omnium maxima atque amplissima. 1546.

CXIV. Ad Concilium.

Venerabiles Fratres. Significaverunt nobis nostri de latere Legati, qui sanctæ isti Synodo nomine nostro præsident, vel in quorum personis potius nos, cura & affectu conservandæ puræ immaculatæque Christi fidei, & Religionis præsidemus; vos velut pios probosque vineæ Domini cultores, non solum ea cogitare quæ præsentem fructum nostro sæculo afferant, sed etiam longe in posteritatem providere, ut ea semper agantur, curenturque, quæ & ad stabilimentum Catholicæ fidei, & ad im-

impiarum hæresum tanquam malarum plantarum prohibitionem, extirpationemque apta sint, atque opportuna: quam nos vestram prudentiam, diligentiam, plenamque summæ pietatis voluntatem vehementer in Domino commendamus. Cum autem videatur Fraternitatibus vestris in primis id ad hanc rem pertinere, ut cæleste illud sacrarum litterarum donum, quo Dei omnipotentis liberalitas tota in nos effusa est, rite atque sancte celebretur, exerceatur, in manibus omnium, quoad fieri potest, & in summo apud omnes honore habeatur; in eorumdem Legatorum litteris cognovimus, statuere vos cogitare nonnulla, quæ ad augendum ipsarum sacrarum litterarum studium; animosque hominum, & ad docendum illas, & ad discendum magis commovendos pertinere possint; ut, de Præbendis primo vacaturis ad Magistros sacrarum lectionum deferendis, de Regularibus, aliisque Prædicatoribus, nec non Ecclesiarum Parochialium Sacerdotibus, item de exemptis, & si quæ sunt alia hoc genere conjuncta, de quibus in vestris consultationibus sit disputatum: hæc enim omnia scripserunt ad nos, in vestris nunc consiliis congregationibusque tractari. Sed quoniam aliqua ex his fortasse, quæ ad medendum perturbationi temporum Spiritus Sanctus a vobis statui oportere demonstrat, aut juri communi, & aliorum Conciliorum ordinationibus, aut etiam privilegiis ab Apostolica Sede concessis aliqua in parte videntur repugnatura, vestras Fraternitates desiderare significaverunt, ut nos iis quæ a vobis sunt in hoc genere decernenda, nostrum consensum, & auctoritatem Apostolicæ approbationis adjiceremus; ut jure semper, atque

atque honore Beatissimi Petri conservato, quæ per sacrum istud Concilium gerenda sunt, firmitatem semper inviolabilis Decreti obtineant. Nos itaque illi fundamento innixi, super quod Deus universam ædificavit Ecclesiam, vestra justissima vota atque consilia non solum commendatione, & laude, sed etiam paterna in vos, & unumquemque vestrum benevolentia prosequentes, volumus, atque decernimus, ut quidquid super his a prædictis Legatis nostris, vobiscum una, hoc est, cum sacri istius Concilii communicatione, & assensu fuerit statutum, id plenam, & perpetuam habeat roboris firmitatem; præmissis, ac aliis in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque. Nunc quoniam ab his principiis, quæ a vobis posita jam sunt, expectanda sunt, in Christianæ charitatis fundamentum, reliqua plena ejusdem, & pietatis, & prudentiæ, hortamur vos in Domino, ut divinum de vobis judicium agnoscentes, qui culturam charissimæ suæ vineæ, ejusque a pravis veperibus, & spinis purgationem, vestris potissimum consiliis, vestræ diligentiæ, & fidei commissa credidit, velitis tempus hoc opportunissimum a Domino vobis datum, in eas curas actionesque impendere, per quas pristinus Catholicæ Ecclesiæ nitor, & dignitas Sacerdotalis in omni parte terrarum, in qua colitur Christus, restaurata refulgeant: in quo opere sancto, plurimumque laudabili nos semper auctores, & approbatores habituri estis. 1546.

Finis Epistolarum Pontificiarum.

NO-

NOVARUM EPISTOLARUM

APPENDIX.

*CXV. Dilecto Filio Ludovico de Ariostis Ferrariensi.

LEO PAPA X.

DIlecte fili salutem & Apostolicam benedictionem. Singularis tua & pervetus erga nos familiamque nostram observantia egregiaque bonarum artium & litterarum doctrina, atque in studiis mitioribus, præsertimque poetices elegans ac præclarum ingenium, jure prope suo a nobis exposcere videntur, ut quæ tibi usui futura sunt, justa præsertim & honesta petenti, ea tibi liberaliter & gratiose concedamus. Quamobrem cum libros vernaculo sermone & carmine, quos Orlandi Furiosi titulo inscripsisti, ludicro more, longo tamen studio & cogitatione, multisque vigiliis confeceris, eosque conductis abs te impressoribus ac librariis edere cupias; cum ut cura diligentiaque tua emendatiores exeant, tum ut si quis fructus

 ea

* Extat hæc Epistola sive potius diploma pag. 2. primæ editionis Orlandi Furiosi Ludovici Areosti, *in Ferraræ per Maestro Giovanni Mazocco dal Bondeno a dì* XXII. *de Aprile* M. D. XVI. in quarto. Quam rarissimam editionem mihi communicavit, ut eamdem Epistolam exscriberem, qua est humanitate præditus, vir clarissimus, deque optimarum artium studiis, ac poesi præsertim cum Latina tum Italica optime meritus Petrus Antonius Serassius, cujus diligenti opera & consilio sæpe in hoc studiorum genere usi sumus.

ea de caufa percepi poteft, is ad te potius, qui conficiendi poematis laborem pertulifti, quam ad alienos deferatur: volumus & mandamus ne quis te vivente eos tuos libros imprimere, aut imprimi facere, aut impreffos venundare, vendendofve tradere ullis in locis audeat fine tuo juffu & conceffione. Qui contra mandatum hoc noftrum fecerit, & admiferit, is univerfæ Dei Ecclefiæ toto orbe terrarum expers excommunicatufque efto, nec non librorum omnium amiffione,ac ducatorum centum (quorum quinquaginta fabricæ divorum Apoftolorum Petri & Pauli de urbe, reliqui quinquaginta tibi & accufatoribus executoribufque pro rata adfcribantur) pœnis plectatur. Mandantes propterea univerfis & fingulis Venerabilibus fratribus Archiepifcopis & Epifcopis, eorumque in fpiritualibus Vicariis Generalibus, & aliis ad quos fpectat in virtute Sanctæ obedientiæ, ut præmiffa fervari omnino faciant, contrariis non obftantibus quibufcumque. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum fub annulo Pifcatoris die XXVII. Martii M. D. XVI. Pontificatus noftri Anno quarto.

Jacobus Sadoletus.

LEO

* CXVI. LEO PAPA X.

DIlecto filio Beroaldo Juniori ** Palatii nostri Apostolici Bibliotecario ***, Notario & familiari nostro antiquo salutem &c. Cum multis retro seculis Græcæ & Latinæ litteræ ob barbararum nationum colluviem periculum magnum adiissent, & calamitatem sensissent non parvam, ac sequentibus temporibus cum Italia præsertim eo malo quodammodo liberata quiescere cœpisset; multi Christiani Principes scientiarum virtutumque ornamentis decorati, præsertimque Romani Pontifices Prædecessores nostri litterarum & librorum reliquias inquirentes collegerunt; ac ut in posterum talibus injuriis, quantum cum Deo possent obviam irent, diversas Bibliothecas instituere, ubi tamquam in asylo tutus ab omni injuria locus ipsis libris esset;

* Hæ uti & quæ proxime sequuntur ad Hieronymum Aleandrum litteræ, sive potius diplomata, extant pag. LXI. & LXII. Præfationis Generalis in Catalogum Codicum manuscriptorum Bibliothecæ Vaticanæ a clarissimis Præsulibus Assemanis Stephano Evodio Archiepiscopo Apamensi, & Josepho Simonio ejusdem Vat. Bibliothecæ Præfecto contextum: quibus, ut tam ingens opus summo litterariæ Reipublicæ bono incœptum, & ad tria jam volumina productum, quantocius ad umbilicum perducere valeant, felicia ac fausta omnia adprecamur.

** Obiit Beroaldus die 30. Augusti an. 1518. eique in Bibliothecarii Apostolici munere successit Mag. Fr. Zenobius Acciajolus Ord. FF. Prædicatorum de Observantia professor anno 1518.

*** Vide quæ de hoc *Apostolici Bibliothecarii* titulo habentur paullo inferius in notis ad Ep. seq. p. 198.

iiſdemque Bibliothecis viros litteratura moribuſque conſpicuos etiam magnis cum præmiis præfecere: quibus procurantibus res litteraria non modo detrimentum non pateretur, ſed incrementum quotidie ſuſciperet. Horum igitur Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inſiſtentes, cum officium Bibliothecarii Palatii noſtri Apoſtolici, quod quondam Thomas Phædrus de Inghiramiis * Canonicus Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, dum viveret, exercebat, per obitum ejuſdem Thomæ, qui apud Sedem Apoſtolicam diem clauſit extremum, vacaverit, & vacet ad præſens: nos ſumentes de litteratura, fidelitate, & prudentia tua fiduciam ſpecialem, ac ſperantes, quod ipſa Bibliotheca, tua doctrina ac diligentia conſervabitur, ac in dies ſuſcipiet incrementum, motu proprio, non ad tuam, vel alicujus alterius pro te ſuper hoc nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, te, qui etiam continuus Commenſalis & Secretarius noſter antiquus exiſtis; ac quem nuper ob eximiam litteraturam, aliaque merita Accademiæ Romanæ in Præpoſitum præfecimus; in noſtrum & dicti Palatii Apoſtolici Bibliothecarium, quoad vixeris, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium recipimus, facimus, conſtituimus, & deputamus, cum omnibus & ſingulis honoribus, oneribus, ſalario, & emolumentis conſuetis; teque

* Patria fuit Volaterranus, dictuſque eſt Bibliothecarius a Julio II. anno 1510. die 17. Julii. Vide pag. LX. laudatæ Præfationis generalis, ubi diploma habes ejuſdem Pontificis ex Regeſtis Archivi Vaticani editum.

teque in locum dicti quondam Thomæ Phædri ad dictum officium, pariter quoad vixeris, ponimus, substituimus, & subrogamus, decernentes te ad officium prædictum, ejusque liberum exercitium, & honores, onera, salarium, & emolumenta hujusmodi recipiendum fore pariter & admittendum; ac mandantes dilecto filio moderno, & pro tempore nostro, & Romanorum Pontificum successorum nostrorum Datario, seu alii, aut aliis, ad quos id spectat, ut salarium debitum Bibliothecario dicti Palatii pro tempore singulis mensibus integraliter tibi persolvat, ac de illo plene & cum effectu satisfaciat, non obstantibus &c. Nulli ergo &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1516. Nonis Septembris, Pontificatus nostri anno IV.

Jacobus Sadoletus.

CXVII. LEO PAPA X.

Dilecto filio Hieronymo Aleandro * de Motta Canonico Leodiensi, Magistro in Theologia, ac Palatii nostri Bibliothecario,

 Fa-

* Fuit hic postea Archiepiscopus Brundusinus, ac demum S. R. E. Presbyter Cardinalis, atque an. 1542. Kal. Februarii extremum diem obiit. Notandum tamen Aleandrum ad Cardinalatus honorem adsumptum, hoc Bibliothecarii munus deponere jussum fuisse a Paulo III. an. 1538. ut ex ejusdem Pontificis Chirographo, quo Augustinus Steuchus Eugubinus, Congregationis SS. Salvatoris Bononiensis Alumnus substituitur, pag. LXIII. dictæ Præfationis edito, perspicuum est. Hinc vir clarissimus Stephanus Evodius Assemanus Archiep. Apamensis, Præfationis illius generalis author, ubi Biblio-

Familiari nostro salutem &c. Cum vita hominum brevis & fragilis sit, rerumque gestarum memoria plurimum humano usui necessaria, in librorum thesauris conservetur; nihilque magis bonis moribus & optimis legibus, quam litterarum scientia conferre videatur: idcirco magno studio, magnoque sum-

bliothecariorum Apostolicorum seriem ab antiquissimis repetitam temporibus, nimirum ab an. 580. omnium primus adcurate eruditeque in medium profert, merito corrigendum censet Angelum Mariam Cardinalem Quirinum, *qui in conspectu* (sunt ejusdem Præsulis verba) *Bibliothecæ Vaticanæ post insignem Aulæ adcessionem a Clemente XII. ei factam, quem adfabre delineatum ærique incisum, una cum Summorum Pontificum, qui eandem Bibliothecam insignioribus beneficiis exornarunt, nec non S. R. E. Cardinalium Bibliothecariorum serie, ac numismatibus, Romæ an.* 1735. *unico folio vulgavit, Hieronymum Aleandrum, quem Cardinalem creatum Bibliothecarii officium ac titulum abdicasse, ex laudato Pauli III. Chirographo ostendimus, primum Cardinalium S. R. E. Bibliothecariorum, incautus constituit. Porro autem Augustino Steucho e vivis erepto,* Bibliothecarii Palatii Apostolici, *seu* Vaticanæ Bibliothecæ *nomen ex diplomatibus Pontificiis abrogatum fuit, eique substitutus amplissimus primum titulus* Bibliothecæ Vaticanæ Protectoris; *deinde vero* S. R. E. Bibliothecarii, *addita clausula*, seu Vaticanæ Bibliothecæ Protectoris, *quo quidem titulo atque munere nonnisi S. R. E. Cardinales fuerunt deinceps insigniti, quorum primus* Marcellus Cervinus, &c. Hæc aliaque permulta scitu digna clarissimus Archiepiscopus Assemanus in cit. Præfatione Generali, Catologi Codicum manuscriptorum Bibliothecæ Apostolicæ Vaticanæ. In ea enim postquam de operis universi occasione, methodo, atque instituto, plura docte eleganterque disseruit: de ejusdem Bibliothecæ origine atque incremento, de Iconor-

sumptu & industria consuevere prisci reges, & rerum publicarum præsides, imprimisque Romani Pontifices Prædecessores nostri, conquisitis undique eximiis in variis linguis, & omni scientiarum genere libris, amplissimas Bibliothecas constituere, & illis viros in hujusmodi linguis & scientiis excellentes, magno etiam exhibito illis præmio præficere; quorum ingenio, eruditione, & prudentia Bibliothecæ ipsæ non modo conservationem, verum etiam majus in dies & incrementum reciperent, & ornamentum. Horum igitur Prædecessorum nostrorum vestigiis insistentes, cum officium Bibliothecarii Palatii nostri Apostolici, quod quondam Zenobius Acciajolus Ordinis Fratrum Predicatorom de Observantia Professor * dum viveret, obtinebat, per obitum ejusdem Zenobii, qui apud Sedem Apostolicam diem clausit extre-

nographica descriptione, ac illustrioribus ornamentis, deque regimine & insignioribus ejus administris sermonem instituit. Atque hæc omnia vir præstantissimus ea prosequitur elegantia, ut in tanta rerum varietate pene solus latine loqui videatur; ea vero diligentia, ut nihil supra. Quæ quidem diligentia cum in quacumque illius Præfationis parte, tum in Bibliothecariorum & Custodum serie potissimum elucet, in qua infinitas pene allucinationes, menda, anacronismosque, quibus scatent Catalogi, vel antiquiorum Bibliothecariorum ab Onuphrio Panvinio, Cæsare Rasponio, & Joanne Ciampinio, vel recentiorum Bibliothecariorum ab Ang. Rocca ejusque continuatore editi, sua industria, labore, ac solertia corrigit.

* Hunc idem Pontifex Leo X. Bibliothecarium renunciavit mense Septembri, anno Domini 1518. obiitque die 27. Julii an. 1519.

mum, vacaverit, & vacet ad præsens, nos volentes te, qui es magister in artibus, ac Hebraicam, Græcamque, & Latinam linguam in nostra Parisiensi universitate & aliis locis diu professus; nec non dilecti filii nostri Julii Tit. Ss. Laurentii & Damasi Presbyteri Cardinalis S. R. E. Vicecancellarii servitiis insistendo, & familiaris continuus commensalis noster existis, ob singularem doctrinam & fidem & probitatem tuam favore prosequi generoso, teque a quibusvis &c. te in nostrum & dicti Palatii Apostolici Bibliothecarium quoad vixeris, auctoritate Apostolica tenore præsentium recipimus, facimus, &c. Non obstantibus &c. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnat. Dom. 1519. VI. Kal. Augusti Pont. nostri Anno VII.

Jac. Sadoletus.

CXVIII. Universis et Singulis &c.

Cum, sicut accepimus, dilectus filius Joannes Mazochus Bergomensis Xenophontis librum cui titulus est *de factis & dictis Socratis* in quatuor discretum volumina, b. m. Bessarione S. R. E. Cardinale Niceno interprete, antehac nunquam in lucem editum ut rempublicam litterariam sua industria juvet, & bonis authoribus ad communem studiosorum utilitatem augeat, suis sumptibus imprimendum curet; nos qui hujusmodi homines paterno amplectimur benevolentiæ & charitatis affectu; ne fructus quos idem Joannes de tot impensis factis percipere sperat, alii id ipsum opus de ejus exemplaribus excuden-

dentes percipiant, providere volentes; authoritate apoſtolica tenore præſentium omnibus & ſingulis chalcographis, bibliopolis, ac aliis cujuſcumque dignitatis, gradus, & conditionis exiſtant, ſub excommunicationis latæ ſententiæ & quingentorum aureorum dicto Joanni, Cameræ Apoſtolicæ, & executori æque applicandorum per contravenientes eo ipſo incurrendis pœnis expreſſe præcipiendo, inhibemus, ne ad ſeptennium ab emiſſione librorum hujuſmodi computandum, eorum quiſpiam per ſe vel alium ſeu alios abſque dicti Joannis expreſſa licentia, dictum librum ſimul vel ſeparatim imprimere; impreſſumve, niſi ab eodem Joanne vendere aut vendendum tradere ullis in locis audeat vel præſumat. Committentes nihilominus interim noſtris ac Sedis Apoſtolicæ Legatis, Vicelegatis, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis eorumque Vicariis, ac omnibus, & quibuſcumque ad quos recurſus habebitur in virtute Sanctæ obedientiæ, ut eidem Joan. in prædictis pœnis tam publicandis, quam exigendis faveant & adſiſtant: omnia & ſingula ei obſervando, & ab aliis quantum in ſe fuerit inviolabiliter obſervari faciendo, contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Datum in villa noſtra Manliana Portuen. diœceſ. ſub annulo piſcatoris die XXI. Novem. MDXXI. Pontificatus noſtri anno nono.

Jac. Sadoletus.

CLEMENS VII.

CXIX. DIL. FIL. ACTIO SYNCERO SANNAZARIO,

DIlecte fili salutem & Apostolicam benedictionem. Accepimus librum gratissimo munere, quem tu ad nos de Dei & DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI rebus scriptum misisti, cujus argumentum præclarum atque nobile, quum in te parem ostendat animi pietatem, atque ingenii gloriam, sitque in eo nomen quoque nostrum ad memoriam eorum qui lecturi sunt, qui quidem innumerabiles futuri sunt in longa posteritate, immortalitati quasi commendatum; muneris tui magnitudinem hoc magis sentimus, quod quomodo parem referamus gratiam, habere nos non arbitramur. Si enim immortalitas optata & grata est omnibus, qui præsertim animo vegetiore atque erectiore sint, permagnæ sunt illius partes nobis a te tributæ. Quamquam enim ea est appetenda maxime, illique elaborandum præcipue, quæ post discessum ex hac vita, in illa altera vita felici & sempiterna nos cum Deo ipso collocat, tamen ne hæc quidem non libenter adsciscenda, quæ producit ad posteros nostri nominis perpetuitatem. Pro qua qui illam cœlestem & divinam immortalitatem non plane cognoverunt, maximis sæpe tamen contentionibus & acerbissimis discriminibus vitam & caput suum objecere. Quod profecto non fecissent, nisi a natura ipsa admoniti, summum quoddam bo-

num

num existere conjectati fuissent, cujus in imagine & simulacro tsm multas partes exciperentur esse delectationis & gloriæ. Est enim profecto hæc famæ & laudis ad commemorationem hominum celebritas, imago illius veræ immortalitatis, quæ eximio dono omnipotentis DEI, uni Christiano generi, PER DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM proposita est, ad quam potissimum aspirare debemus, hanc vero ita caram jucundamque ducere, si proborum & prudentium testimonium nobis deferatur, quod quidem in te nobis egregie contigit. Non enim ingenio solum tuo honorati illustratique sumus, sed (quod nobis etiam gratius est) judicio comprobati. Etsi enim ingenii gloria concedis nemini, vel omnibus potius præstas, qui in hoc scribendi genere cum laude versati sunt, tamen quum ipso scriptionis argumento ostendas, qua sis pietate, sapientia, religione præditus, jucundius etiam accepimus testimonium optimi & religiosissimi viri, quam studium doctissimi. Quapropter macte virtute tu quidem: id enim es consequutus, quo nullum majus homini bonum in hac vita existere posse videatur. Maximorum enim donorum, quibus te affecerat DEUS, gratia illi (quoad mortali homini licuit) relata, illud jam summum & incomparabile veræ immortalitatis donum es promeritus, cui deinde jam gratia nulla esse par potest. Qui talentum acceptum multiplicatis mercedibus eidem domino reddidisti, a quo acceperas. Ex quo quum fructum quoque non mediocrem tui libri dedicatione, ad nominis nostri laudem ac memoriam redundare

volueris, tantam tibi habemus gratiam, quantam capere grati & memoris Pontificis tanto devincta officio mens potest , sicut & re ipsa tibi ostendere parati sumus , & ut experiare etiam adhortamur . Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die v. Augusti M. D. XXVI. Pontificatus nostri anno tertio.

Jac. Sadoletus .

NO-

NOTÆ
IN EPISTOLAS PONTIFICIAS.

IN EPISTOLAM I.

Pag. 1. JOANNI GALEATIO COMITI.] Hic ille esse videtur Jo. Galeatius Corrigii & Castellatii Comes, quem Leo litteris datis hoc ipso anno Maximiliano Mediolanensi Duci commendat *lib.* III. *ep. Bembi* 25. Joannes alter, sive Jo. Paulus Galeatius Sfortia a Julio II. de Pisaurensi urbe exturbatus est; in eum, etsi hoc tempore viveret, ista convenire non possunt.

IN EPISTOLAM II.

Pag. 2. MARCHIONI MONTISFERRATI.] Hunc quoque Guillelmum Marchionem Montisferrati magnopere Leo diligenterque commendat eidem Maximiliano *lib.* 3. *Bemb. ep.* 3. & *lib.* 6. *ep.* 3. significans, eum esse sibi familiæque suæ omni necessitudine conjunctissimum; quod item scribit Raimundo Cardonæ *lib.* 3. *ep.* 4. Eumdem laudat *lib.* 6. 4. & 15. &c.

IN EPISTOLAM III.

Pag. 2. JOHANNI LASCARI.] Hunc fuisse hominem *genere apud Græcos admodum illustri*, idem scribit *lib.* XI. *ep.* 5. *Bemb. & doctrinæ optimarumque artium & litterarum præstantia & agendis rebus experientia, & morum probitate, omnisque vitæ comitate plane insignem*. Eo homine mire delectatum esse Leonem, & hujus etiam patrem Laurentium, constat, imo viros alios principes, quorum Legatum sæpius egit. Multa de eo Jovius *in elog. part.* 2. Aldus Manutius *in epist. nuncupat. Rhetorum Græcorum edit. a.* 1508. &c. Multum ei Roma & Grecæ litteræ debent, cum nobilibus pueris e Græcia adductis ludum aperuerit in Exquiliis, *ex Jovio*; forte ubi Cardinalis Sedunensis habitabat, cujus domum Leo Joanni petit, scribens Cardinalis Procuratori *lib.* XIII. *ep.* 19.

EPI-

IN EPISTOLAM IV.

Pag. 3. GEORGIO DUCI SAXONIÆ.] Georgium hunc mire laudat in litteris ad eum datis Sadoletus *lib.* XI. 1. 2. 3. 4. Clemens etiam VII. in litteris apud Raynaldum *ad an.* 1530. *n.* 169. Inimicissimum fuisse Lutheranis hominibus notum est, & testatur Georgius Spalatinus in *collect. Script. Germ.* Menckenii *tomo* 2. *col.* 2128. Hujus obitum pariter Sadoletus deplorat in litteris Jo. Cochlæo scriptis VII. Id. Jul. 1539. *lib.* XI. *ep.* 8. & 9. atque historici omnes nostri Surius, Spondanus, Raynaldus &c.

IN EPISTOLAM V.

Pag. 5. SIGISMUNDO REGI POLONIÆ.] Eidem aliam epistolam scripsit Leo *lib.* IX. *Bemb.* 3. Uladislaum fratrem Regem Pannoniæ commendans. Sacrum ensem misit postea Leo viris aliis principibus, præsertim quinquennio post Maximiliano Imp. narrationemque ejus rei omnem executus est Jacobus Manlius, atque ex Manlio recitat Ciacconius in vita Alberti Cardinalis Brandeburgensis *tom.* 3. *col.* 415.

IN EPISTOLAM VIII.

Pag. 10. MARCHIONI MANTUÆ.] Hic ille est Franciscus, olim a Venetis copiarum dux etsi juvenis constitutus, ut Bembus *Hist. lib.* 2. *Guicciard. l.* 2. estque in horum temporum historia notissimus, cui etiam *officium Confaloneriatus S. R. E.* collatum fuerat litteris Apostolicis Julii II. dat. V. Non. Octobr. 1510. *ap. du Mont Corp. diplom. tom.* 4. *part.* 1. *pag.* 131. Eundem *signiferum suum* vocat Leo *ep.* 15. *lib.* 2. *Bemb.* Ad Leonem etiam officii causa venisse Francisci filium Federicum Gonzagam constat ex *ep.* 13. *lib.* 3. *Bemb.* Mortuus Franciscus an. 1519.

IN EPISTOLAM IX.

Pag. 10. TROJANO PRINCIPI MELPHIS.] Dux Melphitanus copiis præerat Senensium qui Pontifici hoc tempore adhærebant; de eo Varchi *l. 9. Hist. Fl.* Alius ab hoc *Princeps Melphitanus*, cujus filiis doctorem volebat Sadoletus Lazarum Bonamicum *ep. nov. edit. Veron. lib.* XVII. *6*.

IN EPISTOLAM X.

Pag. 11. *Propemodum restitutum esse in libertatem.*] Liberatum omnino fuisse & Venetorum exercitui deinde præfectum, tradit Nani *lib. 1. ad a.* 1513. aliique Venetarum rerum scriptores, Guicciardinus *lib.* XI. &c. ejusque res in bello gestæ ab iisdem fuse narrantur. Obiit an. 1515. dum, Bergomo recepto, ad Brixiam recuperandam se apparabat.

IN EPISTOLAM XI.

Pag. 13. *Inducias inter te*, &c.] De his induciis Daniel *Hist. Gall. ad a.* 1513. Guicciardinus *lib.* XI. &c.

IN EPISTOLAM XII.

Pag. 18. HIERONYMUS DE VICHT.] Hic epistola 17. *lib.* I. *Bembi Hieronymus Viccus Regis legatus* appellatur, atque alibi sæpe in iisdem Bembi epistolis, in his atque aliis deinceps *Hieronymus de Vicht* nominatur, cujus frater Guillelmus Cardinalis creatus a Leone an. 1517. V. Ciacconium de utroque scribentem multa *col. 399. tom. 3.* Guicciardinum *lib.* XI. &c.

IN EPISTOLAM XIII.

Pag. 18. CARDINALIS ARBORENSIS.] Nimirum Jacobi Serræ, de quo Ciacconius *tom. 3. col.* 191. Quod vero ibi dicitur; Episcopum Albanensem primo, mox Tusculanum sub Julio II. denique Prænestinum sub Leone fuisse, emendandum ex hac epistola esse censeo.

IN

IN EPISTOLAM XIV.

Pag. 19. VICEREGI NEAPOLITANO.] Raimundus Cardona Proregis Neapolitani munere fungebatur hoc tempore, ut vel ex Leonis ejusdem litteris constat a Bembo exaratis *lib.* 1.7.15.20.25. III. 2.4.16. *&c.*

Ibid. TROILUM DE RUBEIS.] Troilo Rubeo Parmensi epistola scripta invenitur ejusdem Leonis nomine a Bembo hoc ipso anno *lib.* VII.27.

IN EPISTOLAM XV.

Pag. 20. FRANCISCUM MINERBETTUM.] Franciscus Minerbettus Archiepiscopus Turritanus ex. X. sive XI. Legatis qui a Republica Florentina ad Clementem VII. ut de Pontificatu gratularentur missi sunt; atque eorum ipse primus, ut Varchi *init. lib.* 2. narrat; item ex Legatis IV. sive V. Alexandro Duci ex *eod. l.* XII. & Ammirato *l.* XXX. Antea cum esset Archidiaconus Florentinus idem munus obivit, cum Leo Bononiam se conferens Florentiam venisset, ex Ammirato *lib.* XX. *ad annum* 1515.

IN EPISTOLAM XVII.

Pag. 21. MARCI DE FLORENTIA.] Tempus quo scripta est epistola incertum; nec quis sit constat Marcus iste de Florentia. Nam quem Waddingus nominat *ad an.* 1438. antiquior est, quam ut hæc in illum convenire possint. Notum est quod de Maronitis legitur in Concilio Lateranensi. Epistolam aliam Patriarchæ Maronitarum ad Leonem recitat Raynaldus *ad an.* 1514. *n.* 88. Videtur omnia illa hæc epistola præcessisse; ideo hic eam collocavimus.

IN EPISTOLAM XVIII.

Pag. 25. LUDOVICO DE ROSSIS.] Ludovicus hic Rossius, sive de Rubeis, Leonecto Rossio & sorore Leonis natus, ac Leoni eidem carissimus Cardinalibus adscri-

adſcriptus eſt 1. Jul. 1517. Sammartani *tom. 4. Gall. Chriſt. pag.* 801. inter Abbates Rottoni (*Redon*) ordin. S. Benedicti poſt Petrum de Brignac recenſent hunc Ludovicum de Roſſis. In Diœceſi tamen Venetenſi eam Abbatiam collocant.

IN EPISTOLAM XIX.

Pag. 26. DUCI ENGOLISMENSI.] Franciſco Valeſio qui Galliæ Rex fuit anno inſequenti; dictus autem Dux Valeſius & Comes Engoliſmenſis ab obitu patris ſui Caroli an. 1496.

IN EPISTOLAM XX.

Pag. 27. SUIS LEGATIS.] Legati fuere Triſtanus Cugna, Jacobus Paciecus, Joannes Faria. Hiſtoriam hujuſce rei habes ab Hieronymo Oſorio *de reb. Emman. lib. 9. pag.* 298. *edit. Colon. Allobr.* 1574.

IN EPISTOLAM XXI.

Pag. 31. BANDINELLI CARDINALIS DE SAULIS.] Leonis olim cariſſimi; quam tamen benevolentiam obortæ poſtea graviſſimæ ſuſpiciones extinxerunt, de quibus Guicciardinus *lib.* 13. Jovius, Cabrera, Folieta &c. V. & litteras Bembi *lib.* XV. *e.* 3.

IN EPISTOLAM XXII.

Pag. 31. CARDINALI SEDUNENSI.] Cardinalis Sedunenſis, cui a Sadoleto atque a Bembo multæ litteræ Leonis nomine ſcriptæ ſunt, eſt Matthæus, ſeu Marcus Schiner, in horum temporum hiſtoria celeberrimus. Nomen in dubio videtur ex Bembi epiſtolis. Nam *lib.* X. *ep.* 17. legitur *Matthæo Cardinali Seduno Helvetio*. Eodem libro *epiſt.* 56. eodem anno ſcripta initium habet hujuſmodi *Ex litteris Marci Cardinalis Seduni* & *libri* XI. *epiſtola* 29. inſcribitur *Marco Cardinali Seduno* uti 35. IX. & 21. * In aliis prima littera

* *In vet. editione Baſileenſi an.* 1539. *quam præ manibus habeo, ubique legitur* Matthæus.

tera dumtaxat legitur *M.* unde ambiguitas fortasse orta. Ceterum Matthæum eum vocat Jovius in vita Leonis, *Hist. l.* xv. *&c.* atque alii vulgo.

Ibid. GALEATIUM ET ANTONIUM MARIAM.] Antonio scribit *lib.* II. *epist.* 4. *Bemb.* suam in eum fratresque benevolentiam significans, promittensque honestissimum in militia locum, quem jam dedisse, indicat in litteris ad Thomam Campegium, quas Ciacconius etiam recitavit *in Vit. Jo. Baptistæ Pallavicini*; extat & *lib.* IX. *ep.* 5. ad Galeatium vero VII. 15. ad utrumque IX. II. &c.

Pag. 32. lin. 17. *Circumspectioni tuæ.*] *Circum* & *Circumsp.* nimirum *Circumspectio circumspectus*, sæpe occurrit in his litteris. Est honoris titulus hoc tempore. *T.* 4. *part.* 1. *diplomat. I. du Mont pag.* 182. A. S. 1513. *d.* 23. *Mart. ante Pascha in Blesis* . . . *Renovatio amicitiæ confœderationis & ligæ perpetuo duraturæ, facta, inita, & conclusa extitit & est inter præfatum Christianissimum Regem Franciæ &c. & magnificum, & clarissimum D. Andream Gritti Procuratorem Sancti Marci, & circumspectum Aloysium Petri secretarium &c.* Thomas de Herrera in Alphabeto Augustiniano litteras Leonis profert Cardinali Ægidio, quarum hoc est exordium: *Cum nuper apud nos, doctis quibusdam adstantibus, sermo de tua Circumspectione incidisset &c.* Leo Viterbium se collaturus an. 1515. epistolam scripsit singulis Cardinalibus absentibus. Exemplum ejus epistolæ, quæ data est Cardinali Bononiensi Achilli de Grassis recitat Raynaldus *ad an. nu.* 25. in qua hæc habentur. *Nunc autem cum existimaremus ad eorumdem Sedis & Reip. dignitatem magnopere pertinere, ut de tota re ejusque partibus Circumspectionem tuam ceterosque fratres nostros S. R. E. Cardinales quamprimum consulamus, ut quæ agenda deinceps sint, communi omnium sententia discutiamus, Ciscumspectionem tuam hortamur in Domino &c.* Quamquam Bembus a vocibus omnibus abhorrens, quæ latini sermonis candorem contaminare videntur, hunc honoris titulum omittat in exemplo suo *lib.* XI. *ep.* 7. Aliud exemplum in Sadoleti vita posuimus Clementis VII. tem-

tempore: Leges idem nomen in epiſtola Bernardo Bibienæ Cardinali ap. Raynaldum *ad an.* 1518. *n.* 39. *Cum hodie Circumſpectionem tuam pro ſanctiſſimæ, & perneceſſariæ contra Chriſti nominis hoſtes expeditionis negotio &c.*. Neſcio, an tituli loco vox hæc ſit poſita in epiſt. Gregorii IX. ad Archiep. Brem. & Verd. (*tom.* xi. *p.* 1. *collect. Labb. col.* 350.) *De veſtra igitur circumſpectione plenam in Domino fiduciam obtinentes &c.*

IN EPISTOLAM XXIII.

Pag. 33. MUTINENSIBUS.] Mutinam hoc tempore libentibus civibus in poteſtate Pontificis fuiſſe, ex hac epiſtola apparet. Die 19. Aug. 1510. Julio ſe Mutinenſes tradidiſſe, ſcribit Bembus *Hiſt. Venet. lib.* 10. etſi alii aliter rem narrant. Poſtea tamen hoc eodem anno Mutinam Maximiliuno Imperatori ſubjectam fuiſſe, conſtat ex *epiſt. lib.* 11. 29. Leonis prid. Cal. Junii ſcripta, necnon anno qui proxime ſecutus eſt, ex *ep. ult. lib.* VIII. data non. Jul. anno ſecundo. Sed eodem anno prid. Id. Novembr. Vito Fruſto Præfecto Mutinæ Leo ſcribit *ep.* 11. *lib.* x. *Et mihi & Maſſimiliano Imp. deſignato fœdus initum eſt, pactique ſumus, ut is Mutinæ oppidi, ejuſque agri jus omne mihi cederet atque remitteret; quemadmodum ex diplomate quod ea de re confectum eſt, poteris cognoſcere... Quare velim ut Fabiano Lippo familiari meo jus, & poſſeſſionem oppidi Mutinæ cui præes, ejuſque arcis, agri, virorum omnium des, tradaſque liberaliter.* V. Ammirat. *Hiſtor. Flor. lib.* 29. *ad an.* 1514. Fabianus Lippus idem qui hic *Fabianus de Lippis*.

IN EPISTOLAM XXV.

Pag. 36. JACOBO SABELLO.] Inter hujus tomporis nobiles Duces recenſetur. V. Ammiratum *lib.* 28. *ad an.* 1504. De eo Varchi *in orat. funebr. Jo. Baptiſtæ Sabelli*, quem Jacobus ex Camilla Farneſia ſuſcepit.

IN

IN EPISTOLAM XXVI.

Pag. 37. TROILO SABELLO.] Troilus Sabellus an. 1503. equitibus Senensium præfuit, ut Malavolti *part.* 3. *lib.* 6. Lucensibus deinde militasse an. 1506. Ammiratus narrat, postea sub Renzio, ex Guicciardin. *lib.* 13. Conspirasse hos cum exulibus quibusdam tradit *ep. sequent.* De turbis his ab exulibus excitatis, Malavolti *ad h. a.* Leo *ep.* 26. 27. 28. *l.* VIII. in quibus ad eos tumultus compescendos Pindarum Santesium familiarem suum misisse significat, vicariumque suum eum facere, suamque auctoritatem illi attribuere. Notum est, mortuo Pandulpho Petruccio, patris auctoritatem in Burghesium filium translatam.

IN EPISTOLAM XXVIII.

Pag. 38. CARDINALI S. SABINÆ.] Renato seu Reginaldo de Prie Bajocensi Episcopo.

IN EPISTOLAM XXIX.

Pag. 39. EPISCOPO VERULANO.] Ennio Philonardo.

Ibid. *Apud Helvetios res gerere.*] Hoc munus ipsi demandatum scribit idem Leo *ep.* 37. & 38. *lib.* VI. *Bemb. Legatum suum* eumdem appellat *lib.* VIII. *ep.* 33. Ad eumdem extant & Matthæi Giberti epistolæ. An. 1536. Cardinalis creatus a Paulo III. postquam hoc eodem munere functus fuerat sub Clemente VII. V. *epistolam hic nostram* CIV. *

IN EPISTOLAM XXX.

Pag. 40. LUDOVICO DE FRANCO.] Sciscitatus virum doctum de Ludovico Franco, hanc ab eo conjecturam, postquam excussit omnia patriæ suæ monumenta, abstuli; esse nimirum eum quem *Ludovicum Firmanum* Jovius vocat *lib. H.* XV. (*pag.* 305. *edit. Bas.*

* *Nunc* CXI. *pag.* 182.

Baſ. 1578.) & brevius poſtea *Firmanum*; alii *Ludovicum de Firmo*, uti hic quoque legendum ſuſpicor: apographum enim noſtrum in nominibus deſcribendis præſertim, mendoſum eſſe experimento didici. Fuit hic e familia Guerreria, ſed cui proprium Gonzagæ cognomentum Marchio Mantuæ tradidit; quæ cauſa eſſe potuit, cur ſolo hic proprio & patriæ nomine nuncuparetur. In Epitaphio appoſito eidem, Mantuæ in Eccleſia O. P. legitur; *Vixit an.* 47. *fuit cum Franciſco IV. & cum Federico Gonzaga an.* 34. *ab altero civitate donatus, & quæ ampliſſima in ea ſunt, rebus omnibus ornatus, ab utriſque in comitem belli ſuſceptus. Duobus exercitibus præfuit, alteri Reipubl. Venet. alteri S. R. E. & Reip. Florentinæ. Ob. An. S.* 1530. Extat S. C. Firmanorum, *propter adventum magnifici viri D. Ludovici Guerrierii de Gonzaga, Patritii Firmani*. Ex quo conſtat ad conciliandam urbi tranquillitatem accitum, atque inter cetera ſtuduiſſe dicitur, *Illuſtriſſimis Mantuæ Principibus inſerviens Firmanæ civitati gratificari, & in noviſſimis perturbationibus, ac Tyrannorum oppreſſionibus, etiam cum magna impenſa conſulere.. magno Primatum civitatis ac Comitatus conſenſu, qui metu Tyranni exulabant exoratus, in quo cum minus profeciſſet, audita Pontificis mente Leonis X. qui Tyrannum fovebat, in hunc uſque diem juvandæ Patriæ conſilium ſuum diſtulit: nam licet opprimendorum hoſtium juſta daretur occaſio, quod ſine jactura prædicta fieri non poterat, univerſorum civium ſuorum precibus placuit acquieſcere &c.* Has viri eruditi conjecturas viſum eſt hoc loco ponere, ut quantum ejus diligentiæ debeam ſignificarem: nomen etiam indicaſſem niſi, quominus id facerem, omnino vetuiſſet.

Ibid. lin. 9. *Perturbare coneris.*] Magnas hoc anno turbas in Piceno fuiſſe, conſtat ex Epiſtola Leonis ejuſdem *Municipio Firmano*, *Bembi lib.* IX. 32.

IN

IN EPISTOLAM XXXI.

Pag. 40. LUDOVICO CARD. SS. QUATUOR.] Quis Ludovicus iste sit tit. SS. IV. Coronatorum, non equidem scio; sed vereor ut pro *Ludovico* legendus sit *Laurentius*. Laurentius Puccius Card. creatus a Leone an. 1513. tituli SS. IV. Coronatorum appellatur sæpius hoc tempore, & Venetensem Ecclesiam rexisse dicitur a Ciacconio *tom.* 3. *col.* 337. Simile librarii erratum suspicati sumus inesse ep. superiori.

IN EPISTOLAM XXXII.

Pag. 41. EPICOPO PARISIENSI.] Episcopus hic Parisiensis est Stephanus de Poncher; atque hoc tempore regiorum etiam Sigillorum, ut vocant, custos erat.

IN EPISTOLAM XXXIII.

Pag. 42. IMPERATORI.] Nimirum Massimiliano.

Ibid. *Nobis secundum carnem affines, fratres Malaspinæ.*] Affines suos dicit, quod Ricciarda filia Alberici Malespinæ & Lucretiæ Estensis Laurentio Cybo nupserit, filio Magdalenæ Mediceæ sororis Leonis.

IN EPISTOLAM XXXIV.

Pag. 43. REGI SCOTIÆ.] Nimirum Jacobo V.

Ibid. *Ad regni regimen evectum.*] Accidit id, patre Jacobo IV. in prælio cæso sub Autumnum an. 1513. Hujus necis mentio fit in *ep. Leonis* 19. *lib.* v. data v. Id. Octobr. 1513. In Act. Rymer. *vol.* XIII. litteræ sunt Leonis X. 29. Nov. scriptæ quibus Henrico Angliæ Regi annuit ut sacro in loco Jacobi corpus sepeliat.

IN EPISTOLAM XXXV.

Pag. 46. lin. 8. ARCHIEP. TUNC BITURICENSEM.] Is est Andreas Forman domo Scotus, Episcopus Moraviensis, qui cum esset Regis Scotiæ Legatus Ludovico Gal-

Gallorum Regi, electus est Archiepiscopus Bituricensis an. 1513. anno vero elapso Archiepiscopatum hunc S. Andreæ obtinuit. *V. Gall. Christ. tom. 2. col. 91.* Innocentius vero ille, est Innocentius Cybo, Francisci Cybo Anguillariæ & Magdalenæ Leonis sororis filius, quem Leo Cardinalem fecerat die 21. Sept. an. 1513. idque Ferdinando nuncians Hispaniæ Regi *ep. Bemb. V. 7. Scies*, inquit, *me ad* XI. *Cal. Octobr. fratribus meis E. R. Cardinalibus consentientibus, Laurentium Puccium familiarem meum a dandis litteris, & Julium Medicem Archiepiscopum Florentiæ designatum, patruelem meum, & Bernardum Divitium Bibienam Quæstorem, atque Innocentium Cybum sororis meæ filium, Innocentii Papæ VIII. nepotem, plurimis maximisque de causis in Cardinnlium Collegium cooptavisse . . . De Innocentio autem spero fore ut volumus: habet enim egregiam indolem conjunctam cum optimis moribus, quos ornat litterarum & bonarum artium studiis, ut nihil jam sit adolescente illo probius, elegantius, charius.* Rexisse eum inter ceteras Ecclesias, Ecclesiam S. Andreæ in Scotia, narrat Ciacconius *tom.* 3. *col.* 341. cui adversari epistola hæc videtur, *effectu circa possessionem non secuto*. Regina hæc Scotiæ, est Margarita Jacobi IV. uxor, mater Jacobi V. cui (marito in prœlio necato) in regni generali conventu, in quo filius biennis Rex salutatus, regnum regendum traditum est, una cum duobus regni Proceribus. *Vt ep. sup.*

IN EPISTOLAM XXXVI.

REGI FRANCORUM.] Francisco Valesio, qui Ludovico mortuo Kal. Jan. an. 1515. successerat.

Pag. 50. lin. 18. *Julio Cardinali de Medicis provideamus.*] Assensum esse Franciscum, constat ex *ep.* 15. & 16. *lib.* X. *Bembi*. Hinc diem correximus adscriptum tunc epistolæ: legebatur enim XI. *Jun.* sed legendum XXI. *Jan.* facili descriptoris errore constat: cum illa Bembi data sit III. *Non. Febr. an.* 1515. *V. tom.* VI. *Galliæ Christ. col.* 112.

IN

IN EPISTOLAM XXXVII.

Pag. 51. EPIS. VESPRIMIEN. BARONI CROATIÆ.] Vesprimium Hungariæ inferioris oppidum, ejusque Episcopus subest Archiepiscopo Strigoniensi. Baro autem Croatiæ Episcopus dicitur, qui *Præfectus Croatiæ*, *ep.* 24. *lib.* x. *Bemb.*, ubi & Vincentium Octociensium Episcopum Leo memorat una cum Ghilio Cortonensi, vocatque *Interpretes & Procuratores suos* „ *quos*, inquit, *ad certa Illyrici Croaciæque municipia, ut scis, firmanda & munienda, ad Turcarum impetus sustinendos mitto, petente maxime & monente te* „. In sequenti epistola nostra Octociensem Episcopum missum significat ad pecunias *pro S. Petri fabrica* collectas, comportandas. Extant multæ ad Episcopum Vesprimiensem epistolæ Bembi *lib.* XI. 27., *lib.* XII. 4. 23. *&c.* Hæ scriptæ videntur antequam Roma Leo discederet. Dies tamen in apographo nostro adscripta est *prima Novembris*; cum ex narratione Paris ap. Raynaldum *ad an.* 1515. *n.* 24. & ex litteris datis ad singulos Cardinales, quarum exemplum unum ibidem Raynaldus profert, extatque *lib.* XI. *ep.* 9. *Bembi*, colligatur, Viterbii eo die fuisse; ac deinde Florentiam, Bononiamque venisse, litteræ quæ sequuntur Bembi indicant, & Scriptores testantur. Forte ergo *Novemb.* mensis pro *Septembri* positus.

IN EPISTOLAM XL.

Pag. 53. CARDINALI EBORACENSI.] Notissimus hic Cardinalis (*Thomas Vulceus*) in Henrici VIII. historia. De eo & Ciacconius *tom.* 3. *col.* 342. Episcopi Unigorniensis, Regis Britanniæ Legati mentio fit in epistola *lib.* V. 19. *Bemb.* Collocutus est Leo cum Francisco I. Bononiæ an. 1515. mense Dec. *V. ep.* 12. & 17. *lib.* XI. *Bembi*.

IN EPISTOLAM XLI.

Pag. 55. Dominæ Engolismensi.] Eſt hæc Aloyſia a Sabaudia mater Francifci I. Gallorum Regis.

Ibid. *De periculis Hungariæ.*] Pericula, opinor, ea dicit quæ filio Franciſco Regi *lib.* xii. *ep.* 2. *Bemb.* data Id. Maii 1516. Leo narrat & Epiſcopo Veſprimienſi *ep.* 23. ſcripta viii. Kalend. Jun. & de quibus Iſthuanus. Tempus tamen huic epiſtolæ adſcriptum non convenit; cum anno iii. nonis Februar. dederit Leo Florentia litteras *lib.* xi. 26. & indidem eſt xvii. Kal. Mart. (*lib.* xi. 27.) annus autem tertius Leonis ad Martium uſque menſem 1516. procedebat. In menſe ergo adſcribendo erratum puto.

IN EPISTOLAM XLII.

Pag. 56. Carolo Castellæ, Legionis, &c. Regi.] Succeſſerat Carolus (qui adeptus Imperium poſtea eſt an. 1519.) hoc eodem anno Ferdinando Regi mortuo xviii. Kal. Febr. Jam ſuperius monuimus, Bembi eſſe hanc epiſtolam non Sadoleti.

IN EPISTOLAM XLIII.

Pag. 57. Duci Borboni.] Carolo III. Gilberti Proregis olim Neapolitani & Claræ Gonzagæ filio, qui etiam Mediolanenſi Ducatui nomine Franciſci I. Gallorum Regis præfuit, & Comeſtabilis ab eodem Rege creatus an. 1515. Cetera de bellis ab eo geſtis, & miſerrima morte cum Romam oppugnaret an. 1527. notiſſima.

Ibid. *Pro Franciſco Maria de Ruvere.*] Varia uſus eſt fortuna. Urbini Ducatu ſpoliatus an. 1516.

IN EPISTOLAM XLIV.

Pag. 58. Regi Hispaniæ.] Carolo V. poſtquam is accepta avi morte, Hiſpaniarum ſe Regem dixit; quod Leonis etiam hortatu feciſſe, tradit Raynaldus *ad an.* 1516. *n.* 43.

IN EPISTOLAM XLV.

Pag. *60.* EPISCOPUM CAMERACENSEM.... CREAREM CARDINALEM.] Inter litteras a Bembo ſcriptas *lib.* XV. 7. extat in qua Epiſcopum Cameracenſem Cardinalibus adſcripſiſſe nunciat Leo Cal. Apr. 1517.

IN EPISTOLAM XLVI.

Pag. *60.* LUDOVICUM DE ROSSIS.] Eumdem commendaverat Regi Francorum. *V. ep.* XVIII. *pag.* 24.

IN EPISTOLAM XLVIII.

Pag. *63.* PETRO ELECTO LAVELLIN.] Editam habes ap. Ughell. *t.* 7. *col.* 742. Eſt hic Petrus Priſcus e nobili familia Guglielmuccia de Amandula Firmanæ diœceſis, Panormitanus Archipresbyter & Card. Franciſci Remolini a ſecretis. Hic ergo factus eſt Epiſcopus Lavellenſis, cum ejus Eccleſiæ adminiſtrator perpetuus Franciſcus Remolinus Epiſcopus Surrentinus, adminiſtratione illa ſponte ceſſiſſet.

IN EPISTOLAM XLIX.

Pag. *65.* PRIORI ET CONVENTUI S. MARCI FLORENTIÆ.] Præcipuo quodam amore Leo S. Marci Congregationem complexus eſt, ut diplomatis datis *Bullar. Dom. tom.* 4. *n.* 29. 43. 106. conſtat, in quorum poſtremo, familiam ſuam vocat illius *Conventus & librariæ auctricem & protectricem*. Cum Bononiam ſe conferens, Florentiam veniſſet die ſacro Epiphaniæ, qui eſt dedicationis ejus Eccleſiæ, eam ingreſſus, plenariam Indulgentiam conceſſerat, aliamque domum luſtrans, & in Bibliotheca religioſos viros ad pedum oſculum admittens, ſacello juvenum qui ſtudiis operam navant largitus fuerat. Hæc ex Chronicis manuſcriptis vir eruditus P. Angelus Moncada ſcire me voluit, qui tamen de hoc diplomate noſtro nihil ſe comperiſſe nuntia-

tiavit. De religiosa illa domo, fuse Vincentius Fontana *de Rom. Prov. O. P. tit.* 25.

IN EPISTOLAM LIII.

Pag. 68. *Requirit & exigit.*] Hæc quidem a Leone scribi videntur, cum recens eum Cardinalem creasset; creatus autem d. 26. Jun. an. 1517.

IN EPISTOLAM LV.

Pag. 71. *Aut cito esse perventurum.*] Pervenit in Hispaniam an. 1517.

IN EPISTOLAM LVI.

Pag. 71. ÆGIDIO MATTHÆO CARDINALI.] Ægidius Viterbiensis vir doctrina & prudentia spectatissimus is esse videtur, tit. S. Matthæi. Functum esse Hispanica legatione hoc anno, Paris de Crassis testatur, ubi Legatos numerat ad Reges missos; *ii legati fuere Cardinalis de Campeggio ad Regem Angliæ, Cardin. Ægidius ad Regem Hispaniæ &c.* Idem Guicciardinus lib. XIII. &c. Legenda inter ceteras ad Ægidium *ep.* 38. *Bembi lib.* XV. qua Cardinalem se eum creaturum, Leo significavit Cal. Quintil. Scripta ep. VIII. Kal. Quint. 1517. Antea etiam Legati munere functum apud Maximilianum Imperatorem, liquet ex *epist.* 13. *lib.* XI.

Pag. 7[illegible]. *Nobisque arcto cognationis vinculo conjunctis.*] Erat Leo matre natus Clarice Ursina. Franciscus Ursinus Cardinalis a Leone creatus Leonis amitinus.

IN EPISTOLAM LVII.

Pag. 72. HADRIANUM SS. JOAN. ET PAULI PRESB. CARD.] Is Hadrianus VI, postea dictus, cum Leoni successit.

IN EPISTOLAM LVIII.

Pag. 73. ÆGIDIO MATHÆO LEGATO DE LATERE.] Hoc anno magnum Chriſtiano populo Turcarum terrorem offuſum fuiſſe, & a Principibus de bello ei inferendo deliberatum, leges apud Guicciardinum *lib.* VIII. ceteroſque hiſtoricos, ex quibus Raynaldus &c. Leonem Chriſtianæ Reip. non defuiſſe, imo omnibus omnino nervis contendiſſe, ut Principes ad id gerendum ſive exciraret ſive confirmaret, teſtantur litteræ Bembi *lib.* XV. 17. ubi & Lateranenſis Concilii de hoc bello ſuſcipiendo decretum commemorat, atque aliæ. Extat etiam *ap. Goldaſt. Conſt. t.* 2. conſultatio de totius belli ratione, impenſis, apparatu, ductu &c. Romæ facta anno ſuperiori menſe Novembri. De Supplicatione, qua Leo a Vaticano ad S. M. *ſuper Minervam pedibus nudatis inceſſit*, ut ait Panvinius, ideſt ſine *ſottulariis*, & *crepidis*, ut Paris de Craſſis, prohibitus ne nudis omnino pedibus faceret, Jovius aliique narrant.

IN EPISTOLAM LX.

Pag. 77. EIDEM.] De conſtitutis hujuſmodi induciis Paris de Craſſis apud Raynaldum *ad an.* 1518. *num.* 41. Extat etiam Oratio Sadoleti ipſius in earum promulgatione habita XIX. Kal. Apr. an. 1518. in æde B. Virginis ad Minervam, ut in titulo Orationis hujus, quam pariter apographum noſtrum habet, legitur; ea vero edita eſt inter alia Sadoleti Veronæ an. 1737. Poſt Orationem Sadoleti lectum eſt diploma expeditionis in Turcas ex Paride de Craſ. idque poſt ſupplicationem illam a Vaticano, de qua diximus.

IN EPISTOLAM LXI.

Pag. 78. S. JACOBI DE SPATA.] De equeſtri hoc ordine V. Heliot *part.* 2. *cap.* 39. & 40.

IN EPISTOLAM LXIII.

Pag. 79. RAPHAEL EPIS. OSTIEN. CARDINALIS.] Est Raphael Galeottus Riarius, de quo V. Ciaccon. *tomo* 3. *col.* 70.

IN EPISTOLAM LXIV.

Pag. 81. GALEATIO BUTRIGARIO.] Galeatii Butrigarii Internuntii antea apud Ferdinandum Catholicum, meminit Leo *ep.* 16. *lib.* VII. scripta ipsi Ferdinando XV. Calend. Mart. 1514.

IN EPISTOLAM LXVII.

Pag. 87. GAROLO DUCI SABAUDIÆ ET PHILIPPO FRATRI.] Est hic Carolus III. qui Philiberto fratri successit an. 1504. Philippus Nemosii Dux fuit; cum Nemosium Franciscus I. Aloysiæ a Sabaudia dedisset; hæc vero in Philippum fratrem transtulisset an. 1528.

IN EPISTOLAM LXIX.

Pag. 93. PRIORIS TRISULH.] Trisultum, opinor, celebre Carthusianorum Monasterium intelligit, qui locus Trisaltus olim dictus. De eo Lubin. *in Abbat. Italiæ; Abbatia tit. S. Bartholomæi de Trisulto Ord. S. B. sive nigrorum Monachorum in Diœcesi Alatrina quinquagesimo ab urbe Roma milliario. In hanc an.* 1208. *per Innocentium III. Papam Pontificatus anno* 5. *introducti sunt Carthusiani.* Quis Jo. ille Baptista fuerit, me latet. In hunc locum ideo rejecimus hanc epistolam, quod annus sit incertus. Codex librarii cum annum præferebat 1525. qui Pontificatui Leonis non convenit: annus forte 1521.

IN EPISTOLAM LXX.

Pag. 94. DES. ERASMO ROTERODAMO.] Multum Catholicæ rei incommodasse Erasmum, præsertim

cum a Friderico Electore Saxoniæ requisitus, quid de Luthero sentiret, excipere visus est dumtaxat nimiam scribendi acerbitatem, cetera non improbare; omnes norunt. Atque illud etiam constat, sæpius eum contra Lutheranos declamasse & Catholicorum partes suscepisse. Itaque nunquam illum inter suos Heterodoxi homines numerare potuerunt; *qui noster profecto non fuit* (inquit Georgius Calixtus *in Apparat. Theol.*) *neque esse vel audire unquam voluit*. Mirum ergo non est, indulgentiorem erga illum fuisse Sadoletum proprio nomine cum scriberet, atque ad eum scribentem nomine Leonis. Ceterum inter eos qui excusare eum quoquomodo conantur, & qui vehementissime accusant, placet Canisii nostri de Erasmo atque ejus operibus judicium. *De corruptel. Verb. D. lib.* 5. *cap.* 10. *Nondum anni sunt* L. *quod Erasmus Roterodamus in humanis fuit, vir sane sua ætate ubique percelebris & præclare inter doctos existimationis. Fuit in eo, quod negari non potest, ingenium lepidum, & perjucundum, Latinæ Grecæque linguæ peritia singularis, eruditio multiplex, mira scribendi facilitas & copia, eloquentiæ vero, ut illis temporibus, rara & admirabilis. Ceterum, quemadmodum diligentia ejus & doctrina ad bonarum artium studia excitanda & a barbarie vindicanda, multis haud parum contulit, ita rursus, si libere dicendum est, in rebus Christianæ Religionis & quæ ad Theologiam spectant, tum sibi tum aliis haud parum incommodavit. Etenim qua ipse usus est, hanc alios etiam docuit immodicam libertatem in Veterum scriptis, in Ecclesiæ constitutionibus, in Theologorum sententiis, in publicis ritibus judicandis, imo & convellendis atque exagitandis. Igitur, quod Veteres de Philone viro disertissimo dicere consueverunt; aut Philo Platonizat, aut Plato Philonizat; hoc permulti de ipso etiam tandem pronuntiarunt in hunc modum; aut Erasmus Lutherizat, aut Lutherus Erasmizat. Et tamen fatendum est, si sincere judicare velimus, inter Erasmum & Lutherum permultum interesse. Ille Catholicum semper nomen retinuit, hic Ecclesiæ Catholicæ manifestus non solum desertor, sed impius etiam oppugnator, multarumque Sectarum ca-*

pus

put extitit : ille arte potius quam potestate, sicut de Juliano dixit Orosius, religionem est insectatus, magnam sæpe suis vel opinionibus vel erroribus cautionem ac moderationem adhibens; hic autem natura vehemens, turbulentus, ardens, factiosus modum omnem excessit; ad extremaque ruit præceps, tam arrogans ut nulli cederet, tam durus & pertinax in sententiis, ut suis etiam sæpe visus sit intolerabilis, tanto demum Ecclesiæ odio inflammatus, ut ad illius exitium aperto marte & furiosissime nihil non moliretur. Judicavit Erasmus quæ in Theologorum doctrina & Ecclesia improbanda corrigendaque putabat, atque ita sive sciens, sive imprudens Momum egit, ut magnam simul fenestram Luthero & aliis aperuerit ad Religionem universam innovandam, & ad tumultus eos concitandos, quos in Christiano orbe nunc maximo malo consecutos esse videmus, satisque deplorare non possumus. Unde illud etiam a multis usurpari cœpit; ubi Erasmus innuit, sive joco scilicet, sive serio agens, illic Lutherus irruit, & quæ ille ova posuit, hic tandem excubavit. Illud certo constat, Theologica Erasmi scripta, quæ permulta ille quidem edidit, nec posse hodie, nec debere undequaque defendi: quandoquidem censura Ecclesiastica quæ apud Orthodoxos quidem valet ac valere debet plurimum, Erasmica scripta, paucis exceptis, legi vetuit, & gravissimas ob caussas, licet Auctorem suum non damnaverit, tamen ejus opera, velut lectoribus obfutura potius quam profutura improbavit. Alias Leonis litteras editas habes *tom. 3. oper. Erasm. ep. 179. 193.* & præterea *lib. 2. ep. 4. lib. 29. ep. 80. edit. epist. Londin. an. 1642.* *

* Harum unam, in qua subscriptum legitur Sadoleti nomen, habes num. xc. pag. 125.

IN EPISTOLAM LXXI.

Pag. 95. LEO X.] Anno superiori 1520. XVII. Kalend. Jul. Leo Bullam *Exurge Domine* (quam recitat Raynaldus *num.* 51. extatque in *Bullario Romano*) contra Lutherum emiserat, in qua erroribus ejus XLI. recensitis illum monuerat ut ab eis recederet. An. 1521. III. Non. Jan. aliam pariter emisit *Decet Romanum Pontificem*, quæ in *Bullario* pariter extat, & sine proemio apud Raynaldum *num.* 1. in qua Lutherum, & qui eum sequuntur non resipiscentes, sed magis obfirmatos damnat, decernitque, in Hæreticorum pœnas eos incurrisse. Præter has litteras, alias scripsit eodem exemplo ad Cardinales, Principes &c. quæ huic subjiciuntur. Imminebat enim Conventus Wormatiensis; & multi qui Luthero primo adhæserant postea resipuerant, ut Leo hac altera *Bulla* narrat.

IN EPISTOLAM LXXII.

Pag. 101. MARINI CARACCIOLI ET HIERONYMI ALEANDRI.] Hos missos in Germaniam, *qui Pontificiæ Bullæ executionem urgerent*, narrat Ulembergius *c.* 5. *Vit. Luth.* Quid ab iis gestum sit tradit Johan. Cochlæus *de act. & script. Luth. ad an.* 1520. *Venerat jam Carolus V. Imp. ex Hispaniis per Oceanum in Flandriam & Brabantiam terras suas hæreditarias, Imperialia comitia celebraturus Wormaciæ. Qui, ubi a nunciis Apostolicis Marino Caracciolo & Hieronymo Aleandro accepisset, Bullam Papæ Leonis X. contra Lutheri libros editam, memor titulorum suorum, cum diceretur & esset Rex Catholicus Hispaniarum ac Imp. RR. religiosæ suæ & pietatis & obedientiæ, mox certissima exhibuit indicia, severe præcipiendo ut Lutheri libri a Sede Apostolica damnati publice comburerentur. Combusti sunt igitur per lictores & carnifices, tum in Brabantiæ urbibus, tum in civitatibus Imperii, Coloniæ, Moguntiæ.* Acta ab Aleandro præsertim in Conventu Wormatiensi describit idem Cochlæus ad an. 1521.

IN EPISTOLAM LXXIV.

Pag. 103. MARCHIONI BRANDEBURGENSI.] Est hic Joachimus Marchio Brandeburgensis, cujus in Remp. Christianam *obsequium atque cultum*, in se ipsum vero *veterem & observantiam & studium* Leo prædicat *ep.* 24. *lib.* III. *Bemb.* Clemens VII. in litteris apud Raynaldum *ad an.* 1530. *n.* 90. affirmat sibi narrasse Cardinalem Campegium, *non potuisse* illum *aut sentire præclarius, aut loqui ardentius, aut se gerere dignius in ea persona pientissimi Electoris & Principis, quam ei Deus omnipotens ad suæ Religionis tutelam hoc tempore contulit.*

Ibid. Pag. 104. lin. ult. MOGUNTINO CARDINALI.] Alberto nimirum Joachimi fratri, qui sedit Moguntinus Archiepiscopus ab an. 1514. ad 1545. Creatus autem est Cardinalis a Leone an. 1518. V. Serarium *lib.* V. *rer. Mogunt. & Historiam duorum actuum an.* 1513. *Augustæ habitorum*; quorum unus ad Albertum hunc pertinet & diem quo rubrum galerum solemni pompa induit.

IN EPISTOLAM LXXV.

Pag. 105. *Aptis & expeditis interrogationibus ita irretierit.*] Testatus est ipse Lutherus in Actis Wormaciensibus a se descriptis: *Orator Imperii dixit, me non ad rem respondisse &c.* Coehlæus ad an. 1521. interrogationes ejus narrat: *Orator itaque Cæsaris Joannes ab Eck vir eloquens, & juris peritus, Officialis generalis Archiepiscopi Treverensis Principis Electoris Lutherum primo Latine, deinde Germane hunc in modum allocutus est. Cæsarea Majestas huc te, Martine Luthere, accivit his duabus de caussis. Principio, ut libros hactenus tuo nomine vulgatos agnoscas hic coram si tui sunt. Deinde jam agnitos, an omnes potius haberi, an quicquam ex eis revocare velis. Ad hæc &c.*

IN EPISTOLAM LXXVI.

Pag. 107. *Decretum tuum conscripsisti*, &c. Extat hæc sententia latine reddita (lingua enim Burgundica scripta a Carolo fuerat) apud Cochlæum *de Act. Luth. ad h. a.*

Ibid. Pag. 107. *Altis illis & magnificis verbis exorsus*.] Hoc est ejus sententiæ apud Cochlæum initium: *Vobis constat genus me ducere a Christianissimis Impp. a nobili natione Germanica, a Catholicis Hispaniæ Regibus, ab Archiducibus Austriæ, a Burgundiæ Ducibus, qui omnes Ecclesiæ Romanæ filii ad mortem usque fideles perstitere*.

IN EPISTOLAM LXXVII.

Pag. 108. Electori.] Non uni, sed pluribus missum est hoc litterarum exemplum, Trevirensi, Saxoniæ &c.

IN EPISTOLAM LXXIX.

Pag. 112. Tudensi.] Tudensem opinor Episcopum intelligit Ludovicum Marlianum natione Belgam, qui sedit ab an. 1518. ad diem 2. Octobris 1521. ut Prudentius de Sandoval in Antiquitat. Tudensibus Hispanice scriptis & Bragæ editis an. 1610. *pag.* 191.

IN EPISTOLAM LXXXI.

Pag. 114. Chieregato et Hieron. de Medicis, &c.] Leonis nomine hanc scripsit Bembus; sed hic eidem locum dedimus, quod de Francisco Clericato ageret ad quem sequentes epistolæ pertinent, quas unum in locum conjicere voluimus. De Francisco Clericato, sive Cheregato (utroque enim modo latine vocatum invenies) Cochlæus ad an. 1523. & vitæ Hadriani VI. Scriptores: fuit enim Hadriano charissimus, ab eo ad conventum Norimbergensem missus. Sed & Leo

Leo Clericato plurimum usus est, ut ex his litteris patet, V. & Card. Pallavicinum *Hist. C. Tr. lib. 2. cap. 6. n. 9. &c.* Quis ille sit Jo. Episcopus Catanensis recens mortuus, non pronum est affirmare.

IN EPISTOLAM LXXXIII.

Pag. 117. *Hadrianum tit. S. Chrysogoni Presb. Card. Bathoniensem.*] Hadrianus hic Bathoniensis Episcopus & Cardinalis creatus ab Alexandro VI. Pontifice, Leoni primo carissimus, postea in suspicionem initæ adversus eum conspirationis venit, ut narrat Jovius *lib. 4. Vit. Leonis*, qui addit, eumdem Leonis clementiæ diffidentem, ab urbe messoris habitu profectum usque ad vitæ exitum nullo persequente latebras mutasse. Garimbertus ementito habitu Venetias Hadrianum venisse tradit, vocatumque a Leone, nec parentem, Cardinalatu & Sacerdotiis spoliatum, & nihil unquam de illo amplius auditum. Idem fere Pierius Valerianus *de litterat. infel.* Politioribus litteris apprime imbutum, testatur libellus ab eo editus *de Sermone latino & modis Latine loquendi*. Periculum vitæ aliud, quod adiit, hausto veneno, narrat idem Jovius *lib. 2. V. magni Consalvi*.

IN EPISTOLAM XCIII.

Pag. 130. Duci Genuæ.] Huic quoque Legatus mittitur Gibertus, atque ut videtur, eodem tempore; etsi hujus legationis in Vita Giberti (*Operibus ejus præmissa*) nullam vidi commemorationem fieri, cum ceteroquin reliquas ejusdem res diligentissime persequatur.

IN EPISTOLAM XCIV.

Pag. 131. Eboracensi.] Tempus quo data est incertum. Vulceus Cardinalis a Leone creatus mense Sept. an. 1515. ex Aula pulsus an. 1529. Hic eam collocavimus, quod superiorem in eod. nostro sequeretur. Quantum apud Henricum VIII. olim valeret Vulceus & vulgo notum, & Guicciardinus tradit *lib. XV. ad an.* 1524.

IN EPISTOLAM XCV.

Pag. 132. *Ex aliquot suis literis*.] Videtur hoc Vulceus fecisse, cum Legatos Pontifex misisset ad pacem sive inducias saltem obtinendas inter Carolum V. & Galliæ atque Angliæ Reges; his vero non assentiretur Vulceus ut Guicciardinus *lib*. xv. *ad h. an. &c.*

Ibid. lin. 7. *Dil. Filius Laurentius*.] Laurentius Campegius is esse videtur, qui Sarisburiensi præfuit Ecclesiæ, missus a Clemente VII. ex Jo. Cochlæo *de Act. Luth. ad an.* 1524.

IN EPISTOLAM XCVII.

Pag. 136. CARDINALI MOGUNTINO.] Alberto de quo *ad epist.* LXXIV. Fuit autem non Moguntinus solum Archiepiscopus, sed Archiepiscopus etiam Magdeburgensis, Joannis Marchionis Electoris filius & Joachimi frater; de cujus studio in Catholica religione tuenda Trithemius *in Hist. S. Maximini*. *Dominus Albertus ex Marchionibus Brandeburgi, Princeps nobilissimus, Moguntinæ & Magdeburgensis in Saxonia Ecclesiarum insignium Archiepiscopus, atque Primas Germaniæ reverendissimus, Christi devotissimus Archi-Præsul, cum cultor, & amator, & venerator Sanctorum Dei maximus esset, Reliquias & sacra busta eorum summa cum veneratione semper, ubi licuit, inquisivit, de pulvere cum honore levans, auro & argento vestivit; honorem quoque debitum singulis exhibuit, & omnem memoriam festive celebravit. Mox enim, ut summi Pontificatus duplicem apud Germanos, domino providente, apicem suscepit, totum se Christianæ religioni mancipavit &c.* De eo plura Serarius in Vita, & ex Serario Raynaldus *ad h. an. n.* 54. narrantque a Catholica Fide avocare eum conatum Lutherum; cum nihil profecisset, dixisse iratum; *Recte institutus est Romæ Albertus, ideoque Lutheranam doctrinam nostram flocci facit*. De hoc tumultu Magdeburgensi hoc anno, aut superiori, nihil Cochlæus, aut Surius, Raynaldus &c. qui

qui tamen testantur universim, Germaniæ urbes tumultuatas esse.

IN EPISTOLAM XCVIII.

Pag. 139. Edita est *Histor. Genealog. Sabaudiæ Guicheron. t. 3. pag. 456.* Nos eam alicubi ex Archivo Vaticano restituimus: erat tamen & in codice illo nostro cum inscriptione *Ludovicæ Engolismensi*.

IN EPISTOLAM CI.

Pag. 146. DOMINÆ MARGARITÆ.] Austriacæ, Maximiliani Imp. filiæ, quæ mortuo Philiberto II. Duce Sabaudiæ an. 1504. cui nupserat an. 1501. post Johannis Hispani Infantis mortem, in Germaniam apud patrem se receperat. Eidem Provinciarum Belgicarum curam pater commisit an. 1508 ut Miræus *in Chron. Belg.* easque rexit magna prudentiæ fama, & Catholicæ Religionis tuendæ studio. De suis ipse infortuniis & vita scripsit, præter alios multos, de quibus Guicheron *in Hist. Gen. Sab. pag. 615. Elle fut Gouvernante des Pays-Bas & acquit tant de reputation par sa prudence & merveilleuse conduite, que tous les Historiens Flamans l'on tout hautemet loiié, & particulierement des soins qu'elle prit d'arrester les progrez que faisoit en ces Provinces la nouvelle heresie de Luther.* Mechliniæ mortua extremo anno 1530.

Ibid. Pag. 148. lin. 11. *Erhardum Card. Leodien.*] Erhardus Marchianus, Comitiis Leodii celebratis an. 1523. edictisque contra Lutheranos latis, summo studio ac diligentia annisus est, ut in Hæreticos animadverteretur, tolleretur que hæresis, ut narrat Chapeavil, *in Chron. Leodien.* V. Ciaccon. *t.* 3. *col.* 420.

IN EPISTOLAM CIII.

Pag. 154. DUCI BORBONIO.] Epistola in die adscribendo certe mendosa: nec enim convenire simul possunt annus 1527. & Clementis annus 2. Falsum esse

esse primum annum, liquet ex die quo Borbonius obiit 6. Maii 1529. Præterea vel ex privatis Sadoleti litteris constat, eo anno v. Maii jam eum Carpentoracti fuisse. Ad hunc ergo annum 1525. Clementis, a die XIII. Kal. Decembris secundum pertinet epistola.

IN EPISTOLAM CIV.

Pag. 155. *Card. Gonzagæ morte.*] *Mortem subiit* (ait Oldoinus *t.* 3. *col.* 261.) *ex monumentis Vaticanis die* 4. *seu* 5. *ex Ciaconio vero* 9. *Octobris*. Ciaconium errasse vel hæc epistola demonstrat. Herculem mire laudant hujus temporis historici, præterea Bembus, Hosius, Sadoletus. Natus annos XV. creatus est Episcopus Mantuanus, cedente eo munere Sigismundo patruo. Annorum XXII. Cardinalium collegio ann. 1527. a Clemente adscitus: Concilio Tridentino Legatus præfuit, cui muneri immortuus mense Martio 1563. Extant ad eum Sadoleti privatæ epistolæ, atque inter eas *lib.* XV. I. qua consolatur eum de fratris morte, atque inter cetera; *utinam alter mihi facile veniret in mentem, qui tecum videretur esse comparandus, qui in tanta nobilitate tantam mansuetudinem &c.*

IN EPISTOLAM CV.

Pag. 157. *Card. Gonzagæ patrui tui.*] Erat enim Sigismundus Francisci II. frater, ex quo natus hic Fridericus II. primò Mantuæ Marchio, deinde an. 1530. a Carolo V. apud quem Mantuæ hospitatus fuerat, Ducis titulo ornatus; deinde an. 1533. & Montisferrati Marchionatu auctus.

Ibid. lin. 11. *Ornatissimisque viris.*] Hercule & Ferdinando, quorum postremus Marchionum Guastallæ caput.

IN EPISTOLAM CVI.

Pag. 158. *Ad bellum inferendum Hungar.*] Jampridem Leo, vix factus Pontifex, instante Thoma Card. Strigoniensi bellum juverat, ut refert Isthuanus *lib.* 5.

Idem

Idem multo magis fecit, cum Ludovicus Hungariæ Rex Stephanum Verbeicum ad se legasset, ut periclitanti regno succurreret. Clementem VII. 50. aureorum nummum millia eidem Ludovico Regi misisse, narrat Raynaldus *ad an.* 1526. *n.* 59. Res tamen infeliciter cessit, ut idem Isthuanus tradit *lib.* VIII. Buda expugnata a Solimano, & post miserabilem Mohacianam cladem, pereunte Rege in Carassi paludibus.

IN EPISTOLAM CVII.

Pag. 160. lin. 20. *Conventu qui Spiræ &c.*] De hoc Cochlæus ad h. a. *Eo anno jussu Cæsaris vocati sunt Spiram Princeps & Status Imperii ad celebranda Comitia, atque ad consultandum in commune, tum de pace & Religionis negotio, tum de subsidio Hungaris contra Turcas ferendo.*

IN EPISTOLAM CIX.

Pag. 173. lin. 24. BALDASAREM CARDINALEM.] Sic in apogr. nostro: sed legendum *Balthasarem Castilionem*: erat enim hic Pontificis Nuncius apud Cæsarem, cujus litteræ, dum eo munere fungebatur, leguntur inter *epist. Princip. lib.* I.

IN EPISTOLAM CXI.

Pag. 183. lin. 10. EPIS. VERULANUM.] Functus fuerat eadem legatione Epis. Verulanus Ennius Filonardus sub Julio II. & sub Leone X. atque ad eum extat *ep.* 38. *lib.* VII. *Bemb.* in qua Leo laudat fidem ejus, operam, diligentiamque in rebus cum Helvetiis administrandis. Vicissim illum Helvetiis commendat *ep.* 33. *lib.* VIII. Vide *epist. hic* XXVIII. Ceterum epistolæ huic adscriptus an. 1532. vitiosus est vel ex Sadoleti vitæ rationibus: aberat enim eo anno & consequentibus ad an. 1536. Carpentoratensi Ecclesiæ suæ restitutus. Substituendus ergo vel an. 1524. quo fidem Catholicam retinendam decreverunt; quare a Clemente eodem laudantur litteris quæ extant apud Raynaldum *ad h. a. n.* 52. excitanturque, ut in eo qui proxime futurus

etat conventu pergant religionem tueri : vel ad aliquem ex proxime consequentibus, quibus hæc Filonardi Legatio commemoratur a Pallavicino *Hist. C. Trid. lib. 2. cap. 12. num. 5.*

IN EPISTOLAM CXII.

Pag. 184. CÆSARI.] Suspicor tamen anni designationem non recte se habere; in mense saltem nominando erratum est. Nam hoc ipso anno Carpentoracte scribit Gryphio *ep. 16. l.* v. III. Kal. Jul. Sadoletus, ut diximus; nec nisi Autumno Romam venit, unde postea ad hunc ipsum, ut videtur, Antonium Pulleonem scribit idib. Novembr. *ep. 16. lib.* IX. Hungaria sæpius a Turcis misere vexata est. *De regno Hungariæ ab hostibus Turcis oppresso & capto* exstat Homilia *t. 3. oper. Sad. nov. edit. pag. 1. & inter Consilia Bellica edita in Officina Grosiana an. 1603. vol. 2. pag.* 240. habita, ut opinor an. 1514. quo Christianum exercitum Solimanus vicit, ut Isthuanus *lib.* 14. & ex Jovio, & Bellajo Raynaldus *n. 46.* Anno ergo sequenti, postquam Romam redierat Sadoletus, hanc epistolam Pauli III. nomine scriptam suspicor.

IN EPISTOLAM CXIII.

Pag. 188. ARCHIEP. TREVIRENSI.] Electus v. id. August. 1540. mortuus an. 1547. die 23. Martii ex Browero *lib. 21. Annal. Trevir.*. Atque hoc nimirum anno bellum Smalcaldicum cœptum est, quo Elector Saxoniæ vivus captus: *finemque accepit*, ait Spondanus *ad an. seq. num.* XI. *bellum Germanicum magno animo a Carolo Cæsare, hortationibus & auxiliis Pauli Pontificis susceptum.*

Ibid. Pag. 188. *Nec Generalis Concilii ratio.*] Habitæ hoc anno *Sessiones 6. 7. 8. 9. 10.* nec Paulo Pontifice præterea ullas.

INDEX RERUM

IN EPISTOLIS PONTIFICIIS OBVIARUM.

(*Notæ Romanæ Epistolam, Arabicæ paginam denotant.*)

A

Acciajolus (Zenobius) Ord. Præd. de Observantia Palatii Apostolici Bibliothecarius a Leone X. renunciatur. CXVII. 199.

Aleander (Hieronymus de Motta) Canonicus Leodiensis, Theologiæ, & Latinarum, Græcarum, Hebraicarumque litterarum Professor, Bibliothecarius Apostolici Palatii a Leone X. eligitur. CXVII. 197. 198. &c.

Alviano (Bartholomæus de) a Rege Francorum Ludovico sub arcta custodia diu retentus, tandem propemodum restituitur in libertatem. X. 11. Leoni X. acceptus. X. 72. Ejus laudes. *Ibid.*

Andreas Archiepiscopus Bituricensis Jacobo IV. Scotiæ Regi magnopere acceptus. XXXV. 46. Ei Leo X. tradit Ecclesiam S. Andreæ & alia Monasteria in Scotia, suumque de latere Legatum in eodem Regno creat. *Ibid.*

Arborensis Cardinalis Episcopus Albanensis, Ecclesiæ Burgensis perpetuus Commendatarius. XIII. 18. Eum Regi Catholico commendat Leo X. *Ibid.*

Ariostis (Ludovicus de) Leonis X. ante Pontificatum familiaris. CXV. 193. Libros vernaculo sermone & carmine Orlandi Furiosi titulo inscriptos, in lucem edit. *Ibid.*

B

Beroaldus (Philippus Junior) Bibliothecarius Palatii Apostolici a Leone X. renunciatur. CXVI. 195. 196.

Bibliothecarum antiqua institutio CXVI. 195. CXVII. 198. 199.

Bor-

Borbonius Dux affinis Francisci Mariæ de Ruvere Urbini Ducis, cujus caussam Leoni X. commendat. XLIII. 57.

Brandeburgensis Marchio de universa fide Catholica deque Apostolica Sede optime meritus. LXXIV. 103. 104. Ejus zelus in hæreticis coercendis. *Ibid.*

C

Campegius (Thomas) Nuncius Apostolicus Leonis X. apud Cæsarem, Cardinalis ab eodem Pontifice renunciatus, Romam revocatur. LIII. 67.

Cantelmus (Rostanius) Sanctium & Fabricium Nuncios ad Leonem X. de Pontificatu gratulaturos mittit. VI. 8.

Caracciolus (Marcus) Apostolicæ Sedis Notarius, Leonis X. Nuntius apud Cæsarem. LIII. 67.

Carolus Romanorum Imperator, Hispaniæ ac utriusque Siciliæ Rex, Inducias Quinquennales a Leone X. Pontifice indictas accipit, & approbat. LX. 77. Bellum parat adversus Turcas. *Ibid.* In Comitiis Wormatiæ sententiam fert contra Lutherum. LXXVI. 106. 107. Bellum atrox in Franciscum Galliæ Regem conficit, ipso rege capto, redactoque in suorum ducum potestate. C. 145. Ejus laudes. *Ibid.*

Castilioneus (Balthassar) Leonis X. in minoribus familiaris. XXIV. 3. Nobili genere natus, & in studiis litterarum excellens. *Ibid.* Ex bellica quoque laude haud mediocre nomen adeptus. *Ibid.* Confirmat ei Leo X. Castrum Nubilariæ, quod ab Urbini Duce acceperat. XXIV. 35. Notarius & Nuncius Clementis VII. apud Carolum Cæsarem. C. 146. CII. 154. CIX. 173.

Chieregatus (Franciscus) civis Vicentinus Notarius & cubicularius Leonis Pont. LXXXII. 115. Gallicum atque Anglicum iter ejusdem Pontificis jussu suscipit. LXXXIII. 117. A quo mittitur in Hispaniam. LXXXVII. 120. Postea Commissarius deligitur una cum Octavio Ursino ad terræ Fabriani tumultus sedandos. LXXXIX. 122.

Christianæ Reip. pericula. LXV. 82. 86.

Clemens VII. Joannem Mat-

Matthæum GibertũmEpiscopum Veronæ ad Franciscum I. Galliæ Regem mittit. xcii. 129. Ord. Fr. S. Francisci de Observantia laudat, & Card. Eboracensi commendat. xciv. 131. Quid cum Francisco I. & Carolo Cæsare egerit pro firmanda pace. xcvi. 134. Principes Germaniæ hortatur, ut ad hæresim Lutheranum profligandam omnem operam conferant. xcvii. 138. Agit cum Cæsare pro Francisco I. Galliarum rege in libertatem restituendo. xcviii. 140. Cardinalem Joannem Salviatum Legatum ad Cæsarem mittit. xcix. 142. Ad Margaritam Austriacam scribit, ut in hæreticos Belgii animadvertat. ci. 146. Carolum Cæsarem etiam atque etiam rogat, ut tandem aliquando pacem statuere velit. cii. 148. cix. 173. Quid Clemens cum Cæsare egerit priori sui Pontificatus triennio. cviii. 162. 163. 164. &c. cx. 175. 176.

Clericatus, v. Chieregatus.

Corbarius (Joannes) Comes. xxxviii. 52.

Corsius (Jonnes) Orator Florentinus apud Cæsarem. c. 146.

Crassus (Laurentius) Canonicus Lateranensis. Ejus causa agitur coram Pontificis in urbe Vicario & Gubernatore Urbis. xxxix. 53.

Cripellis (Benedictus de) Leonis X. Cubicularius secretus. lix. 76.

E

Elephans bellua apud veteres Romæ frequens xx. 28. Ejus docilitas ac disciplina. *Ibid.*

Emanuel Rex Portugalliæ lectissimos viros ad Leonem X. Pont. Max. Legatos cum amplissimis muneribus mittit, ut ei obedientiam suo nomine præstent. xx. 27. 28. Quæ fuerint munera, & quam Pontifici accepta. *Ibid.* Ejusdem Regis laudes. xx. 30.

Erasmus (Desiderius) v. Roterodamus.

F

Fabrianum terra Pontificis. lxxxix. 122. In ea tumultus excitantur. *Ibid.*

Fer-

Ferdinandus Rex Catholicus, nunquam frustra suum auxilium a Romana Sede requiri passus est. XII. 17.

Florentius (Marcus de) Ord. Min. Observ. S. Salvatoris Syruthi in Syria Guardianus, litteras scribit ad Leonem X. pro Patriarcha Maronitarum. XVII. 21.

Franciscus I. post obitum Ludovici XII. Galliarum Regis, statim ad regale solium evehitur. XXXVI. 48. Ejus pietas, religio, atque erga Romanam Ecclesiá summa observantia. XXXVI. 49. Clementis VII. in eum studium ac voluntas. XCII. 129. Manum militum ad reguum Neapolitanum tentandum mittere instituit. XCVI. 133. A Caroli V. ducibus in bello capitur. XCVIII. 139.

Franco (Ludovicus de) Firmanæ civitatis quietem perturbare conatur. XXX. 40. Mandat ei Leo ut ab incœpto desistat. *Ibid.*

Frescobaldis (Hieronymus de) civis & mercator Florentinus, Commissarius a Leone X. deputatus super exigendis proventibus occasione indulgentiarum &c. XLII. 56.

G

GEnesius (Elzearius) Leonis X. familiaris & Capellæ PontificiæMagister. XXVIII. 38.

Genuenses aliquot cives jussu Ludovici XII. Gallorum Regis detinentur. XXI. 31.

Georgius Dux Saxoniæ optimum suum erga Romanam Sedem animum ostendit. IV. 3. LXXX. 113.

Germaniæ calamitates. CII. 151.

Germanorum Principum Conventus Spiræ indicitur. CVII. 160.

Gibertus (Joannes Matthæus) Veronensis Episcopus, Datarius & Prælatus Domesticus Clementis VII. eique magnopere acceptus. XCII. 128. XCIII. 130.

Gonzaga (Aloysius) Marchionis Mantuæ apud Leonem X. Orator. VIII. 10.

——Hercules Sigismundi Cardinalis nepos. CIV. 155. Ei Clemens VII. pollicetur, se illum avi dignitate ornaturum *Ibid.* & CV. 158.

——Sigismundus Cardinalis

lis extremum diem claudit. CIV. 155.

I

JAcobus IV. Scotiæ Rex de Romana Sede optime meritus. XXXV. 45. Ejus laudes. *Ibid.*

Jacobus V. Scotiæ Rex ab omnibus Proceribus dicitur. XXXIV. 43.

Januarius (Antonius) Neapolitanus Leonis X. in minoribus familiaris. VII. 9.

Inghiramiis (Thomas Phædrus de) Canonicus Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, Volaterranus, Bibliothecarius Palatii Apostolici a Julio II. dictus. CXVI. 196.

Italia bellis calamitatibusque devastata. XI. 15. Ejus laudes. *Ibid.* Bellum atrox in ea recrudescit. XCV. 132.

L

LAngus (Melchior) Clementis VII. Nuntius in Anglia. XCV. 132.

Lascaris (Joannes) Græcarum latinarumque litterarum scientia præstans, a Leone X. accersitus, Romam venit. III. 2.

Lecanis (Alexander de) Cubicularius Secretus Leonis X. LIX. 76.

Leo X. litteras, litteratosque viros magnopere colit. III. 3. LIV. 68. XCI. 127. Concilium Lateranense a Julio II. inceptum absolvit. III. 3. Ensem & pileum benedictum Sigismundo Poloniæ Regi a Julio II. decretum, statim ad eum mittit. V. 5. Omni ope curat, ne Ludovicus Francorum Rex ad Italiam arma convertat. XL. 14. 16. Eumdem Regem ad bellum Turcicum suscipiendum hortatur. XI. 16. Possessionem Mutinæ per commissarios suscipit. XXIII. 33. De Francisco I. ad Galliæ regnum evecto, gaudet. XXXVI. 49. Comiti Joanni Corbariæ DC. ducatus auri condonat, ut muniat castra prope fines Turcarum posita. XXXVIII. 52. Colloquium habet cum Francisco Galliæ Rege pro expeditione adversus Turcas. XL. 53. Magnam librorum omnium ac præsertim veterum scriptorum copiam, ex universis Mundi plagis, nulli parcens expensæ col-

colligit. LIV. 68. Inducias Christianis Principibus indicit, ut expeditio contra Turcas suscipiatur. LVII. 74. Fidem obtinet a duobus Hispaniæ ac Franciæ Regibus eorum manu & chirographo consignatam, qua utrique in expeditionem adversus Turcas sese paratos esse pollicentur. LXVIII. 90. Lutheri errores damnat, eique præcipit, ut omni prædicatione ac disputatione abstineat, & intra certum terminum libros ab se editos comburat, & Romam sub fide de salvo conductu veniat. *Ibid.* Lutherum ejusque fautores tamquam notorios & pertinaces hæreticos iterum iterumque damnat. LXXI. 97.

Ludovicus Comes Palatinus Sacri Romani Imperii Princeps elector. LXV. 81. Ejus laudes. LXVI. 86.

Ludovicus Comes Petiliani una cum Troilo Sabello in Republica Senensi novis rebus studet. XXVII. 37.

Ludovicus Francornm Rex inducias cum Ferdinando Aragoniæ & Siciliæ Rege Catholico ad annum facit. XI. 13. Ejus obitus XXXVI. 48.

Lutherus (Martinus) plures hæreses in Germania seminat, ac publice libris impressis, divnlgat. LXXI. 96. Pontificiam suorum errorum damnationem contemnit, & in hæresi perseverat. *Ibid.* Hinc ipse ejusque fautores ac receptatores, tamquam notorii & pertinaces hærerici a Leone X. Pont. M. declarantur per publicas litteras. *Ibid.*

M

Magdeburgensis civitatis tumultus a Lutheranis excitatus. XCVII. 136.

Malaspini fratres Leonis X. affines. XXXIII. 42. A Maximiliano Imperat. in fraternum & familiare feudum restituti. XXXIII. 42.

Marchio Montisferrati Leoni X. in minoribus amicus. II. 2.

Margarita Austriaca Maximiliani Imperatoris filia, Belgii Provinciarum Gubernatrix, CI. 246.

Maronitarum gens Catholica, & a vero Dei cultu, quem Sancta Romana Ecclesia servat, nulla in re aberrans. XVII. 22. Ejus-

22. Ejusdem gentis Patriarcha Leonem X. tamquam Petri Successorem & universalis Ecclesiæ caput veneratus, ab eo petit confirmationem atque ornamenta dignitatis suæ. *Ibid.*

Maximilianus Romanorum Imperator. LXV. 81. Ejus mors a Leone X. deploratur. *Ibid.*

Mazochus (Joannes) Bergomensis, librum de dictis & factis Socratis a Bessarione Card. Niceno latine redditum, in lucem edit. CXVIII. 100.

Medicis (Julianus de) Leonis X. frater germanus. XI. 12.

——Julius Cardinalis integritate multisque virtutum ornamentis præstans. XXXVI. 50. Traditur ei a Leone X. Ecclesia Narbonensis. *Ibid.*

Mendoza (Franciscus de) Cubicularius secretus Leonis X. & frater germanus Marchionis de Mondesar. LXIII. 79.

Minerbettus (Franciscus) Archidiaconus Florentinus & Cameratius Secretus Leonis X. XV. 20. Ad quædam ejus Pontificis negotia peragenda mittitur. *Ibid.*

Mutinenses egregiam operam navant, ut eorum civitatis possessio facilius a Pontificiis accipiatur. XXIII. 33. Ingens eorum erga Romanam Sedem studium. *Ibid.* Leoni X. magnopere accepti. *Ibid.*

N

Nubilariæ castrum agri Pisaurensis S. Romanæ Ecclesiæ directi dominii jure subjectum. XXIV. 5.

Nudia (Thomas) Notarius & Cubicularius Leonis X. XXXV. 44.

P

Pallavicina familia inter Italas nobilissima. XXII. 32. Affinitatem contrahit cum Leone X. *Ibid.* Ab eodem Pontifice Cardinali Sedunensi commendatur. *Ibid.*

Paulus III. quid pro bello Turcico suscipiendo egerit. CXII. 185. 186. &c. Archiepiscopum Trevirensem hortatur, ut Carolum V. Cæsarem in bello hæreticis inferendo adjuvet. CXIII. 188. Ad Tridentini Concilii Patres lit-

litteras scribit. cxiv. 190.

Petruccius (Burgesius) Reipublicæ Senensis Princeps. xxvi. 37. xxvii. 37. & 38.

Philonardus (Ennius) Episcopus Verulanus Clementis Septimi Apostolicus ad Helvetios Nuntius. cxi. 182.

Pulleonius (Joannes Antonius) Nuncius Apostolicus in Ungharia Pauli III. & Baro Burgii. cxii. 184.

R

Roma urbs Princeps orbis, omnium doctrinarum studiis florentissima. xvii. 24. Multi in ea Leonis X. ætate Arabicarum notarum periti interpretes. *Ibid.* Cladis ejusdem urbis ac direptionis, Clemente VII. Pontifice accurata narratio. cx. 177. 178. 179. 180. 181.

Rosis (Franciscus de) Ravennas; ad libros conquirendos in Syriam proficiscitur. liv. *69.* Librum quemdam Aristotelis Theologia, seu Philosophia mystica inscriptum, in lucem edit. *Ibid.*

Rossis (Ludovicus de) Leonis X. Consanguineus & Camerarius secretus. xviii 25. Traditur ei ab eodem Pontifice administratio Monasterii S. Salvatoris de Rotono Ord. S. Benedicti Rodonensis Diœcesis. *Ibid.* Coadjutor Joannis de Bois Abbatis Monasterii S. Martini Tornacensis. xlvi. *61.*

Roterodamus (Des. Erasmus) litteras ad Leonem X. mittit, quibus se optima in Sedem Romanam voluntate esse significabat. lxx. 94. Londinum proficiscitur, ex eaque urbe iterum ad Leonem scribit. xc. 125. Illum Leo Pont. Henrico VIII. Angliæ Regi sponte commendat. xci. 127.

Rubeis (Franciscus de) Notarius & Camerarius Apostolicus, Leonis X. familiaris, & continuus commensalis. lvii. 72.

Rubeis (Troilus de) Familiaris Leonis X. ante Pontificatum. xiv. 19. Cum quibusdam Neapolitanis Principibus in graves controversias incidit. *Ibid.* Quare eum Leo X. Viceregi Neapolitano cōmendat. *Ibid.*

Rupeforti (Joannes de) Ludovici Regis Christianissimi

nissimi Orator apud Leonem X. XVIII. 26.

Ruvere (Franciscus Maria de) Dux Urbini, urbis Romæ Præfectus, & S. R. S E. Generalis Capitaneus. XXIV. 35. Ejus causa coram Leone X. agitatur. XLIII. 57. Affinis Duci Borbonio. *Ibid.*

S

SAbellus (Jacobus) Præfectus equitum LXX. a Leone X. declaratur. XXV. 36.

—— Troilus Senensis Reip. statum perturbare conatur. XXVI. 37. XXVII. 37.

Salviatis (Joannes de) Cardinalis, a Clemente VII. Legatus mittitur ad Carolum Cæsarem, regesque alios & Principes communis pacis & concordiæ causa. XCIX. 141.

Sannazarius (Actius Syncerus) sive Jacobus librum de Dei & Domini Nostri Jesu Christi rebus scriptum Clementi VII. dicat. CXIX. 202. Ejus ingenii laus. *Ibid.* p. 203.

Saulorum familia Regi Galliæ addicta. XXI. 31.

Saulis (Jacobus de) Bandinelli Cardinalis de Saulis Patruelis. XXI. 31. Cum nonnullis aliis Genuensibus jussu Regis Christianissimi Lugduni detentus. XXI. 31.

eneusis Respublica in fide & cura Romani Pontificis. XXVI. 37.

Sigismundus Rex Poloniæ multa adversus Scythas memoria digna gessit. V. 7.

T

TRidentinum Concilium laudatur. CXIV. 190.

Trojanus Princeps Melphis Leoni X. in minoribus familiaris. IX. 11.

Turcarum tyramnus ex Orientis expeditione reversus Constantinopolim se confert, ingentemque classem celeriter instruit. LVIII. 73. Exercitum quoque terrestrem in Caria, ad ea loca, quæ maxime Rhodo apposita sunt, tenet. LXVIII. 90. Ad bellum Ungheriæ inferendum se apparat. CVI. 158. Calamitates ab eo Christianis allatæ. CX. 174.

V

VIo (Thomas Cajetanus de) Ord. Præd.

Generalis Magiſter Leoni X. vehementer gratus. IV. 4. Procurator Georgii Saxoniæ Ducis in Concilio Lateranenſi. *Ibid.*

Unghariæ regnum in maximum diſcrimen adductum. XLI. 55. CVII. 161. CXII. 184.

Urſini fratres filii quondam Julii de Urſinis magnæ ſpei adoleſcentes, & Leoni X. arcto cognationis vinculo conjuncti. LVI. 71. Ab eodem Pontifice Hiſpaniarum regi commendantur. LXXXVIII. 121.

Wicht (Hieronymus de) Regis Catholici apud Leonem X. Orator. XII. 18. Ejus laudes. XLIV. 58.

ANTONII FLOREBELLI
EPISCOPI LAVELLINI
EPISTOLÆ.

ANTONII FLOREBELLI VITA

A VINCENTIO ALEX. CONSTANTIO DESCRIPTA.

ANTONIUS FLOREBELLUS *Mutinæ honesto loco natus, Jacobi Sadoleti Cardinalis potissimum opera, ad eam eloquentiæ laudem pervenit, qua magnum sibi, familiæ, patriæ attulit ornamentum. Etenim Sadoletus, qui Joanne Nicolao ejus patre familiariter utebatur, qua erat sagacitate* ANTONII *ingenium subodoratus, captusque adolescentis humanitate & doctrina, adeo illum amplexus est, ut vix unquam a se discedere passus fuerit, sed in filii loco semper dilexerit, ejusque & fide & industria cognita, omnium consiliorum suorum participem esse voluerit. Conferre autem sese cœpit* FLOREBELLUS *ad Sadoleti amicitiam atque convictum anno reparatæ salutis quingentesimo trigesimo tertio supra millesimum* (*a*). *Morabatur ea tempestate* SADOLETUS *Carpentoracte, cujus erat urbis Episcopus, neque solum pietate ac doctrina, sed etiam latinæ eloquentiæ laude unus omnium maxime florebat. Quantum vir hic præstantissimus jam tum* FLOREBELLI *ingenio tribueret, vel exinde patet, quod quum anno* MDXXXIV. *de Clementis VII. Pont. Max. obitu Carpentoracte nuncius esset allatus, & Sado-*

(*a*) Florebel. Ep. I. ad Reg. Polum pag. 15.

doletus, ut, quibuscumque posset officiis, suam erga Pontificem illum pietatem & eximium amorem declararet, justa ei de more ample magnificeque facienda curasset, non alio in funebri illo apparatu Clementis laudandi munus dedit, quam FLOREBELLO *suo. Qui etsi juvenili adhuc esset ætate, neque satis temporis ad componendam orationem habuerit, tamen* III. *Calend. Novembris rebus divinis rite peractis in maximo ornatissimorum hominum conventu, tam amplo verborum sententiarumque apparatu optimum illum Pontificem laudavit, ut omnes ac præcipue Sadoletum ipsum in magnam sui admirationem pertraxerit. Quum igitur Sadoletus tantam in* FLOREBELLO *ad eloquentiam indolem ingeniumque conspiceret, eum ad optimarum artium studia omni ope direxit. Itaque quum ab ineunte ætate, non sua, sed patris & amicorum voluntate ad jus civile cognoscendum sese dedisset, postea mutato consilio ei arti nuncium remisit, relictisque imperitis illis legum interpretibus, Ciceronem atque Demostenem, & optimos quosque Græcos & Latinos oratores diurna nocturnaque manu evolvere cœpit* (a). *Quantum autem brevi tempore & in utriusque Philosophiæ studiis, & in rerum scientia pulcherrimarum profecerit, quæ posteris reliquit præclara ingenii monumenta testantur. Etenim præter Commentarium de Vita Jacobi Sadoleti eleganter sane atque adcurate conscriptum, a nobisque adnotationibus illustra-*

(a) Totam hanc studiorum suorum rationem pluribus explicat ipse Florebellus Epist. IV. ad Franc. Marium Molsam pag. 21. & seqq.

ſtratum, extant inter ipſius Sadoleti opera ejuſdem FLOREBELLI *Orationes duæ, altera ad Germanos de concordia, altera ad Philippum & Mariam Reges de reſtituta in Anglia religione, circumferturque omnium eruditiorum hominum manibus ejus liber de auctoritate Eccleſiæ, in quo cauſam religionis ita pie diligenterque propugnat, ut nihil amplius deſiderari poſſe videatur.*

Vixit FLOREBELLUS *in ea vitæ ac ſtudiorum ratione Carpentoracte aliquot annos, quoadusque Italiæ deſiderio abreptus a Sadoleto diſceſſit, ea tamen lege ac conditione, ut ſimul atque ille opus eſſe duceret præſentia ſua, extemplo ſe in Galliam revolaturum profiteretur. Profectus eſt autem Patavium, ubi aliquantulum commoratus, in patriam ſuorum viſendorum cauſa rediit. Accidit interea, ut dum* FLOREBELLUS *Mutinæ verſaretur, Carpentoracte Paulus Sadoletus* JACOBI *Card. fratris filius, Provinciæ illius Rector fuerit conſtitutus. Quo novo magiſtratu detentus, quum non poſſet Jacobo Patruo, eam quam ſolitus erat operam navare, neque hic alium haberet quempiam, cujus opera induſtriaque fidentius ac melius uti poſſet, præter* FLOREBELLUM, *ſtatim ad Joannem Nicolaum ejus patrem, ac poſtea ad ipſum* ANTONIUM *litteras dedit, quibus ab eo non modo petebat, ſed etiam flagitabat, ut ad ſe quamprimum contenderet. His litteris acceptis* FLOREBELLUS, *ſtatim tam egregiæ ſummi viri voluntati reſpondendum eſſe exiſtimavit, urbique Carpentoractenſi confeſtim & ſine ulla mora ſeſe reſtituit. Ex eo tempore optimo eidem eloquentiſſimoque Cardinali, (a quo*

non solum in familiaritatem ac consuetudinem, sed & in omnium cogitationum fortunarumque suarum societatem tam amanter fuerat vocatus) in omnibus ejus curis, actionibus, vigiliis summa cum fidelitate & diligentia præsto semper fuit, suoque labore & in omni genere excellenti virtute effecit, ut sæpe Pauli Nepotis desiderium æquiore animo ferret. Inter hæc Sadoletus anno M. D. XLII. *a Paulo III. Pont. Max. Romam accersitus, haud multo post Legatus ad Franciscum Galliæ Regem pro sancienda pace delectus est. In ea Sadoleti legatione, quantum* FLOREBELLUS *ingenio prudentiaque valeret, ostendit. Nam & Bononiam cum mandatis ad Cardinalem Farnesium missus, & ad Regem Galliarum cum ipso Sadoleto profectus, plura eaque difficillima negotia, arduis interdum susceptis itineribus, incredibili celeritate confecit. A Legatione reversus, & Carpentoracte paucorum mensium spatio commoratus, anno* MDXLIII. *cum eodem Romam venit. Inde Mutinam petivit, & sub initium anni insequentis urbi sese restituit. Erat tum Romæ Reginaldus Polus Anglus Cardinalis, vir religione, doctrina, ac regia nobilitate, maxime præstans; atque uti cum Sadoleto magna necessitudine conjunctus, ita quoque* FLOREBELLO *familiaris. Summis itaque ab illo Principe viro benevolentiæ signis officiisque Romæ prosequutus est. Atque hoc quidem* FLOREBELLI *integritatis, necnon erga Sadoletum suum amoris indicium sit, quod quum Polus Card. illius redeundi in Galliam consilii ignarus, honestissimum ipsi in aula principis cujusdam viri locum proposuisset, stat im* FLOREBELLUS *amplissimam illam*

illam conditionem recusavit: quo facto & patrono suo fidem & officium debitum præstitit, probavitque omnibus animum constantem, & nullius rei, præterquam existimationis bonæ appetentem & cupidum. Non enim muneris dignitas, non præmiorum spes ejus animum flectere potuit, sed illico sine ulla hæsitatione Polo respondit, malle se apud optimum atque omni virtute præditum Cardinalem Sadoletum, cujus jampridem in fide esset, cuique se probatum esse confideret, vivere, quam maximis propositis præmiis in illa Italiæ luce, in amplissimo urbis Romæ theatro versari.

Nec solum FLOREBELLUS *Sadoleti, sed etiam aliorum præstantium virorum amicitias summa fide coluit. Nam & Franciscum Molsam egregium poetam ita dilexit, ut nihil supra, & Francisco Victorio Senatore Florentino familiariter usus est, adeo ut nemo aurea illa ætate ingenii ac doctrinæ laude floreret, quem non sibi ipse amicum aliqua ratione reddere conaretur. Hinc quum ab ineunte adolescentia Petrum Bembum & Reginaldum Polum viros eruditione ac latina eloquentia excellentes, propter eximias eorum virtutes ingenti studio atque amore complecteretur, nihilque ardentius exoptaret, quam se ad eorum amicitiam familiaritatemque conferre, litteras ad utrosque dedit elegantia ac humanitate summa conscriptas, quibus tantam eorum hominum benevolentiam sibi conciliavit, ut subsequentibus temporibus multum apud eos auctoritate & gratia semper valuerit. Quid de ejus cum Gaspare Contareno, Federico Fregosio, Gregorio Cortesio, Joanne Morono Cardinalibus præstantissimis necessitudine dicam? Satis*

sit asserere tot FLOREBELLI *amicos extitisse, quot insignes cum pietate tum doctrina viros ea ætas extulit.*

Dum Romæ FLOREBELLUS *ob excellens ac præclarum ingenium suum, magnorum virorum atque omnium ordinum gratiam sibi conciliabat, accidit ut inopinatus casus omnes vitæ studiorumque suorum rationes deturbaverit, gravissimoque eum mœrore affecerit. Etenim Cardinalis Sadoletus ad urbem iterum a Pontifice evocatus, ut ejus opera in Concilio Tridenti indicto uteretur; dum vir præstantissimus sapientia ac integritate sua opem aliquam afflictis Ecclesiæ rebus afferre parabat, anno* MDXLVII. *morbo correptus,* XV. *Cal. Novembr. extremum diem obiit. Fuit tanti viri interitus luctuosus suis, acerbus Pontifici Maximo, gravis bonis omnibus, ac præcipue* FLOREBELLO, *cui illius virtutes quotidiano usu ac familiaritate exploratiores erant, quam ceteris. Itaque in patriam rediit; non tamen angoribus sese dedidit, sed eum virum se præstans, quem ejus singularis eruditio & disciplina a sapientissimo viro tradita postulabat, ad ea colligenda animum appulit, quæ Sadoletus ad usum posteritatis elegantissime sapientissimeque conscripsit: qua in re non tam patroni amantissimi gloriæ, quam officio & publicæ consuluit utilitati. Id ut præstaret, in Galliam ad Paulum Sadoletum, qui in Episcopatu Carpentoractensi Patruo successerat, sese contulit; (nam penes eum erant Sadoleti Cardinalis scripta omnia) atque una cum eodem Paulo nonnullas viri disertissimi Epistolas collegit, easque Sebastiani Gryphii typographi illis temporibus celeberrimi opera*

Lugdun

Lugduni edendas evulgandasque curavit. Paullo post in Italiam reversus, ad Urbem religionis ergo venit. Erat is annus M.D.L. *quo Julius* III. *Pontifex Maximus Jubileum indixerat. Paucis tamen mensibus Romæ* FLOREBELLO *esse licuit. Etenim quum Marcellus Crescentius Cardinalis, qui tunc ob insignem præstantis ingenii laudem apud Principes viros Regesque, imprimis gratia ac benevolentia florebat, ad Concilium Bononia Tridentum revocatum a Julio* III. *Apostolicæ Sedis Legatus missus esset, opusque haberet in elucubrandis de rebus maximi momenti ad Pontificem litteris, ingenio hominis tum ob scribendi prudentiam atque elegantiam eruditissimi, tum ob rerum pondus ac magnitudinem summa fide summaque probitate prediti, statim* ANTONIUM FLOREBELLUM *accersivit, eumque gravissimo illo honestissimoque muneri præfecit. Sed non ei licuit diu optimo illo Cardinali in orthodoxæ fidei causam tanto studio incumbenti, operam navare suam. Quum enim Calendis Maii anno* M.D.LI. *Crescentius Card. illius Concilii Sessioni* XI. *ac deinde reliquis Sessionibus præfuisset; decimæ sextæ habitæ* III. *Calend. Maii anno insequenti* (a) *ob gravissimum morbum interesse non potuit. Itaque eo ingravescente, dum Romam repeteret, Veronæ Calendis Junii eodem anno extinctus est; magnumque bonis omnibus ac præsertim* FLOREBELLO, *sui desiderium reliquit.*

Interim Reginaldus Polus Cardinalis, (de cujus egregia ac propensa in ANTONIUM *voluntate supra dictum est) primo*

(a) Fuit hæc ultima Concilii Sessio habitarum sub Julio III.

post initum a Julio III. Pontificatum anno, Roma excesserat, & Maguzanum in cœnobium Monachorum Ordinis Sancti Benedicti, quietum salubremque locum in agro Veronensi haud procul a lacu Benaco positum, sese receperat. Ad eum statim FLOREBELLUS *post obitum Cardinalis Crescentii divertit: lubentissimeque a summo viro in fidem & contubernium receptus est, ut ejus potissimum operæ in Epistolis conscribendis uteretur. In ea loci amœnitate* FLOREBELLUS *apud Reginaldum Polum quiete tranquilliterque versabatur, quum ecce lætissimi ex Anglia nuncii afferuntur de regis Edoardi VI. Henrici VIII. filii obitu, deque Maria Edoardi sorore, ad quam legitima regni illius successio pertinebat, omnium ordinum suffragiis ad regale illud solium evecta. Qua quidem de re, in magnam spem Catholicæ in ea Insula fidei restituendæ animis bonorum omnium erectis, Julius III. Pont. Max. ut id facilius perficeretur, Reginaldo Polo Legationem in Angliam decrevit. Quare Polus iter ingressus, quum proter varias a Cæsare in medium allatas difficultates non ultra sibi progrediendum existimasset,* ANTONIUM FLOREBELLUM *ad Carolum misit, cui suum in Angliam sese statim recipiendi desiderium exponeret, atque interim Pontificem Maximum de Cæsaris voluntate deque tota re certiorem fecit. Romæ Pontifex, Senatu coacto, alteram Cardinali Polo Legationem de pace inter Cæsarem & Gallorum regem concilianda committit. Itaque Polus itinere suscepto, Tridentum pervenit, ac litteras ad* FLOREBELLUM *dedit cum mandatis, ut ipsum Cæsarem de altera Legatione*

sibi

sibi delata, deque suo ex Italia discessu certiorem faceret. FLOREBELLUS *comisso sibi officio perfunctus, Delingæ Polum convenit. Cum eo Bruxellas reversus, & in Galliam ad Franciscum Regem profectus, postea ad Cæsarem rediit, superatisque tandem omnibus difficultatibus, quæ Anglicanam illius Cardinalis Legationem tamdiu retardaverant, anno* M.D.LIV. *mense Septembri cum eodem in eam Insulam trajecit, ac Londinum pervenit. Haud facile dictu est, quantum* FLOREBELLUS *ex suo in Angliam adventu fructum cœperit, quantamque lætitiam, ut nullus eo die, quo illa natio ad Catholicam fidem reversa est, tota sibi vita lætior, nullus jucundior illuxerit; quemadmodum ipsemet in litteris ad Joannem Moronum Cardinalem Londini datis* VII. *Idus Januarii anno* M. D. LV. *testatum reliquit.* FLOREBELLUS *enim noster, qui totæ illi rei interfuit, vidit profecto quemadmodum acta illa sit atque confecta: quo nimirum studio, qua pietate illorum optimorum Regum Philippi & Mariæ, qua cura, qua industria viri sanctissimi sapientissimique Poli Legati, qua consensione, qua concordia, quibus & quam lætis acclamationibus universi Anglorum Concilii, natio illa post tam diuturnum dissidium fuerit Ecclesiæ Catholicæ reconciliata. Quapropter quum ea admiratione & gaudio se affici senserit, quod summa ejus in Deum pietas, & excellens in Christianam Rempublicam studium postulabat, operæ pretium duxit tantam illorum regum pietatem luculenta oratione laudare: quæ quidem oratio rei ipsius dignitati ac magnitudini apprime respondit.*

Hactenus ea de ANTONII FLOREBELLI *Vi-*

ta breviter persequuti sumus, quae ex paucis hisce quas modo evulgamus illius epistolis, colligere nobis licuit: reliqua quae de eo dicenda supersunt, multo brevius strictiusque comprehensuri, propterea quod nullas post hoc tempus ejusdem litteras habeamus. Omnibus igitur iis quae ad Catholicae religionis ritus instituaque pertinent a Reginaldo Polo in Anglia restitutis, FLOREBELLUS *non amplius sibi in ea Insula morandum existimans, bona cum ejusdem Cardinalis venia in* Italiam *remigravit (a). Romam quum venisset, Lavellensium in Apulia Episcopatu a Paulo IV. Pont. Max. auctus est* IV. *Calend. Septembris anno* M. D. LVIII. *Itaque statim ad commissam sibi Ecclesiam regendam accessit; qua trium annorum spatio administrata, anno* M. D. LXI. *eamdem dimisit (b). Ad urbem reversus, usus eo est Pius IV. in latinis Epistolis conscribendis: post cujus mortem apud S. Pium V. eodem gradu fuit (c). Quum in eo munere utrique Pon-*

(*a*) Polus enim Cardinalis Londini usque ad obitum permansit, qui contigit mense Novembri anno 1551.

(*b*) Hinc Andreas Duditius Sbardellatus Episcopus Tininien. in Vita Reginaldi Poli Card. Venetiis edita an. 1563. ,, Hic Florebellus ... nunc est Lavellinus Episcopus, ,, & a brevibus, ut vocant, Pontificis Maximi, vir cum omni elegantiore doctrina ,, perpolitus, tum vero summa latine scribendi facultate & eloquentia praeditus.

(*c*) Etsi auctor dialogi de claris Epistolarum Pontificiarum scriptoribus pag. 256. asse-

Pontifici perquam diligentem ac laudabilem operam præstitisset, anno M.D.LXVIII. *qui fuit S. Pii V. Pontificatus Maximi tertius, ætate jam laboribusque confectus, venia impetrata, ab urbe in patriam se contulit, atque in otium secessit; in eaque vitæ ratione usque ad obitum permansit. Obiit autem Mutinæ anno* M.D. LXXIV. *ibique conditus est in Templo S. Margaritæ, eodem cum Joanne Nicolao Patre ac Ludovico fratre tumulo, quod vivens sibi ac suis fecerat, hoc addito monumento.*

JOAN. NICOLAO FLOREBELLO PATRI OPTIM.
FLOREBELLO FRATRI CHARISSIMO
ANTONIUS EPISCOPUS LAVELLINUS FECIT
ET SIBI ET POMPEJO FRATRIS FILIO
ORDINIS CHRISTI EQUITI
POSTERISQUE EJUS
A. AB ORTU SALUTIS M. D. LXXIV.

Majus ejusdem Templi Sacellum cum Lodovico fratre exornaverat, ubi ex penicillo *hæc leguntur verba.*

CHRISTO DEO ET SALVAT. NOSTRO
ANTONIUS EPISCOPUS LAVELLINUS
ET LUDOVICUS FLOREBELLI FRATRES
FECERUNT.

SCRI-

ferat plerasque S. Pii V. Epistolas ab Antonio Goubau Antuerpiæ emissas in manus hominum, an. M. D. XL. a Florebello fuisse conscriptas, vir tamen cl. Hieronymus Lagomarsinius e Soc. Jesu in notis ad Epistolas Julii Pogiani tom. IV. pag. 147. vel nullas, vel certe paucas illius voluminis Epistolas ab eo concinnatas evincit.

SCRIPTORUM EPISTOLARUM
I N D E X.

SCRIBIT FLOREBELLUS

FRANCISCO MOLSÆ, Epist. III. *pag.* 19. IV. 21.
HIERONYMO NIGRO VIII. 37.
JOANNI MORONO CARD. XI. 44.
PETRO BEMBO IX. 39.
REGINALDO POLO I. 15. VI. 30.

SCRIBUNT AD FLOREBELLUM

HIERONYMUS NIGER. VII. 35. X. 41.
PETRUS BEMBUS. II. 18.
PETRUS VICTORIUS. V. 27.

AN-

ANTONII FLOREBELLI
EPISTOLÆ
NUNC PRIMUM COLLECTÆ.

EPISTOLA I.

ANTONIUS FLOREBELLUS REG. POLO.

Rogat ut ad ſuam amicitiam ſibi aditum aperiat.

CUM ſcriberem iſthuc ad Bembum, quem ego hominem admiratione quadam adductus præſtantiſſimarum ejus virtutum, jampridem amo vehementer atque obſervo, tametſi nullus antea mihi cum eo uſus, nulla familiaritas intercesſit, faciundum mihi viſum eſt, ut aliquid ad te quoque teſtificandi amoris, & obſervantiæ erga te meæ cauſa ſcriberem. Jamdudum eſt enim cum te, Pole, propter eximias tuas vir-

virtutes ita omni ſtudio atque amore ſum complexus, ut nihil magis exoptaverim, quam me quamprimum ad amicitiam tuam præſtantis, atque omni dignitate principis viri applicare. Sed antea quidem pudore quodam ſum deterritus, quominus ad te ſcriberem. Cum enim mecum cogitarem, quot quantiſque tu vel animi bonis, vel fortunæ ornamentis redundares, intelligebam, ſummam in te dignitatem, ac nobilitatem, ita cum pari prudentia, virtute, atque doctrina eſſe conjunctam, ut pauci admodum comparari tecum poſſe videantur. Ita fiebat, ut quo magis ſtudio, atque amore tui incenderer, hoc minus auderem in amicitiam me tuam inſinuare; quippe cum viderem nullam eſſe in me ingenii, aut doctrinæ præſtantiam, quæ in nonnullis antea fuit, qui ſe ad amicitiam tuam contulerunt. Cum vero hoc tempore ad Bembum ſcribens, pudorem hunc ſubruſticum meum dimittendum mihi ſtatuerim, atque id incredibili ejus viri humanitate fretus, veritus ſum, ne ſi tenere me diutius potuiſſem, quominus ad te quoque ſcriberem, parum perſpectam habere viderer humanitatem tuam: quam in te virtutem tam eximiam eſſe conſtat, ut cum reliquis virtutibus nemini ſis inferior, hac etiam ſis laude clariſſimus. Ac me quidem cum ſumma tua humanitas, ut has ad te literas darem hortata eſt, tum vero amicitia ea, quæ tibi cum Jacobo Sadoleto viro lectiſſimo ac præſtantiſſimo maxima intercedit, prope coegit. Etenim cum me ad amicitiam ejus atque convictum anno ſuperiore contulerim, cumque probe noverim, quantopere te ille amet, quantique faciat,
nimi-

nimirum ego quoque parem tibi præstare benevolentiam atque observantiam debeo. Atque hæc, quamquam non eo a me dicuntur, quo dubitem, quin mihi pro tua singulari humanitate aditum libenter ad amicitiam tuam sis patefacturus, sed potius ut intelligas, quo plures, & justiores causas habeam diligendi, atque observandi tui, hoc veriorem esse meum in te amorem, atque observantiam: tamen facere non possum, quin te quoque obsecrem, atque obtester, ut quamquam alia nulla re conciliare tuam mihi benevolentiam possim, præterquam admirabili quadam amoris magnitudine, tamen te mihi, mi prestantissime atque optime Pole, facilem præbeas, libensque mihi fores, ut ita dicam, amicitiæ ac benevolentiæ tuæ reseras. Enimvero si eos dumtaxat dignos amicitia tua esse statueris, qui sint tibi, vel ingenio, vel virtute, vel nobilitate pares, eris, mihi crede, inops ab amicis. Etenim quam multi tandem reperiuntur, qui vel genere, vel ingenio, atque doctrina, vel denique ulla virtute se tibi audeant comparare! Illud quidem tibi sanctissime polliceor atque promitto, ut reliquis rebus ab iis vincar, qui te colunt, amant, atque observant, quorum magnam tibi esse copiam pro tua dignitate, ac nobilitate persuasum habeo, tamen fide, amore, atque observantia erga te parem me iis, ne dicam superiorem, futurum. Vale mi prestantissime ac nobilissime Pole. Carpentoracti VII. Id. Jan. MDXXXIV.

EPI-

EPISTOLA II. (a)

PETRUS BEMBUS ANT. FLOREBELLO S. P. D.

Ejus litteris officiose ac amanter respondet.

EGo vero te in eorum, quos valde amo charosque habeo numerum libentissime recipio: vel quod id admodum cupere te ostendis: vel ejus doctrinæ, quæ mihi se tuis in literis patefacit, nomine: vel etiam propter eam, quam es ingressus cum Sadoleto meo familiaritatem & consuetudinem; a quo qui amantur & probantur, eos a me non diligi, nefas puto. Quæ de me prædicas, de iis eo magis tibi debeo, quo minus a me ipso agnoscuntur. Sed facis tu quidem amabiliter, si, quem diligere instituisti, eum dignum esse ostendis, qui diligatur. Reliquum est, ut quæ proficisci ab amicissimo tui debent, ea de me tibi ipse polliceare. Dabo operam, ne te frustra judicium suscepisse intelligas. Sadoletis multam salutem. Vale. Quarto idus Sextilis. MDXXXIV. De Noniano.

EPI-

(a) *Ex libro Sexto Epistolarum Bembi Familiarium.*

EPISTOLA III. (a)

ANT. FLOREBELLUS F. MOLSÆ S. D.

Orationem in obitu Clementis VII. Pont. Max. Carpentoracte Jacobi Sadoleti Episcopi jussu a se habitam, ad eum mittit, ut eamdem Hippolyto Medici legat.

CRedo jam isthuc allatum esse, quanto omnes hi populi, qui Pontificiæ parent ditioni, Clementis VII. morte affecti sint, cum Christianæ Reipublicæ caussa summopere doluerint, quæ optimi, ac sapientissimi Principis interitu magnum vulnus accepisse videbatur. De Sadoleto vero nihil attinet me ad te scribere, cum scias quantopere semper illum coluerit, atque amaverit, tum propter perpetuam ejus erga se indulgentiam, atque clementiam, tum propter suam incredibilem in illum pietatem, ac benevolentiam. Equidem tanto affectum dolore vidi, ut eum nihil in omni vita tulisse acerbius persuasum habeam, facile ut quisque perspicere, ac judicare possit, nunquam ab eo Clementis fortunam, sed eximias virtutes, de quibus nunquam prædicare desistit, spectatas fuisse. Ita-

(a) *Hanc, uti & sequentem ad eumdem Molsam Epistolam, publica primum luce donavit paucis abhinc annis inter ipsius Molsæ opera vir præstantissimus, omnique artium scientia pulcherrimarum excultus Petrus Antonius Serassius.*

Itaque quibuicumque officiis potuit ſuam in eum pietatem, & eximium amorem declaravit. Juſta ei de more ample magnificeque pro ea copia, quæ hic fuit, facienda curavit, incredibili totius civitatis luctu ac dolore. Mihi ut eum laudarem, cauſſam dedit, cui ego muneri atque officio, pietate magis, ac ſtudio, quam ingenio, & dicendi facultate ſatisfeci. Nam præterquamquod perexiguum eſt in me ingenium, tum ne temporis quidem ſatis ad componendam orationem habui. Sed tamen, quod nefas eſſe arbitrabar, hoc dicendi onus ſubterfugere, atque hoc munus officii tam pium, tamque neceſſarium prætermittere, naturam mihi ſtudio pene vincendam ſtatui. Itaque ad III. Calen. Novembris, rebus divinis rite peractis, in maximo conventu ornatiſſimorum virorum eum laudavi. Fecit autem mihi incredibilem audientiam illius mortui mirum, quod civitatem hanc tenet, deſiderium. Eam orationem, vel verius oratiunculam idcirco ad te mitto, ut eam ampliſſimo Viro Hippolyto Medici legas, non quo ea digna ſit, quæ ab eo legatur, qui & ingenio, & judicio plurimum valet; ſed ut hoc habeat teſtimonium meæ in illum, & domum ejus totam obſervantiæ. Vale, doctiſſime & humaniſſime Molſa, meque, ut facis, ama.

Carpentoracti III. Novembris MDXXXIV.

EPI-

EPISTOLA IV.

ANT. FLOREBELLUS F. MOLSÆ S. D.

Suam erga illum benevolentiam declarat. Initam a se studiorum rationem explicat, profertque causas ob quas Jus Civile reliquerit, seseque totum ad Philosophiæ ac bonarum artium studia contulerit.

SEx aut eo plus menses jam sunt, Molsa humanissime, quo tu de Hippolyto Medice veneras, vidi: quo quidem tempore eam ex aspectu tuo cœpi voluptatem, quam & mea in te observantia, & meum de præstanti ingenio, doctrina, atque humanitate tua judicium postulabat, ita ut quanquam me eo venisse ob eam rem maxime scilicet lætarer, quod Jacobum Sadoletum, quicum magna mihi jam inde a pueritia necessitudo intercessit, convenissem, tamen cumulum mihi gaudii suavissimus afferret aspectus tuus. Sed ut inde me recepi Carpentoracte, nihil adhuc ad te scripsi, neque de meorum ratione studiorum, neque, uti mos amicorum est, quo literas tuas elicerem, quibus de statu fierem tuo certior. Quod officii genus, non eo a me prætermissum est, quin optatissimum mihi in primis sit, & scire quid ipse agas, & simul de studiis meis aliquid ad te perscribere: sed cum mihi conscius sim, minime id oblivione amicitiæ nostræ accidisse, non est cur longiorem ad id orationem comparem, ut demonstrem me & initio admiratione quadam excellentis ingenii ac doctrinæ tuæ adductum, ad te

te amandum, & colendum accessisse, & postea non modo nihil de pristina mea in te benevolentia detractum esse, sed eam potius ex hoc meo absentis tui desiderio, atque hoc locorum intervallo accrevisse. Ego enim cum diligere quempiam institui, usque eo constans in amore sum, ut dispunctio locorum meam in illum benevolentiam non modo non minuat, sed potius augeat. Itaque tibi, mi Molsa, confirmo, vigere mihi assidue in animo memoriam tui, meque & sæpissime de te cogitare, & cum Jacobo ipso loqui solere cum insigni quodam judicio meæ in te observantiæ. Quod si tu quoque amicitiæ nostræ memoriam servas, gaudeo medius fidius mirum in modum, nec mihi quicquam potest tua mei memoria accidere optatius. Quanquam si ego bene tuos suavissimos mores, atque eximiam humanitatem novi, prorsus mihi persuaderi non potest, quin eam mihi, quam meus erga te amor requirit, benevolentiam præstes. Quare neque ipse de mea in te voluntate debes dubitare, & ego de tua in me prorsus sum persuasus. Sed jam aliquid tibi de studiorum meorum ratione exponam, ne tu forte mirere, qui fit, quod cum ab ineunte ætate me ad Jus Civile cognoscendum dedissem, relicto eo, me ad bonarum artium studia contulerim. Quod meum consilium hoc facilius me tibi probaturum esse confido, quod memini dici a te quoque, cum a primo tempore ætatis eidem arti studere cœpisses, paullo post ei nuncium remisisse, ac relictis illis imperitis legum interpretibus Ciceronem atque Demostenem, & optimos quosque græcæ, ac latinæ linguæ Auctores evol-

evolvere cœpisse. Ac nisi ego aliquando nefas esse duxissem, patris, & amicorum voluntati non obtemperare, nunquam profecto eam studiorum rationem essem secutus. Non mehercle, quo juris ipsius cognitionem, aut homine libero indignam, aut parum adjumenti ad eloquentiam afferre ipsam existimem. Nam certe neque ea parum olim dignitatis, obtinuit & est futuro oratori, si doctissimis hominibus credimus, in primis necessaria. Itaque & Romæ eruditissimis illis temporibus nulla vehementius, quam juris & eloquentiæ studia viguerunt, & quodam tempore sola prope juris scientia summo in honore fuit. Possem proferre, & commemorare quamplurimos; qui firmissimas amicitias, summos honores, maximas opes, laudem & gloriam ob eam unam sibi compararint. Sed ut ea quondam ars præcipue floruit, ac dominata est, ita nostris hisce temporibus nulla tenuior, aut exilior putatur, ut ea re nemo fere præstanti ingenio præditus est, quin & ab ea maxime abhorreat, & philosophiæ, ac bonarum artium studia multo libentius amplectatur. Quanquam enim ipso Jure Civili nihil utilius, nihil sanctius, nihil ad conservandam Rempublicam accomodatius fieri potest, si quis modo, & reliquas bonas artes assumpserit, quorum instructu, & comitatu mirum in modum ars ea locupletetur, tamen vitio recentiorum juris interpretum accidit, ut ab omnibus, qui ingenio, ac judicio præstare videantur, juris scientia contemnatur: quod si novi Jurisconsulti veteres illos imitari voluissent, neque tantopere bonarum artium studia contempsissent, non

M fuis-

fuiſſet meo quidem judicio difficile, Jus Civile in antiquum honoris, & dignitatis locum reſtituere. Sed quid eſt obſecro tam diſſimile inter ſe, tamque disjunctum, quam antiqui illi, recentioreſque Juriſconſulti? Illi præſtantiſſimis ingeniis præditi, atque omnium prope bonarum artium cognitione inſtructi, ſe ad Jus Civile cognoſcendum dabant, quo civibus ſuis & patriæ prodeſſent, fierentque ad capeſſendum Rempublicam, & ad maximas res gerendas paratiores. At vero quotus quiſque eſt ex his, qui ſe Juris Civilis interpretes eſſe profitentur, qui non & latinæ linguæ, & philoſophiæ penitus rudis, atque ignarus ſit? Cum tamen & ſermonis latini cognitio, & philoſophia ipſa, præſertim quæ ad mores pertinet, ad Jus Civile cognoſcendum ſit maxime neceſſaria. Atque hi tamen leguleï, & præclari, ut ſibi quidem videntur, Juris interpretes uſque adeo ſibi placent, tantumque ſibi arrogant, ut audeant ſe ſuperbiſſimo nomine Doctores appellare, cum nihil eis fieri poſſit indoctius, nihil imperitius, qui non modo reliquas bonas artes, quas ſe dicunt contemnere, penitus ignorant, ſed & leges ipſas, cum earum ſenſum aſſequi nullo modo poſſint, pervertunt atque corrumpunt, neque ullius ſcientiæ magis expertes ſunt, quam ejus ipſius, quam tantopere exoſculantur, quam aliis & ſtudiis, & artibus longe omnibus anteponunt. Quorum etſi prope innumerabilia extant volumina non ad interpretandas, ſed ad depravandas leges ſcripta & coacervata; quis eſt, qui bonas artes vel primoribus, ut ajunt, labris deguſtarit, qui ea poſſit attingere?

Non

Non latine, non ornate, non distincte se scribere profitentur. Nihil commode definiunt, nihil reale partiuntur, nihil apte concludunt, nullam denique artem nec dicendi, nec dissserendi esse putant. Nec vero capessendæ Reipublicæ & gerendarum rerum studio flagrant homines inertissimi atque turpissimi: quæstus cupiditate incensi, illi se studio totos addicunt. Itaque tum inscitia, tum avaritia atque inertia eorum factum est, ut præclara illa quondam Juris scientia in summam invidiam contemtionemque adduceretur, atque ut ab ea præstantissimo quisquis ingenio abhorreret, quod sane mirum non est. Nam cum Jus Civile non ex solis libris percipi possit, sed lumen aliquod lucemque desideret, isti, quibus necessario interpretibus utuntur, si qui Juris Civilis studio tenentur, non modo leges non explicant, atque illustrant, sed & maximas illis inscitia sua tenebras offundunt. Itaque tantum abest, ut pigeat me Juris Civilis studium reliquisse, ut & magnopere doleam, me in illo percipiendo tantum temporis atque operæ posuisse, quippe qui potuerim jam aliquos in bonarum artium studiis progressus habere. Sed obsequendum fuit parentibus, gerendus mos amicis, qui nihil esse præclarius, quam Juri Civili studere mihi puero persuaserant. Sed ut primum judicium facere potui, quæ studia, quæ artes, quæ disciplinæ viam ac rationem bene beateque vivendi docerent, philosophiæ scilicet, atque earum artium, quas optimas vocant, studio flagrare mirum in modum cœpi; juris ac legum interpretes, qui nihil aliud, quam litigandi quamdam viam

docent, ſprevi atque contemſi. Cum vero Jacobo Sadoleto mirifice jampridem eſſem deditus, plurimumque ei tribui a doctiſſimis hominibus ſcirem, nihil ſtatui eſſe commodius, quam me ad ejus amicitiam atque convictum conferre, qui me, quæ ejus humanitas eſt, & perbenigne excepit, & ad bonarum artium ſtudia excitavit. Itaque ſtatui jam toto, ut ajunt, pectore poſthac ad Philoſophiam incumbere, quæ ut minus vendibilis ſit, quam Jus Civile, multo quidem per ſe eſt homine libero dignior, multo uberior, multo ad commendandum nomen immortalitati noſtrum accommodatior. Habes conſilii mei rationem. Superioribus diebus ad Camillum tuum ſcripſi, neque ab eo quicquam adhuc litterarum habebam. Scripſi etiam ad Fundulium, ſed vereor, ne ei epiſtola mea reddita ſit ad te miſi, ut ſi tibi videretur, quanquam ea ares. A te etiam, atque etiam peto mi Molſa ne gravere omni tuo certiorem facere. Vale.

Carpentoracti 1534.

EPI-

EPISTOLA V. (a)

PETRUS VICTORIUS ANT. FLOREBELLO S.

Ejus Epistolæ respondet, qua suos in M. Tullii Ciceronis scriptis perpurgandis labores commendabat, seque cupidum ostendit, doctos homines atque elegantes in eadem sparta adornanda adjutores habendi.

ACcepi ad VIII. Kal. Jul. epistolam tuam amoris & humanitatis plenam, eaque mirabiliter multis de caussis delectatus sum: non possum tamen negare, cumulari me maximo gaudio, quod labores & vigilias meas tantopere a te probari & laudari video. Quid enim mihi gratius jucundiusque accidere potest, quam nugas illas (sic enim verius appellandæ sunt) a te non solum non contemni, & negligi; verum etiam celebrari, & summis laudibus extolli? Scio equidem solere multos studia, scriptaque amicorum, promptius atque uberius, quam veritas postulet, laudare, neque id tamen pravo animo, aut callido aliquo consilio facere, sed aut naturæ bonitate inductos, aut quod ita se putant illis animum addere, alacrioresque ad alia conanda efficere. Quid igitur suspicer, te in hoc genere hominum esse non malo sane, neque invido? an potius re diligenter acuteque perspecta, ita sentire, & lo-

(a) *Extat lib. primo Epistolarum Petri Victorii Florentiæ apud Junctas an.* 1586. *in fol. editarum pag.* 9.

qui. Hoc melius est, ac meæ quidem certe laudi accommodatius. Cur enim facile credam, te falli posse summi ingenii, atque optimi judicii juvenem, in ea præcipue re, quam egregiè calles, & in qua tantum profecisti, ut istius ætatis parem habeas neminem, majores autem, aut nullos, aut certe paucos: nam ut mentiri mea causa volueris, quo me ad aliquid majus tentandum excitares, nullo modo adduci possum, ut credam. Quid enim a me expectari gravius potest, quem pro ingenii mei infirmitate, & propter negotiorum familiarium occupationes, hæc quamvis parva, & tenuia præstare potuisse, mirum est. Aut quid minus ab his, qui te noverunt, a se oriri posse existimandum: qui, quo es pudore, & morum probitate, ne summa quidem utilitate proposita, a vero tantulum deflectere possis. Sic igitur faciam, teque optima fide mecum egisse existimabo, ac non solum mihi ipsi persuadebo, ita esse, ut scribis, quod aliquid opis, utilitatisque libris M. Tullii attulerim, sed etiam ceteris, hujus epistolæ tuæ testimonio, qua de meo illo studio præclarum judicium fecisti, me non omnem operam lusisse, probare conabor: quo magis etiam tibi obligatus sum, qui mihi laborum meorum usque istinc tamquam laudationem miseris: cujus auctoritate, & splendore possem levia mea hæc studia confirmare, atque in honorem adducere. Nihil autem me aliud ad id negotium impulisse, nisi incredibilem quandam cupiditatem studiosos Ciceronis adjuvandi, compertum unicuique esse debet: ea autem tanta fortasse fuit, ut me mearum virium oblivisci faceret; majusque

que onus suscipere, quam mei humeri ferre valerent. Sed quoniam tu ita vis, bona spe simus. Unum tantum velim (idque ex animo peto, atque oro) reliquos, qui elegantissimis M. Tullii scriptis delectantur, aliquid operæ laborisque in illis perpurgandis ponere. Dedecus enim est, profecto dedecus omnium studiosorum, in libris illis ullam maculam reperiri, quos semper in manibus habent, & ex quibus omnem sermonis nitorem, verborumque elegantiam mutuantur: multa autem sunt menda, quæ facilius a plerisque judicari possunt, quam tolli; sed quod uni non conceditur, alii datum est, ac nulla prorsus errata subterfugere possent tantam doctorum, & ingeniosorum hominum in hanc rem conspirationem; quod si hoc factum fuerit, quamvis sine laudis meæ detrimento esse non possit, siquam in hoc negotio meruimus (illi enim & plura, & meliora facile adferent) tamen incredibili lætitia afficiar: antiquum namque illud meum consilium sic adjuvabitur, atque exitum reperiet, quod ego solus ad finem perducere non potui: atque id quod tantopere expetivi, & in quo tantum laboravi, perficetur. Cur autem me pudeat auxilia aliorum in difficili, atque honesta re implorare? cum ipse nihil cessaverim, neque ullum laborem recusaverim, atque etiam profitear, quicquid potero in reliquum tempus, me libenter ac studiose esse facturum. Sed de hac re nimis jam a nobis disputatum est. Amicitia autem nostra, cujus retinendæ te cupidum esse ostendis (ut spero) perpetua erit, multum sane ad eam confirmandam valuit hæc tua elegantissima atque humanissi-

nissima epistola, non quod, ego ingenii, candoris, modestiæ, & humanitatis tuæ memoriam deposuissem, quam semper, ut debeo, conservabo, ac sanctissime colam: sed quia, postquam te mihi in amorem respondere perspexi; tantopereque laudi, atque honori meo studere sensi, mirifice aucta est egregia illa mea erga te voluntas ac benevolentia, & simul spero fore, ut quandoque præsentes illam tueri, ac celebrare possimus, quam vix dum institutam, iniquitas temporum magno cum meo dolore interrupit. Rainerio Deio non potui tuo nomine salutem dicere: abest enim ille Lugduni, qua in urbe ampla & honesta negotia gerit: si qua alia in re tibi opera mea utilis esse potest, gratissimum mihi facies, si ea, ad omnia tua commoda utere. Vale mi optime ac suavissime Antonii. Dat. III. Non. Jul. CIƆIƆXXXVII.

EPISTOLA VI.

Ant. Florebellus Reg. Card. Polo.

Primum excusationes adfert, quod tamdiu prætermiserit officium litterarum; postea ejus ac Bembi in se collata beneficia multis verbis commemorat.

EA mihi sæpe abs te, Pater amplissime, pro tua singulari humanitate benivolentiæ signa impertita sunt, ut magnopere mihi elaborandum esse intelligam, ne unquam ullo in genere meum erga te officium requiras. Itaque hoc tempore non mediocri sollicitudine angor, quod mihi deliquisse, & vehemen-

menter ab officio discessisse videor, qui tamdiu nihil ad te literarum dederim, ex quibus eum me esse in te colendo observandoque perspiceres, qui multis justissimisque de caussis esse debeo. Id quod, etsi mihi conscius sum, non negligentia a me prætermissum fuisse, sed quod veritus sim, ne inepte facerem, si cum nullam scriptione dignam rem haberem, inanes ad te epistolas mitterem, tamen non tam animum meum hæc excusatio reficit, quam tua consolatur humanitas. Ad eam igitur confugio, teque, amplissime Patrone, deprecor, ut non ex intermissione mea hujus officii; sed tum ex præclarissimis virtutibus tuis, tum ex summa arctissimaque necessitudine, quæ tibi cum Sadoleto Collega tuo Patrono meo intercedit, tum ex illis non obscuris, sed perspicuis, & illustribus, quæ dixi benevolentiæ signis, meam erga te observantiam metiare. An, ut reliqua omittam, quæ a te in me profecta sunt, oblivisci unquam potero, quid proxima hyeme, cum Romam venissem, mecum egeris? Quantæ curæ tibi commoda mea esse ostenderis? Quam me honorifico testimonio apud clarissimum Virum ornaveris? In quo tu, quo ego consilio in Italia mansissem, ac Romam venissem, videlicet ignorabas, sed tamen studium erga me tuum, cura commodorum meorum, consilium ornandi mei, testimonii honos, tui de me judicii significatio, ita mihi in intimis sensibus inhæserunt, ita grata, & jucunda acciderunt, ut neque ulla unquam ea ex animo meo delere oblivio, neque gratiam, quam tibi eo nomine debeo, ulla satis declarare possit oratio. Ego enim is sum,

qui nihil in vita tantopere concupiſco atque expeto, nihil tanti faciendum puto, quam tuum tuique ſimilium, hoc eſt optimorum, graviſſimorum, ſapientiſſimorumque Virorum ſtudium atque judicium. Id ego cum ad animi bene a natura conſtituti voluptatem jucundiſſimum duco, tum ad laudem, & gloriam ampliſſimum judico. Idque me non verbis modo profiteri, ſed animo etiam ita ſentire tu profecto eo tempore intelligere potuiſti. Non enim illa conditio, de qua mecum amantiſſime agebas, non præmiorum, quæ proponebantur ſpes, animum meum movere & flectere potuit, ſed cum maxime lætarer, me abs te tali viro dignum illo loco, atque aptum illi muneri judicatum, ſine ulla dubitatione reſpondi, quemadmodum meminiſſe te arbitror, malle me apud hunc optimum virum, & omni virtute præditum, cujus jampridem in fide eſſem, cuique me probatum eſſe confiderem, vel in tenui fortuna atque in remotiſſimis regionibus, quam maximis propoſitis præmiis in illa Italiæ luce, in illo ampliſſimo Urbis Romæ theatro vivere. Cujus me mei conſilii non modo poſtea unquam pœnituit, ſed eo quotidie ſum etiam vehementius delectatus. Videor enim & patrono meo fidem, & officium debitum præſtitiſſe, & tibi cui me æque atque illi probatum eſſe cupio animum conſtantem, & nullius rei præterquam exiſtimationis bonæ appetentem & cupidum probaviſſe. Hæc eo commemoravi, & fui longior, quam putarem, & quam fortaſſe neceſſe fuit, non uti gloriarer, quod minime facere debeo, me functum eſſe munere probi hominis & officioſi

ciosi clientis, sed ut cum videas me in memoria habere illustrem illam amoris tui significationem erga me, cumque intelligas nihil mihi esse officio & existimatione bona gravius atque antiquius, simul etiam me tui non minus, quam debeo studiosum, & colentem existimes, præsertim cum in benivolentia tua non minus præsidii mihi, quam ornamenti positum & constitutum esse re ipsa experiar. Scio enim ab iis omnibus, qui istic nostra curant, tui, & omni laude ornatissimi Bembi non studium & auctoritatem modo, sed operam etiam & diligentiam in illa controversia, quæ nobis cum Lippomano Episcopo Veronensi est, ita promptam & paratam esse, ut nullum ipsis fere officii munus reliquum faciatis; ita vos laborare, ita ea de re cum Pontifice Maximo accurate, cum Lippomano vehementer locutos esse, ut ne a propinquis quidem hominibus, plus studii, amoris, diligentiæ, sedulitatis expectari potuerit. Quæ quidem officia vestra non dici potest, quam tum Sadoletis ambobus, tum mihi ac reliquis, quorum ea res est, grata jucundaque acciderint. Itaque maximas utrique vestrum eo nomine gratias & habemus & agimus. Nec possum plane adhuc constituere, utrum ex ea controversia voluptatis plus an molestiæ capiamus. Nam cum molestum nobis est tantum de ea re negocii & habere nos, & vobis etiam facessere, de qua re nulla subesse deberet dubitatio, si modo ab iis, a quibus maxime oporteret, major juris, æquitatis, officii, existimationis, quam utilitatis & divitiarum ratio duceretur, tum tanta ac tam insignia vestra talium vi-

rorum ſtudia perſpicere erga nos, nobis tam jucundum eſt, quam honorificum atque amplum. Ac vos quidem aliter facere, non poteſtis. Etenim ad benemerendum vos de veſtris amicis, de clientibus, de amicorum item & clientum veſtrorũ familiaribus & omnino non de notis modo, ſed de ignotis etiam & alienis hominibus, natura genuit, voluntas aſſuefecit, uſus exercitatioque firmavit, nec vos ullum amplitudinis veſtræ fructum majorem atque uberiorem eſſe ducitis, quam ut iis, qui in rebus ſuis opera, conſilio, gratia, auctoritate, patrocinio veſtro egeant, quantum fides veſtra patiatur, opem atque auxilium feratis. Iſto cum vos animo ad bene promerendum ſitis, quid ego ac reliqui, qui in vobis tantum præſidii experimur, quo tandem erga vos animo quam grato, quam memori, quo ſtudio, qua fide eſſe debemus? Equidem ipſe, ut de me loquar, quanquam non dubito eundem ceterorum quoque ſenſum eſſe, nec ad referendam vobis gratiam, ſi modo id ulla ratione unquam poſſem conſequi, quicquid voluntate mea exiſtimo fieri poſſe acrius, neque ad habendam ac prædicandam ardentius: voſque pro eximiis utriuſque veſtrum erga me meritis, ita colere perpetuo, & obſervare inſtitui, ut etiamſi præſentibus officiis ab aliis abſens vincar, ſtudio tamen, & amore erga vos, & grati animi memoria ſim nemini conceſſurus. Hoc me in te animo eſſe, Pole, ut perſuaſum habeas, meoque ſuperioris temporis ſilentio ignoſcas, atque ut tuam erga me voluntatem conſerves, qua nihil mihi me hercule optatius eſt, aut carius, te etiam atque etiam rogo. Vale

Car-

Carpentoracti Octobris MDXLIV.

Sadoletus Collega tuus, & Paulus, uterque tui summe studiosus & observans, tibi salutem plurimam adscribunt.

EPISTOLA VII.

HIER. NIGER ANT. FLOREBELLO S.

Editum ab eo de auctoritate Ecclesiæ librum, magnopere sibi probari declarat.

LIbrum tuum de auctoritate Ecclesiæ (a) nuper mihi a Paulo Sacrato traditum, perlibenter legi; quo quidem libro causam religionis, ita pie diligenterque defendis, ut nihil amplius desiderari posse videatur. Atque ut cetera prætermittam, quæ me in ea lectione magnopere delectarunt, miris modis placuit mihi tua in increpandis hæreticorum moribus modestia. Quorum ego impurissimam vitam, dum in Germania essem, conspiciens, demirabar eorum insaniam, qui doctrinam hominum tam flagitiosorum sequuti fuissent. Tu vero parce admodum ac leviter hunc locum attigisti, ne incideres in eam procacitatem & maledicentiam, quam ad-

(a) *Iste de auctoritate Ecclesiæ liber a Florebello conscriptus & Jacobo Sadoleto Cardinali dicatus, legitur inter ipsius Sadoleti opera cum Moguntiæ, tum Veronæ edita; quamquam seorsum quoque evulgatus fuerit ab ipso auctore Lugduni per Sebastianum Gryphium an. 1546. in quarto.*

adversariis non injuria obiicis. In quo visus es mihi egregius imitator Jacobi Sadoleti viri sapientissimi ac modestissimi, qui scribendo dicendoque, aut neminem carpit unquam, aut si quis ei reprehendendus occurrit, ita redarguit, ut officii, & charitatis, ejus plena videatur esse reprehensio. Neque vero dubium mihi est, quin hoc libello partem hoc tempore maxime necessariam tractaveris, cum adversus impietatem & petulantiam eorum, qui ecclesiam tamdiu vexant, nihil habeamus, quod authoritate ipsius ecclesiæ firmius, & validius possimus opponere, Atque utinam multi ex nostris contenti hoc veluti primo principio, singula religionis mysteria in disceptationem & controversiã non revocassent. Dum enim ea quæ jampridem sancita & constituta snnt plurimis verbis comprobare student, authoritati ecclesiæ, plurimum detraxerunt: sed hæc tu melius. Pergratum mihi fuit ex Sacrato cognosse vos istic valere. Verebar enim ne quirinalis iste aer offensionem aliquam vobis intulisset. Sane cœlum istud ab hominum frequentia semotum, æstate præsertim non satis probo. Sed jamjam (ut audio) in Vaticanum commigrabitis. Utinam possem & ego apud vos vivere tribus mensibus. Eam enim veram & in terris perbeatam vitam ducerem, sed nescio quo pacto me nihil studiosius, quam otium appetentem, in dies magis magisque domestica implicant negotia, quibus si aliquando tandem explicabor, constitutum habeo ad vos proficisci, quod quando futurum sit, adhuc mihi est incompertum: faciam tamen antea vos certiores. De Sacrati studiis nihil aliud ad te scribo, quam quod sa-

ſæpe ſcripſi, hoc eſt ſumma ope hunc niti, ut avunculi cognatione & gratia dignus habeatur. Vale, & Cardinali noſtro ampliſſimo multam, te obſecro, meis verbis dic ſalutem.

EPISTOLA VIII.

ANT. FLOREBELLUS HIER. NIGRO S.

Præclaro ejus de edito abs ſe libro judicio reſpondet, deque propenſa in eo ornando Sadoleti Cardinalis voluntate multis agit.

PRobari tibi editum a me de auctoritate Eccleſiæ librum, libenter cognovi ex tuis literis. Etſi enim laudas eum multo uberius, quam landandus meo quidem judicio eſſe videtur, tamen jucunda mihi & ſuavis approbatio hæc accidit tua, quippe quæ ſtudii & amoris erga me tui judicium ac teſtimonium eſt. Atque ego quidem vehementer cuperem vera eſſe quæ ſcribis, eaque qua oportuit gravitate & rerum copia id a me argumentum tractatum atque explicatum fuiſſe, idque non laudis meæ cupiditate, ſed publicæ utilitatis. Certe enim tu veriſſime judicas ad refutandam eorum, qui his temporibus prolata ſunt dogmatum impietatem, nihil auctoritate Eccleſiæ gravius firmiuſque afferri poſſe. Sed ego in eo opere haud præſtare plus potui, quam qnantulum mihi a Deo facultatis impartitum ac tributum eſt. Exiſtent fortaſſe, (id quod vehementer opto) alii, qui tanta de re gravius ſcribent & ornatius. Quod vero de pravis adverſariorum mo-

moribus, & flagitioſo vitæ genere non plus attigi, quam quantum cauſa poſcebat, in quo modeſtiam meam tibi probatam eſſe ſcribis, plane ita faciendum fuit, ut & locum attingerem maxime neceſſarium, & id ſine ulla petulantia facerem, præſertim cum is admodum lubricus ſit locus, ac ſi vehementius egiſſem, majorem illis licentiam viciſſim accuſandi mores & prava inſtituta noſtrorum fuerim largiturus, qui nunc ſi reſpondendo ea qua ſolent maledicendi libidine efferentur, eorum futura eſt inſignior petulantia & procacitas. Sed de libro hactenus. Quæ de Sadoleti Patroni mei valetudine ex meis ad Sacratum literis cognoviſſe te ſcribis, ea tibi jucunda fuiſſe, minime miror. Neqne enim quanti tu illum jampridem facias, ignoro, mutuique amoris ejus erga te teſtis ipſe ſum optimus, qui quum a me ſalutatus eſſet verbis tuis, & tua ſui memoria vehementer delectatus eſt, & multa mecum de te amiciſſime eſt locutus. Atque ut illius tui augendi ornandique ſtudium agnoſcere poſſis, paucis ante diebus de te cum ampliſſimo & clariſſimo Viro Alexandro Farneſio accurate locutus eſt, egitque ut quoniam is de mittendo Avenionem homine idoneo cogitat, qui illa in Eccleſia ipſius ſit Vicarius, te ad id honeſtiſſimum munus, ſi videretur, deligeret, quo quidem in ſermone tibi ejuſmodi dedit teſtimonium, quod perpetuum ipſius de tua virtute, probitate, doctrina judicium poſtulabat. Hoc ut ad te ſcriberem, mandatum mihi ab eo eſt, quo voluntatis tuæ certior abs te fiat. Nam ſi ab ea curatione ſuſcipienda te minime abhorrere cognoverit,

de

de ea tibi mandanda accuratius etiam acturum esse se ostendit: omnino ut facilius deliberare de hac re possis; munus id multo honestius est, quam quæstuosus, sed vitæ quæ illis in locis degitur quies, regionis amœnitas, eorum quæ ad victum pertinent copia, imprimisque hominum hospitalitas, quæ laus ejus gentis, ut mihi quidem videtur, propria est, quovis quæstu homini præsertim a lucri cupiditate & ambitione remoto, potiora optabilioraque esse debent. Sed quid consilii tibi capiendum putes, pro tua prudentia ipse statues. De studiis Sacrati nostri ejusque ad virtutem doctrinamque progressu, quæ scribis, ea nobis jucundissima fuerunt. Sadoletus tibi, reliquisque qui istic sunt amicis suis Mattheo Dandulo, Lazaro, Rulloque optimis doctissimisque hominibus salutem plurimam scribit. Vale.

EPISTOLA IX.

Al Reverendiss. Card. Bembo.

De suo deque Cardinalis Sadoleti statu post reditum e Gallica Legatione eum certiorem facit.

Reverendissimo & Illustrissimo Signore & padron mio colendissimo. Mentre che la legatione di Monsignor mio è durata; se io non hò prima che adesso scritto a V. Sig. Reverendiss. è stato, perchè tutto il tempo che haveva, ero sforzato spenderlo o in viaggi, o nel servitio di sua Sig. Reverendiss. delle cui occupationi & cure ancor io participava. Hora che hò tempo di potere sodisfare in questa parte all'obligo che tengo con i miei Signori e Padroni, non hò voluto mancare di fare

con queste poche righe riverentia a V. Sig. Reverendissima, come si conviene alla servitù ed osservantia mia verso lei, & anche scriverle qualche cosa de l'essere di Monsignor mio, di che sò ch'ella piglierà piacere, siccome all'incontro io sò che sua Signoria sempre suole sommamente rallegrarsi, intendendo del buono stato di V. Sig. Reverendissima. Egli Dio gratia stà sano: giunse quà alla fine del mese passato, partitosi con buona gratia del Rè, & di quelli Signori. La venuta di sua Signoria Reverendissima in questi luoghi, veramente a questi poveri popoli ne loro travagli è stata di molta consolatione. Et perche in fatto la stanza di Carpentras non è ancora sicura dalla peste, si tiene a San Felice luogo in simili tempi molto opportuno, & atto alli studii; onde trovandosi ora in quel dolce & solitario ricesso, libero dall'altre cure & pensieri, si riposa ne' suoi studj, & goderiasi volontieri questa quiete, se così a N. Signore piacesse. Io al presente insieme con Monsignor Paolo stò quà a Pernes, il quale luogo fin quì Dio gratia è netto dalla peste, & si usa buona diligenza per preservarnelo, & godomi oltra la conversazione di esso Monsignor Paolo, ancora la familiarità di Monsignor di Bologna Vicelegato, Signore veramente virtuosissimo, & d'assai l'uno & l'altro di essi è molto servitore di V. S. Rm̃a, & insieme con me le baciano la mano, & qui facendo fine, prego Dio che la conservi lungamente & prosperi. Di Pernes alli XI. di Gennaro MDXLIII.

Di V. S. Reverendiss. & Illustrissima.

Obligatissimo Servirore

ANTONIO FIORDIBELLO.

EPI-

EPISTOLA X.

Hier. Niger Ant. Florebello S. D.

Solatur eum de Sadoleti Cardinalis obitu, quem maxime Christianæ Reipublicæ incommodum accidisse dicit, hortaturque eumdem, ut una cum Paulo Sadoleto, relicta a tanto Cardinali monumenta ab oblivione vindicet.

PErgratum mihi fuit ex Sacrati (a) *nostri* sermonibus *cognosse* (b) incolumem te in patriam revertisse. Sed mentio inter nos habita de te, deque Sadoleto ipsius avunculo, qui proxime est mortuus (c) auxit dolorem nostrum, communisque calamitatis memoriam renovavit. Nam si alienis hominibus, atque invidis, talis viri interitus non potuit non esse luctuosus atque acerbus, præsertim hoc tempore, quo illius sapientia & probitas afflictis rebus opem aliquam afferre potuisset; quanto luctuosior acerbiorque esse debuit nobis amicissimis, quibus multæ eximiæque illius viri virtutes diuturna familiaritate, & quotidiano usu exploratiores erant, quam ceteris? Amisimus brevi tempore quatuor insignes (d) viros, ejusdem ordinis, ejusdem in republica sensus & voluntatis, eosque inter se summa necessitudine conjun-ctissi-

(a) *In edit. deest* nostri.
(b) *In edit.* cognoscere.
(c *xv. Calend. Novembris an.* 1547.
(d) *In edit. legitur* insignes pietate cum doctrina viros.

ctissimos, Fregosium, Contarenum, Bembum, Sadoletum, quatuor clarissima ætatis nostræ lumina (a) *veluti columnas quatuor Christianæ pietatis* & (quod ad privatam meam calamitatem pertinet) omnes benevolo erga me animo atque egregia voluntate, quam ego cladem Reipublicæ quoties considero (id autem fit fere quotidie) toties iram in nos Dei Optimi Maximi perhorresco, cujus gladium jam districtum atque *evaginatum* (b) eductum in perniciem seculi nostri *talibus nudari præsidiis facile animadverto* (c) Nam (quod ad illos attinet) gratulandum potius est illis, quos mortis (ut ita dixerim) opportunitas, tot jam imminentibus malis, ruinisque subtraxerit, nobis vero deploranda est calamitas nostra, quod tum præcipue subsederint fundamenta *militantis Ecclesiæ* (d) quum ea maxime *tot arietibus* (e) tot machinis *quatiatur* (f), ut nihil aliud jam quam *totius structuræ* (g) vastitas & ruina *supersit* (h). Quo fit, ut æquiore animo ferenda sit non *solum* (i) amicorum mors, verum etiam nostra, si *quando* (k) ean-

(a) *Verba quæ diverso charactere signantur desunt in perantiqua hujus epistolæ editione.*
(b) *In edit.* e vagina eductum.
(c) *In edit.* videre videor.
(d) *In edit.* Reipublicæ.
(e) *Desunt in edit. hæc duo verba.*
(f) *In edit.* oppugnetur.
(g) *Hæc duo quoque verba in ed. desiderātur.*
(h) *In edit.* superesse videatur.
(i) Modo.
(k) Forte.

eandem quam illi viam *sunt ingressi* (a) & nos *percurremus* (b) antequam præcipitans nos tempestas absorbeat. Memoria teneo Contarenum nostrum supremo vitæ die quum a familiaribus suaderetur, ut eo animo perferret mortem, qui philosophum & Christianum hominem deceret (c); exhilarata fronte respondisse, agi secum felicissime, quod tum vita excederet, quum plurima, & maxima undique circumstarent pericula: nec longe abesse tempus, quo *posteri* (d) præclare actum cum mortuis essent arbitraturi. Quamobrem te hortor & amice moneo, ut si quis adhuc animo resedit tibi dolor ex patroni amantissimi interitu, eum penitus abiicias, præstesque te eum virum, quem tua singularis eruditio (e) *& disciplina a sapientissimo viro tradita postulat*: incumbas autem toto (ut ajunt) pectore, ut quæ Sadoletus ad usum prosteritatis *elegantissime sapientissimeque* (f) conscripsit, ea *ne pereant*, (g) sed primo quoque tempore proferantur in lucem. Hanc existimo non postremam fore curam Pauli Nepotis, quem si tua diligentia adjuveris, non tam Sadoleti gloriæ (h), *quam*

(a) Confecerunt. (b) Ingrediemur.

(c) *In edit. additur*: ut cum vita pie sancteque acta, mors ipsa consentiret.

(d) Superstites homines.

(e) *In edit.* & tantæ virtutis imitatio postulant.

(f) *Desunt hæc duo verba in edit.*

(g) *Desiderantur verba* ne pereant, sed.

(h) *Verba diverso charactere exarata in edit. haud leguntur.*

quam ille modo, (ut opinor) contemnit quam officio & publicæ consules utilitati, In quo meam quoque ipse operam pollicerer. nisi vos abunde satis facturos putarem. Cetera autem, quæ pertinebunt ad meam erga te benevolentiam declarandam, ita polliceor, & præstabo, ut majore studio polliceri & præstare non possem, si Sadoletus viveret, meumque ipse officium exposceret, cui omnia debebam. Vale.

EPISTOLA XI.

ANT. FLOREBELLUS JOAN. MORONO CARD.

Orationem a se Londini habitam ad Philippum & Mariam Reges de restituta in Anglia Religione, ad eum mittit.

COgnovisti jam amplissime Pater, ex literis, & nuntiis, qui isthuc missi sunt, quanto, & quam admirabili beneficio Deus optimus hanc Nationem Anglorum affecerit, quippe quæ post tam diuturnum dissidium Ecclesiæ Catholicæ reconciliata sit. Qua ex re non dubito, quin eam lætitiam cœperis, quam summa tua in Deum pietas, & excellens in Christianam rempublicam studium postulat. Cum his Populis gratulandum est, quos Deus pro sua misericordia respexit: dum Julio III. Pontifici Maximo, cujus pia sollicitudo, & studium hujus Gentis ad Ecclesiam revocandæ, eum quem merebatur exitum habuit. Quo nihil ei sane persuasum habeo accidere potuisse optatius atque jucundius. Qui quidem etsi vel pro pietate sua, vel pro munere, quod sustinet, nihil spectavit aliud, quam ejus, cujus in Terris lo-

locum obtinet, honorem, & animarum salutem; tamen præter reservatum sibi in cœlo tam sanctæ actionis præmium, tantam quoque gloriam adeptus est, ut hoc clarissimum, & maximum ipsius Pontificatus lumen futurum sit. Non enim hi modo qui sunt, habent, quod maxima cum ipsius laude commemorent, verum omnis semper posteritas, & meminerit, & prædicabit Julii III. Pont. Max. summo studio, ac diligentia hoc tam præstans, & nobile Ecclesiæ membrum, quod ab ipsius corpore jampridem avulsum fuerat ei restitutum fuisse: neque hæc in se minor futura hujus Pontificis est gloria, quam Gregorii illius Magni, cujus opera memoriæ proditum est, ab hac Gente Christi Fidem, ac Religionem susceptam fuisse. Neque enim minus admirabile, imo vero si quis recte consideret, admirabilius fuit tantopere alienatas inveterato jam quodam odio a Sede Apostolica horum hominum voluntates recuperare, & corruptas pestiferis hærericorum hominum disciplinis mentes sanare, quam hanc Gentem, cum nihildum illi cum Romanis Pontificibus fuisset, Christianæ Religionis prorsus expertem ac rudem, luce veritatis oblata a simulacrorum cultu ad veram Dei Religionem traducere. Quemadmodum autem hæc natio agnitis erratis suis, ad communem Christianorum Patrem rediit, qui illam cupide & peramanter amplexus est, ejus patris exemplo, de quo in Evangelio est, qui pœnitenti, & ad se reverso Filio misericordia commotus, non modo facile & libenter ignovit, sed maximum etiam honorem habuit; ita faxit Deus Optimus; ut Germani hoc exem-

exemplo admoniti, & perſpecta illius Sanctæ Sedis benignitate atque indulgentia, ipſi quoque reſipiſcant, & Christi Vicarium ſalutis eorum ſitientem potius audiant aliquando, quam eos, a quibus decepti jampridem, & ab Eccleſia Christi ſeparati fuerunt. Equidem qui huic rei interfuerim, & quemadmodum acta illa atque confecta ſit, viderim; quo ſtudio, qua pietate horum optimorum Regum, qua cura, qua induſtria Sanctiſſimi viri, & ſapientiſſimi hominis Poli Legati: qua conſenſione, qua concordia, quibus, & quam lætis acclamationibus univerſi Anglorum Concilii, tantum adventus huc mei fructum cœpi, tantamque lætitiam, ut nullus mihi tota vita dies lætior, nullus jucundior illuxerit. Etſi autem ſingulari quadam dicendi facultate materies digna erat; non cujuſmodi in me eſt, ſi qua modo in me eſt: tamen auſus ſum horum Regum pietatem laudare, & tantum onus humeris tam imbecillis ſuſtuli. In quo ſuſcipiendo præ lætitia nimirum, & admiratione tantæ rei, ut fit, parum perpendi vires meas. Quicquid autem hoc eſt, quod ego elucubratus ſum, viſum mihi eſt pro mea ſumma, & perpetua in te obſervantia una cum his literis ad te mittere. Exiſtimavi enim te, qui, pro tua humanitate, non invitus noſtra legere ſoleas, hanc oratiunculam propter ipſius argumentum tua pietate digniſſimum, multo libentius eſſe lecturum. Vale, & me, ut ſemper feciſti tuere. Londino VII. Id. Jan. MDLV.

F I N I S.

Staatliche Bibliothek Bamberg

6

Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Sadoleto, Jacopo, / Constantius, Vincentius A. / Fiordibello, Antonio,

Jacobi Sadoleti S.R.E. Cardinalis Epistolae Leonis X., Clementis VII., Pauli III. nomine scriptae

Romae 1759

Bamberg, Staatsbibliothek -- Ep.o.84-b
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11447540-4